
DODWELL
PRÆLECTIONES
ACADEMICÆ

[illegible]

# PRÆLECTIONES
## ACADEMICÆ
In SCHOLA
## *HISTORICES*
# CAMDENIANA.
Cum
*APPENDICE.*



*OXONII,*
E THEATRO SHELDONIANO:
Væneunt in Officina *Benj. Tooke*, Bibliopolæ *Londinensis*.
*An. Dom.* MDCXCII.

Imprimatur,

*JONATH. EDWARDS.*

Vice-Can. *OXON.*

*Julii* 29.
1692.

# PRÆLECTIONES CAMDENIANÆ

AD

Initium vitæ HADRIANI à SPARTIANO Scriptæ:

# TRAJANI

Vitam universam, & HADRIANI honores sub TRAJANO gestos, pro *temporis* serie, disponentes, &c.

Accedunt

*Diurnorum Urbis* è tabulis Marmoreis Fragmenta, partim hactenus *inedita:*

Cum

# *NOTIS,*

In quibus *veteris* Anni *Romani* ratio explicatur.

Item

TABULÆ & CANONES

Ad

SUPPUTATIONES,

In *Veteri* Chronologia *Romana*, necessarii.

CELEBERRIMÆ

# ACADEMIÆ

# *Oxonienſi*

Officii ſibi demandati hanc
reddit rationem

*HENRICUS DODWELLUS,*

PRÆLECTOR

*HISTORICES*

pro Domino

# Camdeno:

Simulque Statuit
*Gratitudinis* ſuæ duraturum,
pro *Virili* ſuâ,
MONUMENTUM.

*Nostram de his Scriptoribus Historiæ* Augustæ, *qua discrepat* a recepta, *sententiam ita breviter repræsentamus.*

1. SPARTIANUS vitas scripsit dicavitque *Diocletiano.* Scripsit inter annum Æræ *Christianæ* ccxci^m. & cccv^m. propius tamen anno cccv°. Præl. *Procem.* I. §. 10. Ab illo vitas sequentes scriptas existimo:

*Adriani.* Præl. *Procem.* I. §. 10. Nec discrepant receptæ Inscriptiones.

*Ælii Veri.* Præl. *Procem.* I. §. 10. Consentiunt hic recepti tituli.

*Antonini Pii.* Præl. *Procem.* I. §. 11. Vulgo tribuitur hæc Vita *Capitolino.*

*Marci.* Præl. *Procem.* I. §. 12. Vulgo tribuitur *Capitolino.*

*Veri Imperatoris.* Præl. *Procem.* I. §. 13. Vulgo trib. *Capitolino.*

*Commodi.* Præl. *Procem.* I. §. 14. Vera tamen fortasse vulgata Inscriptio qua asseritur *Lampridio.* Præl. *Procem.* II. §. 8.

*Pertinacis.* Præl. *Procem.* I. §. 15. Forte à *Lampridio.* Præl. *Procem.* II. §. 8. vulgo habetur *Capitolini.*

*Didii Juliani.* Præl. *Procem.* I. §. 15. ut vulgo inscribitur. Forte tamen *Lampridii.* Præl. *Procem.* II. §. 8.

2. *VULCATIUS GALLICANUS Diocletiano* etiam dicavit. Scripsit forte ante *Spartianum*, vel *Spartiani* consilium *Tyrannis* duntaxat addendis augere voluit. Præl. *Procem.* I. §. 8. IV. 2. 5. Ejus est vita unica.

*Avidii Cassii.* Præl. *Procem.* I. §. 16, 17. Consentiente etiam recepta Inscriptione.

3. *LAMPRIDIUS*, sub *Diocletiano* scripsit vitam

*Severi Imperatoris.* Præl. *Procem.* II. §. 3. 8. Alius Auctor ab Auctore vitæ *Alexandri.* Pr. *Pr.* III. 5. Vulgo tamen creditur fuisse *Spartiani.*

Forte etiam *Commodi*, *Pertinacis*, & *Didii Juliani.* Pr. *Pr.* II. §. 8.

4. *CAPITOLINUS* non *Diocletiano*, sed *Constantino Magno*, vitas à se exaratas inscripsit. Pr. *Pr.* II. 5, 6, 7, 8. Scripserat *Tatius Cyrillus* in ejusdem *Constantini* gratiam vitas Imperatorum è *Græcis* Scriptoribus collectas. Has auxit *Capitolinus* novis è Scriptoribus *Latinis* Collectaneis. Pr. *Pr.* II. 11. III. 3. *Novum* erat ejus consilium, de jungendis in *unum* volumen *plurium* Principum vitis. Præl. *Pr.* III. §. 8. Collegit autem in gratiam *Constantini*, præcipue *Antoninos.* Pr. *Pr.* II. 11. III. 2. Scripsit circa annum Æræ *Christianæ* cccxxxv^m. Præl. *Procem.* II. §. 7. & III. §. 3. Non tamen

tamen habuisse videtur ob oculos, ut vulgo creditur, in *Latinis* suis Scriptoribus, *Spartianum*, *Vulcatium*, *Lampridium*; sed (inter alios) *Marium Maximum*, Præl. *Proœm.* II. §. 9. & III. 5. & *Cordum*, Pr. *Pr.* III. 8. & *Suetonium*, Præl. *Proœm.* IV. 10. 11. Cavit hic Auctor λεπτολογίας, quod non fecere priores hujus Corporis Scriptores. Præl. *Proœm.* II. §. 12. Hujus puto fuisse vitas sequentes:

*Pescennii Nigri.* Præl. *Proœm.* II. §. 4, 5, 6, 7, 8. Ejusdem qui scripsit vitam *Alexandri*. Pr. *Pr.* III. 6. Quæ tamen vulgo titulum habet *Spartiani.*

*Albini.* Pr. *Pr.* II. §. 4, 5, 6, 7, 8. consentiente etiam titulo.

*Caracallæ.* Præl. *Proœm.* II. §. 9. Vulgo assignatur *Spartiano.*

*Getæ.* Præl. *Proœm.* II. §. 10. Legimus in titulo *Spartianum.*

*Macrini.* Præl. *Pr.* II. §. 11, 12. Suffragante etiam *Inscriptione.*

*Diadumeni.* Præl. *Proœm.* III. §. 2. Vulgo habetur *Lampridii.*

*Heliogabali.* Præl. *Proœm.* III. §. 3. Vulgo tribuitur *Lampridio.*

*Alexandri.* Præl. *Proœm.* III. §. 4. Alius certe fuisse videtur, qui hanc vitam scripsit, ab Auctore *Severi.* Præl. *Proœm.* III. §. 5. Idem tamen qui Auctor *Nigri.* Præl. *Proœm.* III. §. 6. Vulgo creditur *Lampridii.*

*Maximinorum duorum.* Non certe *Spartiani*, sed *Capitolini.* Præl. *Proœm.* III. §. 7. Suffragante etiam *titulo.*

*Gordianorum trium.* Præl. *Proœm.* III. §. 8. Ut *vulgo.*

*Maximi & Balbini.* Præl. *Proœm.* III. §. 9 Ut *inscribitur.*

5. *TREBELLIUS POLLIO* scripsit sub *Diocletiano.* Post aliquot annos ab anno *Æræ Christ.* CCXCII°. Præl. *Proœm.* V. §. 4. Post an. CCCIII^m^. Pr. *Pr.* V. §. 8. Ante Kal. *Maias* anni CCCV. non diu. Pr. *Pr.* V. §. 4. Decreverat vitas Principum ad *Diocletianum* usque scribere. Non præstitit tamen ultra *Claudium* & *Quintillum.* Pr. *Pr.* V. §. 3. Non vidit priores nostræ Collectionis Auctores. Pr. *Pr.* IV. §. 7.

*Valeriani Patris & Filii.* Præl. *Proœm.* IV. §. 14. Scripserat in *Valeriani* Patris vita res *Gallieni* omnes, Patre *Imperante*, gestas. Et quidem per *COSS.* Ib. §. 15.

*Gallienorum duorum.* Præl. *Proœm.* IV. §. 16.

*Triginta Tyrannorum.* Præl. *Proœm.* V. §. 2. Has vitas scripsit festinanter, sequentem accuratius. ib. Non certe *Capitolini* sunt. Pr. *Pr.* V. §. 4.

*D. Claudii & Quintilli.* Præl. *Proœm.* V. §. 3.

6. *FLAVIUS VOPISCUS* continuavit *Pollionem.* Præl. *Proœm.* V. §. 5. Collegit vitas priores è *Suetonio.* Pr. *Pr.* IV. §. 11. Posteriores è *Mario Maximo*, ib. §. 12. *Ordine* infra notato. Pr. *Pr.* V. §. 6. diversis *temporibus.* ib. §. 7. *Mortis* in prospectu. Pr. *Pr.* VI. §. 2. *Juvenis* tamen. ib. §. 3. Proximus ætate *Pollioni.* ib. §. 4. *Secundam* harum vitarum adornavit *Editionem* cui nova multa inseruit, post ann. Ær. *Christ.* CCCVIII^m^. Præl. *Pr.* VI. §. 7.

VI. §. 7. Post ann. CCCXLI^m^. §. 10. Post ann. CCCXLIII^m^. §. 9. Post ann. CCCVI^m^. ib. §. 11.

*D. Aureliani.* Præl. *Procem.* V. §. 6. ad *Tiberianum.* ib. §. 7. Post anni CCCIII[i]. *Hilaria Nov.* 3. Vix ante ann. CCCIV[m]. Vivo tamen *Diocletiano.* §. 8. Sed *Imperante Constantio.* ib. §. 9. Post *Maii* I[m]. CCCV. ante *Jul.* XXV. CCCVI. Pr. *Pr.* VI. §. 1, 2.

*Taciti & Floriani*, uno Libro. Præl. *Procem.* V. §. 6.

*Probi.* Præl. *Procem.* V. §. 6. ad *Celsinum.* ib. §. 7.

*IV. Tyrannorum*, unico Libro. Præl. *Proœm.* V. §. 6. ad. *Bassum.* ib. §. 7.

*Cari, & ejus liberorum*, unico Libro. Præl. *Procem.* V. §. 6. *Imperante Constantio Chloro.* ib. §. 10. *Imperante Galerio Maximiano.* ib. §. 11. Sed Imperii ejus *initio.* ib. §. 12.

Collectionem horum Scriptorum hodiernam non ipsi continuarunt *Auctores.* Præl. *Procem.* IV. §. 12. & VI. §. 13. Non vidit *Victor Schotti* qui scripsit ann. CCCLX. ib. §. 14, 15, 16. Sed nec *Eutropius, Rufus Festus*, aut *Orosius.* ib. §. 17. Separatum volumen, *de Cæsaribus & Tyrannis*, non ipsi distinxerunt Auctores. Præl. *Procem.* IV. §. 6, 7, 8. Sed *primi* hujus Corporis Collectores. *Juniores* rursus confuderunt. ib. §. 9.

---

*Synopsis*

---

## *Synopsis* Chronologica *Vitæ* Trajani, *rerumque* Hadriani, *Trajano Imperante, gestarum.*

| Ann. Dom. | Æt. Traj. | Hadr. | |
|---|---|---|---|
| 53. | 1 | | SEptembr. xviii. natus *TRAJANUS*. Præl. IV. in *Spart*. Adrian. §. 1. |
| 58. | 5/6 | | Cœpit Bellum à *Corbulone* gestum in *Parthos*. Præl. IV. in *Spart*. Adr. §. 5. *Pacem* certe eo anno fuisse indicat *Seneca* quo *Lugdun*. conflagravit, anno à fundatione sub *Planco* c°. Epist. 91. Idem erat *Domini* LVIII. U.C. 811. *Lugdunum* condiderat *Plancus* anno U. C. *Varroniano* 711. |
| 65. | 12/13 | | *Laurum Parthicam* sub *Corbulone* adhuc *Puer* meruit *Trajanus*. Præl. IV. in *Spart*. Adrian. §. 5. |
| 66. | 13/14 | | *Corbulo* ipse occisus anno *Trajani* XIII°. vel XIV°. Præl. IV. in *Spart*. Adrian. §. 5. |
| 67. | 14/15 | | *Trajanus Tribunus*. Præl. IV. in *Spart*. Adrian. §. 5. |
| 76. | 23/24 | | *Januar*. XXIV. natus *HADRIANUS*. Prælect. I. in *Spart*. Adrian. §. 1. Finis *Trajano* stipendiorum *decem*, quorum meminit *Plinius* in Panegyr. c. 15. Vel potius forte anno superiori. |
| 82. | 29/30 | | Ætas *Trajani* legitima ad petendam *Præturam*. Præl. IV. ad *Spart*. Adrian. §. 1. |
| 83. | 30/31 | | *Prætor Trajanus* anno *Æt*. XXX°. Præl. IV. in *Spart*. Adrian. §. 1. |
| 84. | 31/32 | | *Legatus* forte *Prætorius* in Provinciam missus *Trajanus*. Præl. IV. in *Spart*. Adrian. §. 1. |
| 85. | 32/33 | 9/10 | X°. Ætat. *Hadriani* anno mortuus *Hadriani* Pater. *Trajanus* Hadriani *Tutor*. Præl. IV. in *Spart*. Adrian. §. 1. *Trajanus* tum *Prætorius*. Recte. ib. |
| 90. | 37/38 | 14/15 | *Hadrianus* Tutela *exit*. XV°. *æt*. anno à *Trajano abductus* è *Patria militiam* init. Præl. IV. ad *Spart*. Adrian. §. 3. Pr. V. §. 1, 2. Hinc incipiunt *Hadriani stipendia*. Præl. V. ad *Spart*. Adrian. §. 11. *Romam* concessit *Trajanus Consulatum* initurus. Præl. IV. ad *Spart*. Adrian. §. 3. Primus *Hadriani* gradus in gratia *Trajani*, Præl. XVI. ad *Spart*. Adrian. §. 2. |
| 91. | 38/39 | 15/16 | COS. I. *Trajanus*. Præl. IV. ad *Spart*. Adrian. §. 3. |
| 93. | 40/41 | 17/18 | Mors *Agricolæ Augusti* XXIII°. Adhuc *clades Reip*. Nondum ergo *laurus Domitiani Sarmatica*. Præl. IV. ad *Spart*. Adrian. §. 3. |
| 94. | 41/42 | 18/19 | *Expeditio* Domitiani *necessaria* in *Sarmatas* mense *Maio*, & *laurus* ab eo *Sarmatica* inde reportata. Hoc anno scripsit II. & III. *Sylvarum* Libros *Statius*, & VII. *Epigramm*. Lib. edidit *Martialis*. Præl. IV. ad *Spart*. Adrian. §. 3, 4. |

§. 3, 4. *Hadrianus Judex.* ib. §. 5. Hoc nempe anno, vel fortaſſe *ſequenti.* Præl. V. ad *Spart.* Adrian. §. 12.

Reverſus *anni initio* Domitianus, miſſuſque in *Dece-* $\frac{42}{43}$ $\frac{19}{20}$ 95.
*balum Trajanus*, anno *Ætatis* ſuæ, ut videtur, XLII°. Præl. IV. ad *Spart.* Adrian. §. 3, 4. Hadrianus *Tribunus* II^e. Legionis *Adjutricis.* Sub *Trajano*, ut videtur. Ib. §. 5. Niſi forte potius *Judex.* Præl. V. ad *Spart.* Adr. §. 12. *Domitiani Trajaniq;* hoc Bello, hoſtes præcipui *Germani*, non *Daci.* Præl. VI. ad *Spart.* Adrian. §. 4, 5. Sub hujus anni finem *Coloniam Agrippinæ* venerit *Trajanus.* §. 8. *Trajano* ad Exercitum profecturo *omina.* Periculum Reip. furor caſtrenſis, Civium clamor, dum Capitolium aſcenderet. *Plin.* Panegyr. c. 5. Iter *Trajani.* Præl. VI. ad *Spart.* Adrian. §. 8.

Hoc anno *Domitiani* ultimo, forte potius quam ſuperio- $\frac{43}{44}$ $\frac{20}{21}$ 96.
ri, *Hadrianus Tribunus* Legionis II. *Adjutricis.* Poſtea in *Mœſiam* tranſlatus, *extremis* jam *Domitiani temporibus.* Præl. V. ad *Spart.* Adrian. §. 12. Hoc demum anno movit in hoſtem *Trajanus* cum comite *Hadriano* Legionis jam dictæ *Tribuno.* Præl. VI. ad *Spart.* Adrian. §. 8.

*Trajani* literæ *laureatæ* miſſæ è *Pannonia.* Præl. IV. ad $\frac{44}{45}$ $\frac{21}{22}$ 97.
*Spart.* Adr. §. 8. Præl. VI. ad *Sp.* Adr. §. 8. Tum *Hadrianus* exercitus *Mœſiaci* nomine *Trajano* gratulatus in *Germaniam* ſuperiorem à *Trajano* remiſſus eſt. Præl. VI. ad *Spart.* Adrian. §. 8. *Nuncius* erat de *Trajani Adoptione Hadrianus.* §. 7. Adoptionis *die* dicata *Jovi Capitolino* laurus. *Plin.* Panegyr. c. 16. Propter *lauream* illam *Nerv. Imp. II.* appellatus, & *Trajanus* ipſe *Germanicus.* Præl. IV. ad *Spart.* Adrian. §. 4. Præl. XI. ad *Sp.* Adr. §. 10. *Trajanus* hoc anno cum *Adoptaretur* à *Nerva. IMP. I.* Præl. XI. ad *Spart.* Adrian. §. 8, 9, 10. Hinc incipiunt Trajani *Tribunitiæ Poteſtates.* Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 22.

Nondum *Romam* venerat *Trajanus.* Præl. IV. ad *Spart.* $\frac{45}{46}$ $\frac{22}{23}$ 98.
Adrian. §. 8. Præl. VI. §. 1. *Trajanus* in *Mœſia* cum *nuncium* acciperet de morte *Nervæ.* Præl. VI. ad *Spart.* Adr. §. 1. 7. Hoc anno ex *Oraculo* omen Imperii accepit *Hadrianus.* Præl. VII. ad *Spart.* Adrian. §. 12. *Trajanus* hujus anni fine *IMP. II.* appellatus de *contemtis*, non *domitis*, *Dacis.* Præl. XI. ad *Spart.* Adrian. §. 11. Hoc anno *ſortes Virgilianæ* ab *Hadriano*, poſt *Nervæ* mortem, conſultæ. Præl. XVI. ad *Spart.* Adrian. §. 9.

Hoc demum anno *Romam* venit *Trajanus.* Præl. IV. ad $\frac{46}{47}$ $\frac{23}{24}$ 99.
*Spart.* Adrian. §. 7, 8. Præl. XI. §. 11. *Leges* deinde *Trajani* & *beneficia* quibus cognomen *OPTIMI* hoc anno conſecutus eſt. Præl. IV. ad *Spart.* Adrian. §. 7. *Sabina Hadriano* nupta hoc anno, vel ſequenti. Præl. XVI. ad *Spart.* Adrian. §. 9.

Cœpit

100. $\frac{24}{25}\frac{47}{48}$ Cœpit hoc anno Bellum *Dacicum* I^m. post initium *Septembris*, & tamen ante *Oct*. XXVII. non *multo*. Præl. XI. ad *Spart*. Adrian. §. 14, 15. Hoc anno Librum *Epigrammatum* XI. edidit *Martialis*. ib. §. 15. Hoc anno, Kal. *Sept*. Panegyr. dixit *Plinius*. ib.

101. $\frac{25}{26}\frac{48}{49}$ *Quæstor Hadrianus* anno *Æt*. XXV^o. labente. Præl. X. ad *Spart*. Adrian. §. 9. 14. Hoc *anno*, vel *sequenti*, *Trajanus IMP. III*. appellatus, propter res à *ducibus* in *Oriente* gestas. Præl. XI. ad *Spart*. Adrian. §. 12. Hoc eodem, ut videtur, anno curavit *Hadrianus Acta Senatus*. Præl. XI. ad *Spart*. Adrian. §. 2, 3. Hoc anno præcipua Belli *Dacici* I^i. gesta. Præl. XI. ad *Spart*. Adrian. §. 15.

102. $\frac{26}{27}\frac{49}{50}$ Post *curam* Actorum *Senatus* Hadrianus *Trajanum* consecutus in *Dacia* deprehendit. Præl. XI. ad *Spart*. Adrian. §. 2, 3, 4, 5. Ita tamen ut partem in *Bello* nullam habuerit, *finito* nimirum antequam ille in *Daciam* venisset. ib. §. 15. *Trajanus IMP. IIII. COS. IIII. & DACIC. T. P. VI.* Itaque hujus anni *fine*, de hoc Bello *Dacico priori*. Reversus hujus anni *fine*, ut, pro more suo, *Romæ Consulatum* V^m. inire posset. Præl. XI. ad *Spart*. Adrian. §. 13.

103. $\frac{27}{28}\frac{50}{51}$ *COSS. Trajano V. & L. App. Maximo II*. contra Viros Clarissimos *Norisium & Mediobarbum*. Præl. XI. ad *Spart*. Adrian. §. 13. Initium Belli *Dacici II*. ante *Octobrem*. Pr. XII. ad *Spart*. Adrian. §. 13. *Tribunatum* annuum inivit *Hadrianus Dec*. X. hujus anni. Præl. XII. ad *Spart*. Adrian. §. 8. nempe anno *Ætat*. XXVIII^o. ib. §. 4, 5. Hinc *Fastos* emendamus.

104. $\frac{28}{29}\frac{51}{52}$ COSS. *TI. JULIO CANDIDO II. A. JULIO QUADRATO II*. Hoc anno propter *Hadriani Tribunatum Pleb*. quem tenuit his *COSS*. teste *Spartiano*, usque ad *Dec*. X. Præl. XII. ad *Spart*. Adrian. §. 8. Male hoc anno *Suranum II. & P. Neratium Marcellum* habent recepti Fasti. Præl. XII. ad *Spart*. Adr. §. 10. Pr. XIII. §. 2.

105. $\frac{29}{30}\frac{52}{53}$ COSS. *COMMODO & CEREALI*. Præl. XIII. ad *Spart* Adrian. §. 2. Male *Candidum & Quadratum* Fasti *vulg*. Hoc demum anno, finito *Tribunatu*, in *Daciam* venit *Hadrianus*, & Legionis I^æ. *Minerviæ* Tribunus *multa & egregia facta* hoc Bello edidit. Præl. XII. ad *Spart*. Adr. §. 9. Præl. XIII. §. 2. Hoc anno fortassis *exeunte* finis Belli *Dacici II*. Præl. XIII. ad *Spart*. Adrian. §. 4. Inde *Trajanus IMP. V. T. P. VIIII*. Præl. XII. ad *Spart*. Adr. §. 9. Præl. XIII. §. 4. Eadem *T. P. VIIII. IMP. VI*. de *Arabibus* à *Palma*, eodem quo *Daci*, *Dione* teste, tempore, devictis. Præl. XII. ad *Spart*. Adrian. §. 9. Præl. XIV. §. 4. Hoc anno exeunte *gemma* hæreditaria donatus *Hadrianus*. Præl. XVI. ad *Spart*. Adrian. §. 10.

106. $\frac{30}{31}\frac{53}{54}$ COSS. *C. SOSSIO SENECIONE IV. & L. LICINIO*

*LICINIO SURA III.* Si quidem hoc anno *Romam*
nondum redierit *Hadrianus*, Bello nondum confecto. Pr.
XIII. ad *Spart.* Adrian. §. 3. Sin *redierit*, & *Præturam*
adeo hoc anno *Ætatis* xxx°. *legitimo* gesserit *Hadrianus*:
tunc sequentis anni *COSS.* huc reducendi erunt, hique ad-
eo ad illum differendi. Quod fortasse verisimilius est, con-
stringetque limitibus adhuc arctioribus *Fastos Consulares.*
ib. §. 4. Vulgo hic leguntur *Commodus* & *Cerealis.* Hoc
anno fortasse *ineunte* finis Belli *Dacici II.* & *Trajanus*
*IMP. V.* & *VI.* Id quasi verum esset, hujus sequentisq;
anni *COSS.* digessimus, aliter fortasse transponendos.
COSS. *C. JULIO SERVILIO URSO SER-* 54/55 31/32 107.
*VIANO*, & *SURANO II.* *Præturam* gessit *Hadri-*
*anus*, teste *Spartiano.* Hoc nempe, vel *superiori* fortasse
potius, *anno.* Si ita, superioris anni *COSS.* huc potius re-
ponendi erunt. Hos *COSS.* *Ordinarios* fuisse probatur,
non, ut vulgo creditur, *suffectos.* Præl. XII. ad *Spart.* Adr.
§. 10. Præl. XIII. §. 5. &c. Vulgo hic COSS. *Senecio IV.*
& *Sura III.* Fortasse rectius. *India* Provincia facta à *Tra-*
*jano.* Pr. IV. ad *Spart.* Adr. §. 10. vid *Addend.* ad *Iren.*
COSS. *APPIO ANNIO TREBONIO GAL-* 55/56 32/33 108.
*LO* & *M. ATILIO METILIO BRADUA.*
Præl. XIV. ad *Spart.* Adrian. §. 1. *Vulgo* Iidem *COSS.*
Hoc anno *Hadrianus* Legatus erat *Prætorius* in *Pannonia*
*inferiori.* ib.
COSS. *PALMA II.* & *TULLO.* Præl. XIV. ad 56/57 33/34 109.
*Spart.* Adrian. §. 4. Vulgo *Iidem.* Jam *Consul* suffectus
*Hadrianus* ib. §. 3, 4. Post annum *Ætatis* xxxiii^m^. quæ
*Ætas* erat sub *Imperatoribus* Consulatui *legitima.* Præl.
XIII. ad *Spart.* Adrian. §. 10. Præl. XIV. §. 3, 4. Fue-
ritne autem *collega* ejus in Consulatu *Publilius Celsus*, non
constat. §. 10. Hoc *Hadriani Consulatu* mortuus est, ut
videtur, *Licinius Sura Trajani Hadrianique* Amicus. ib. §.
11. Hoc anno venit *Trajanus* in *Orientem* pro Chronolo-
gia *Antiochena.* Præl. XV. ad *Spart.* Adrian. §. 9. Sed fal-
sa est. §. 10. Hoc tandem anno comperit *Hadrianus ado-*
*ptandum* se à *Trajano* esse. Præl. XVI. ad *Spart.* Adr. §. 11.
COSS. *PISONE* & *BOLANO* Præl. XIV. ad 57/58 34/35 110.
*Spart.* Adr. §. 6. *Orfitus* & *Priscianus* COSS. omnino
*fictitii* ib. §. 5.
COSS. *C. JULIO SERVILIO URSO SER-* 58/59 35/36 111.
*VIANO II.* & *L. FABIO JUSTO.* Non *Pisone*
& *Bolano*, ut volunt alii. Sed nostri *COSS.* & *hujus an-*
*ni* erant, & quidem *Ordinarii.* Præl. XIV. ad *Spart.* Adr.
§. 7, 8, 9. Paludem *Pomptinam* stravit hoc anno *Trajanus.*
ib. §. 11. Hoc anno *Terræmotus Antiochenus* pro Chro-
nologia *Antiochena.* Præl. XV. ad *Sp.* Adr. §. 9. Falso. §. 10.

COSS.

112. $\frac{36}{37}\,\frac{59}{60}$ COSS. *TRAJANO AUG. VI.* & *JULIO AFRICANO*. Et vulgo. Hocanno Expeditionem *Parthicam* suscepit *Trajanus*. *Roma* discessit mense *Macedon. Hyperberetæo* (si recte *Malela*) post *Sept.* XXIV. Transiit per *Athenas*, quo tempore *Archon Atheniensis* erat *Hadrianus*. Inde, per *Asiam* Proconsularem, *Lyciamque*, *Seleuciam* venit atque *Antiochiam*. Tum, captis sine prælio *Samosatis*, ad *Sata*, ubi *Anchialum* donis munerat *Heniochorum* & *Machelonum* Regem. Inde *Elegiam Armeniæ* civitatem. Hic, supplice *Parthamasiride*, *IMP.* à militibus acclamatus *Trajanus* est, quasi de *Regno dato*. Eum tamen *titulum* non accepisse puto, quia conditionibus non stetit *Parthamasiris*. Præl. XV. ad *Spart.* Adr. §. 4 In *Armenia*, ut videtur, *hyemavit*. ib. §. 5. Aliter Inscriptio *Hispanica*, nobis suspecta. ib. Jam de *Neratio Prisco* IC, potius quam *Hadriano*, adoptando cogitat *Trajanus*. Præl. XVI. ad *Spart.* Adr. §. 6.

113. $\frac{37}{38}\,\frac{60}{61}$ COSS. *L. PUBLILIO CELSO II.* & *C. CLODIO CRISPINO*. Et vulgo. Hoc anno *Mesopotamiam* & *Arabiam* sub ditionem redegit *Trajanus*. Præl. XV. ad *Spart.* Adrian. §. 6.

114. $\frac{38}{39}\,\frac{61}{62}$ COSS. *L. VIPSTANO MESSALLA* & *M. PEDONE VIRGILIANO*, anno U. C. *Varroniano* 867.[s] 2°. postquam *Trajanus* venerat in *Orientem*. Præl. XV. ad *Spart.* Adrian. §. 7. *Vulgo* COSS. *Hasta* & *Vopiscus*. Hoc anno, exeunte, *finito* Bello *Parthico priori* redit *Trajanus Antiochiam* ad *hyemandum*. Jam *IMP. VII. T. P. XVII.* appellatus est, & *PARTHICI* nomen *nondum confirmatum* adeptus, & *Mesopotamiam* omnem usque ad *Tigrim*. Hoc anno *Decemb.* XIII. *Terræmotus Antiochenus*. ib. §. 8.

115. $\frac{39}{40}\,\frac{62}{63}$ COSS. *Q. NINNIO HASTA*, & P. *MANILIO VOPISCO*. Vulgo *Messalla* & *Pedone*. Vere Bellum *Parthicum*, rogatu Patrum, repetit *Trajanus*. *Adiabenen* omnem, *Assyriæ Nino* finitimæ *partem* in fidem recepit. *Arbela* etiam & *Gaugamela* & *Palæstinam*. Inde *IMP. VIII. T. P. XVIII.* Præl. XV. ad *Sp.* Adrian. §. 11. Rursus trajecto *Tigri Ctesiphontem* Imperii *Parthici* sedem occupat. Inde *IMP. VIIII. T. P. XVIII.* & *PARTHICI* cognomen *confirmatum*. Tum secundo *Tigri* navigat, *Messenen* Insulam cum Rege *Athambelo* capit, & castrum *Spasini*, & *Chaldæos*, & intra *Tigridem* fortasse omnia, terruitque usque ad *Indum* fluvium. Tum demum *Babylonem* redit *hyeme*. Jam *deficiunt* è gentibus subactis nonnullæ. ib. 12. *Provinciæ* item aliæ hoc anno subactæ: Præl. IV. ad *Spart.* Adrian. §. 10. XVIII°. ejus anno Belli *Parthici* initium.

*Julian.*

*Julian.* in *Cæsarib.* Quod hoc demum anno *Parthos* ipsos, non *gentes* duntaxat *Parthis subditas*, aggressus fuerit *Trajanus.* COS. *suffectus*, hoc, ut videtur, anno *Lusius Quietus.* Præl. XVI. §. 7. Hoc anno *exeunte*, vel forte 117. *ineunte Jovis Nicephorii* Oraculum consuluit *Hadr.* ib. & Præl. XVII. §. 5.

COSS. *ÆLIANO* & *VETERE*, ut *vulgo.* De- 63/64 40/41 116.
ficiunt *Judæi*, *Ægyptii*, & *Cyrenaici*, anno *Trajani* XVIII°. à morte *Nervæ.* Missus in *Judæos Ægyptios Martius Turbo.* Motus etiam *Judæorum Cypriorum* anno *Trajani* XIX°. Præl. XV. ad *Spart.* Adrian. §. 13. Et *Mesopotamenorum.* *Nisibis* & *Edessa* à *Lusio Quieto* captæ. Præl. IV. ad *Sp.* Adr. §. 11. Præl. XV. §. 14. *Judæi Mesopotameni* ab eodem devicti. *Seleuciam* expugnat *Erucius Clarus.* Præl. IV. §. 11. Præl. XV. §. 14. *Trajanus Ctesiphontem* venit, & *Regem* dat *Parthis.* Inde, ut videtur, *IMP. X.* Tum Bellum ejusdem in *Atrenos.* ib. §. 15. *Syriæ* post *Atticum* præfectus *Lusius Quietus.* Præl. XVI. §. 7. Hinc incipiunt *Tribunitiæ Potestates* Hadriani. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 22. Vid. *Proleg.* ad *Append.* Diss. *Cyprian.*

COSS. *NIGRO* & *APRONIANO*, ut *vulgo.* 64 41/42 117.
*Hadrianus*, hoc anno, *Syriæ* præfectus. Præl. XV. ad *Spart.* Adrian. §. 16. Hoc anno Oraculum *Daphneticum* consuluit *Hadrianus.* Præl. XVI. ad *Sp.* Adr. §. 7. Hoc anno rursus moturus in *Atrenos Trajanus*, morbo impeditus est. Præl. XV. §. 16. Præl. XVII. §. 5. Jamque fortasse potius quam anno 115. Oraculum *Jovis Nicephorii* consuluit *Hadrianus.* ib. Ab ægrotante *Trajano* missus, ut videtur, *Hadrianus* in *Syriam.* Postea *COS. II.* designatus *Hadrianus*, jam in *Provincia.*

*Synopsis*

## *Synopsis* Chronologica *rerum* aliarum *obiter* incidentium.

Urb. Cond. *Varron.*

663. BEllum *Sociale*. Præl. III. ad *Spart*. Adrian. §. 2.

665. Admissi *Itali* in *Tribus novas* octo seorsim. ib. Atque inter eos majores *Hadriani*.

670. Admissi *Itali* etiam in *Tribus* Urbis *veteres*. ib.

699. *Virgilius* togam *virilem* sumsit anno *Ætatis* XV°. *natus* anno Urbis *Varroniano* 684. Præl. V. ad *Spart*. Adr. §. 6.

705. *Marcus Ciceronis* filius togam *virilem* sumsit, *natus* ann. Urbis 690. ib. Item *Augustus* hoc, vel sequenti, anno *togam* sumsit. Præl. V. ad *Sp*. Adrian. §. 1. *Ætat*. XIV°.

710. *Augustus* paulo ante *Sept*. XXIII^m^. anno *Ætatis* XIX°. *exercitum* conscripsit. *Natus* nimirum *Sept*. XXIII°. anno Urbis 691. Præl. XIX. ad *Spart*. Adr. §. 26.

711. *Augustus COS*. anno *Ætatis* XIX°. labente. Præl. V. ad *Spart*. Adr. §. 2. *COS*. factus est *Sept*. XXIII°. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 26. *Triumviratus Quinquennium* I^m^. cœpit *Novembr*. XXVII°. Præl. XIX. §. 26.

725. Nomen *Imperatoris*, qua summum fastigium denotabat, *Augusto* decretum. Præl. XIX. ad *Spart*. Adr. §. 25.

726. Tertii *Triumviratus Quinquennalis* loco successit *Imperium Augusteum*. Inde *Augustorum* anni. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 25. Imperii hujus *Natalis* dies, ut videtur, *Augusti* XIX. ibid. §. 26. *Togam* hoc anno, vel sequenti, sumsit *Tiberius*, cum annum *Ætatis* XIV^m^. absolvisset, *natus Novemb*. XVI.° anni *Varroniani* 712. Præl. V. ad *Spart*. Adrian. §. 1.

727. Hoc anno *Cæsar Octavianus Augustus* appellatus est *SC*. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 25.

731. Hinc incipiunt *Augusti Tribunitiæ Potestates*, primo *Imperii* Quinquennio finito. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 8. *Data* tamen *Tribunitia Potestas* anno potius *sequenti*, ut videtur. ibid. §. 21.

732. *Censores* ultimi. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 16.

735. *Censoriæ* Potestatis *Augusto* decretæ *Quinquennia* incipiunt. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 23.

736. *Tribunitiæ* Potestates *Agrippæ* incipiunt. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 21. 34.

739. *Hoc* anno, vel *sequenti*, natus *Drusus Tiberii* filius. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 22.

741. *Augustus Pontifex Maximus*, post mortem *Lepidi*, *Martii* $\frac{3}{6}$. Præl. XIX. ad *Spart*. Adrian. §. 26.

746. *Augustus* primus *lauream* deposuit in gremio *Jovis Capitolini*

*pitolini*, dictuſque eo nomine *IMP. IIII.* Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 4.

*Tribunitia Poteſtas* in *Quinquennium* data *Tiberio*. Pr. 748.
XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 21. Cum ſcilicet *Tiberius* annum ageret *Ætatis* ſuæ xxxvi$^{m}$. ib. §. 22.

Togam *virilem* ſumſit *Caius Auguſti* nepos, xiv$^{o}$. *Æ*- 749.
*tatis* anno *abſoluto*, xv$^{o}$. *inchoato*. Natus viz. anno *Varroniano* 734. Præl. V. ad *Spart.* Adrian. §. 2.

Togam *virilem* ſumſit *Lucius Auguſti* nepos xiv$^{o}$. *Æ*- 752.
*tatis* anno *completo*, xv$^{o}$. *labente*. Natus ann *Varroniano* 737. Præl. V. ad *Spart.* Adrian. §. 2.

Exiit *Tribunitia* illa *Poteſtas* prima *Tiberio* conceſſa in 753.
*Quinquennium*. Nempe dum *Rhodi* exularet *Tiberius*. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 13. 21.

*COS. Caius* Quinquennio poſt ſumtam *togam*, Præl. V. U.C. *Chriſti*.
ad *Spart.* Adr. §. 2. 754. 1.

Rediit *Tiberius* à Seceſſu *Rhodiaco*. Mortuus eſt *Lu*- 2.
*cius Auguſti filius* per Adoptionem. Præl. V. ad *Spart.* Adrian. §. 2. *Lucii* memoria in Cenotaphio *Piſano* celebratur *Auguſti* xxi$^{o}$. *Tribunitia* Auguſti *Poteſtate* xxv. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 26.

*Adoptatus* ab *Auguſto Tiberius*, & *Tribunitia Poteſta*- 4.
*te* rurſus donatus. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 13. 24. Adoptatus nimirum *Jun.* xxvii. ibid. §. 26. Cum menſe *Februario* præcedente *mortuus* eſſet *Caius*. ibid. *Tribunitiæ* Tiberii *Poteſtates* ab *Auguſti* Natali *Aug.* xix$^{o}$. forte numeratæ. ibid. §. 28.

*Germanicus Proconſul.* Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. 11.
§. 17. viz. anno Urbis *Varronian.* 764. ib.

*Germanicus COS.* viz. ann. Urb. *Varron.* 765. ibid. 12.

*Tribunitiam* Poteſtatem cum *Auguſti* Tribunitia Pote- 13.
ſtate *parem* accipit *Tiberius*, viz. in *decennium*. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 11. 17. 21. 24. Non, ut vulgo creditur, anno *Auguſti antepenultimo*.

*Germanico* decretum *Imperium Proconſulare*. Præl. XIX. 14.
ad *Spart.* Adr. §. 17.

*Germanicus* è *Germania* miſſus in *Syriam*. Præl. XIX. 17.
ad *Spart.* Adr. §. 17.

*Tribunitiam* Poteſtatem accipit *Druſus* Tiberii *filius*. 22.
Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 6.

*Britannicus* Claudii *filius* natus. Præl. V. ad *Spart.* 42.
Adrian. §. 4. Contra Cl. *Pagium* in Diff. *Hypatic.*

*Nero* anni hujus initio *togam* ſumſit *virilem*. *Matu*- 51.
*ratam* ſcilicet, ante annum *Ætatis* xiv$^{m}$. *impletum*. Natus *Decemb.* xv$^{o}$. anni Æræ *Chriſtianæ* 37$^{i}$. Præl. V. ad *Spart.* Adrian. §. 3. Etiam *Imperium Proconſulare* accepit. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 16.

b *Britan*-

56. *Britannicus* hujus anni *Febr.* XIII°. ſi vixiſſet, XIV^m. *Ætatis* annum completurus erat. Præl. V. ad *Sp.* Adr. §. 4.

71. *Tito Tribunitia Poteſtas* data. Præl. XIX. ad *Spart.* Adr. §. 22.

136. *Adoptatus* ab *Hadriano Ælius* Cæſar, & *Tribunitia Poteſtate* ornatus. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 22.

137. *Adoptatus* ab eodem *Hadriano Antoninus Pius*, ſimiliterque *Tribunitia Poteſtate* inſignitus. Præl. XIX. ad *Spart.* Adr. §. 22.

147. Anno *Urbis* 900°. *Marco Tribunitia Poteſtas* data *Pii decennalibus*. Præl. XIX. ad *Sp.* Adrian. §. 22.

161. *Lucio*, Marci, per Adoptionem, *fratri Tribunitia Poteſtas* data. Præl. XIX. ad *Sp.* Adrian. §. 22.

175. *Commodus* togam *virilem* ſumſit, nondum *completo* anno *Ætatis* XIV°. Natus nimirum *Auguſt.* XXXI. anni Ær. *Chriſt.* 161^1. Præl. V. ad *Sp.* Adrian. §. 5. *Tribunitiam* etiam *Poteſtatem* accepit. Præl. XIX. ad *Spart.* Adr. §. 22.

191. *Poſt* hunc annum, & tamen *ante* 195^m. ſcripſit Impoſtor qui *Sibyllina* confinxit. Præl. VII. ad *Spart.* Adrian. §. 12. Poſtea *Philopatridem* ſcripſit in *Ægypto Lucianus.* ib.

198. *Quinquennalibus Severi* Patris *Tribunitia Poteſtas* data *Caracallæ*. Præl. XIX. ad *Spart* Adrian. §. 22.

208. *Quindecennalibus* ejuſdem *Severi Getæ* filio minori *Tribunitia Poteſtas* ſimiliter decreta eſt. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 22.

268. *Quindecennalibus* ſuis *Tribunitia Poteſtas* à *Gallieno* miſſa *Claudio* eſt. Præl. XIX. ad *Spart.* Adrian. §. 22.

305. *Vicennalia* tam *Diocletiani* quam *Maximiani* etiam *Herculii* cum *Purpuram* ambo deponerent. Præl. XIX. ad *Sp.* Adrian. §. 22. Scilicet à morte *Carini*. ib.

PRÆ-

# PRÆLECTIO INAUGURALIS.

## *Quam nupera ſit, quamque imperfecta, antiquiſſima Græcorum Hiſtoria.*



# *Prælectio Procemialis* I.

## *Prælectio Proœmialis* II.

TRansitio §. I. Post *Vulcatium* successit *tertius* Auctor, seu *Lampridius* is fuerit, seu *Capitolinus*. §. II. *Severus* à *Lampridio* scriptus. §. III. *Niger*, & fortasse *Albinus*, à *Capitolino*. §. IV. V. VI. In *Nigri* vita, *Constantini* nomen pro nomine *Diocletiani* reponendum. §. VII. Alius nullus sub *Constantino* harum vitarum conditor præter *Capitolinum*. §. VIII. Caracalla *Capitolini*. §. IX. Et Geta. §. X. Et Macrinus. Consilium proprium *Capitolini*, ut *Tatii Cyrilli* vitas è *Græcis* Auctoribus, jussu *Constantini*, traductas, ipse è *Latinis* Auctoribus locupletaret. §. XI. *Alium* posteriorum Vitarum Auctorem fuisse aliunde convincitur. §. XII. *p.* 53.

## *Prælectio Proœmialis* III.

TRansitio. §. I. *Capitolinus* Auctor Diadumeni. §. II. Et Heliogabali. §. III. Et Alexandri. §. IV. Alius certe Alexandri Auctor ab Auctore Severi. §. V. Nigri Auctor idem, qui Alexandri. §. VI. *Capitolinus* Auctor etiam Maximinorum duorum. §. VII. Et Gordianorum trium. §. VIII. Et Maximi & Balbini. §. IX. Nova hujus Corporis partitio in duos Libros, alium de *legitimis* Imperatoribus, alium de *Cæsaribus* & *Tyrannis*. §. X. Vestigia ejus in antiquissimo Codice *Palatino*. §. XI. *p.* 69.

## *Prælectio Proœmialis* IV.

TRansitio. §. I. *Occasio* partitionis prædictæ ex ipsis Corporis hujus *Auctoribus*. Pro *Tyrannis* habiti *Cassius*, *Niger*, & *Albinus*. §. II. Et *Getam* falso pro *Tyranno* habuit Auctor. §. III. *Tyrannos* etiam collegerunt *Pollio* & *Vopiscus*. §. IV. Quibus Veterum exemplis *Tyrannorum* vitas scripserunt nostri. §. V. Separatum illud volumen de *Cæsaribus* & *Tyrannis* non ipsi distinxerant *Auctores*. Non scilicet *Vopiscus*, §. VI. Nec *Pollio*. §. VII. Nec *Capitolinus*. §. VIII. Est tamen illa partitio Codicibus *hodiernis* plerisque antiquior. §. IX. Ne quidem legitimos *Spartiani* & *Lampridii* Augustos continuavit dedita opera *Capitolinus*; sed *Suetonium* potius & *Marium Maximum*. §. X. Suetonium, ut videtur, in rebus *Nerva* superioribus non *Capitolinus* modo, verum etiam *Vopiscus*. §. XI. In rebus *Nerva* recentioribus, *Marium Maximum*. §. XII. Hiatus inter *Maximum* & *Balbinum* & *Valerianos* antiquior forma illa nostri Corporis, in qua supplebatur ex *Eutropio*; & alia quoque antiquiore *Egnatiana*, in qua nullus legebatur *Eutropius*. §. XIII. *Valerianorum* Auctor *Trebellius Pollio*. §. XIV. Ea vita hodie mutila. §. XV. Ejusdem *Pollionis* Liber est de *duobus Gallienis*. §. XVI. *p.* 85.

*Præ-*

## *Prælectio Procemialis* V.

TRansitio. §. I. De xxx. *Tyrannis* scripsit *Pollio.* §. II. Et de *Claudio* & *Quintillo.* §. III. Vitas *Constantino* inscriptas scribere non potuit aut continuare *Pollio*, qui scripsit ipse sub finem *Diocletiani.* §. IV. *Trebellium Pollionem* videtur continuasse *Vopiscus.* §. V. *Vopisci* vitæ omnes genuinæ. §. VI. Diversis *amicis*, diversisque adeo (ut videtur) *temporibus*, vitas suas scripsit *Vopiscus.* §. VII. Imperante *Diocletiano*, aut certe *Constantio Chloro.* §. VIII. Potius (ut videtur) *Constantio Augusto*, & vivo *Diocletiano.* §. IX. Non magno *temporis* spatio à Libro *primo postremum* etiam scripsit *Vopiscus.* §. X. Quem *Cæsarem* appellat *Vopiscus*, *Galerius* vere erat, cum scriberet *Vopiscus*, *Augustus.* §. XI. Initio autem *Galerii* scripsit, superstite adhuc *Constantio Chloro.* §. XII. *p.* 107.

## *Prælectio Procemialis* VI.

TRansitio. §. I. Mortis in prospectu erat, cum hæc scriberet, *Vopiscus.* §. II. *Juvenis* tamen. §. III. Ætas *Vopisci* proxima ætati *Pollionis.* §. IV. Ut potuerit *Capitolini*, qui sub *Constantino* scripsit, meminisse *Vopiscus*, qui scripsit ipse sub *Constantio Chloro.* §. V. Addidit, ut videtur, nomen *Capitolini Vopiscus* recentiori aliqua Librorum jam editorum retractatione. §. VI. Dictum *Diocletiani* multis, à *Vopisco*, annis post primam horum Librorum Editionem, insertum. §. VII. Aliud recentioris temporis exemplum. §. VIII. Aliud. §. IX. Novorum etiam *Amicorum* nomina addititia. §. X. Alia secundæ horum Librorum Editioni inserta. §. XI. Cur *Diocletiani* & sequentium Principum vitas pollicitus, non tamen scripserit, *Vopiscus.* §. XII. *Pollionis* & *Vopisci* vitas vitis *Capitolini* subjunxere, non *Pollio* ipse, aut *Vopiscus*, sed *juniores.* §. XIII. Non certe ante *Victorem Schotti*, qui *Capitolinum* non vidit. §. XIV. Nec *Pollionem.* §. XV. Nec *Vopiscum.* §. XVI. Sed nec ante *Eutropium*, *Rufum Festum*, *Orosium.* §. XVII. *p.* 127.

# P R Æ L E C T I O. I.

## Ad *Spartiani Hadrianum.*

### *Quam fidem mereantur proditi à Veteribus* dies *Principum privatorumque* Natalitii.

NAtalis *Hadriani* Januar. XXIV. §. I. Cur *Hadriani* nomen inter *Divos* retinuerint Kalendaria, ejusdemque *Natalem.* §. II. Non *Natales* duntaxat, sed res etiam *gestas* insignissimas vetustis-

vetustissima complecti solebant *Kalendaria*. §. III. *Kalendariorum* curam suscipiebant *Imperatores*, qua *Pontifices Maximi*. §. IV. *Sacra* in honorem *Divorum* Principum procurabant *Sodales*, primo in *Familiæ Augustæ* honorem instituti, tandem in *singulorum* singulares Familiæ Augustæ *Principum*. §. V. Præter Sodales, *Flamines* etiam & *Salii* illis decerni solebant. §. VI. *Sodales* illi *Salii*, & *Flamines*, non unius, pro primo instituto, ætatis. Tandem à *Tacito* Imp. unum *Divis* Principibus omnibus *Templum* institutum, unumque adeo Sacerdotum *Sodalitium*. §. VII. Nec erat, in *Taciti* Templo, cultus ille Principum *Divinus*, sed duntaxat *Heroicus*. §. VIII. *Natalis*, quoties *simpliciter* usurpatur, pro *Geniturae* natali plerunque accipiendus. §. IX. *p*. 153.

## *Prælectio* II *ad Spart.* Hadrian.

TRansitio. §. I. De *Fortuna Imperii*. §. II. *Fortuna* illa eadem cum *Genio* Principis tutelari. §. III. *Genius* ille tutelaris *Natalibus* præfectus. *Fortunam* à *Genio* ut invicem distinxerit *Isaias*. §. IV. *Natalibus* Principum non *libamina* dari solita duntaxat, verumetiam *Sacrificia*. §. V. *Genius* ille coli solebat Sacris *Natalitiis*. §. VI. *Natales Principum* omnibus oportet fuisse exploratissimos. §. VII. Etiam *privatorum* hominum insignium *Natales* erant notissimi. §. VIII. *Inscriptionibus*, Sepulchralibus, celebritatibusque *perpetuis* conservari solita *Natalitiorum* memoria, etiam *privatorum*. §. IX. *Natalium* memoriam conservavit disciplina Veterum de ingenuorum *liberis* in *matriculas* referendis. §. X. Mos ille liberos ingenuos in *Matriculas* referendi antiquissimus. §. XI. Eandem *Natalium* conservationem postulabant multæ in *Jure* disceptationes. §. XII. *p*. 171

## *Prælectio* III. *ad Spartian.* Hadrian.

### *Ut* Romæ *natus*, & *Civis tamen* Italicensis, *fuerit* Hadrianus.

ROmæ Nasci potuit, & *Civis* esse *Romanus*, *Hadrianus*, qui tamen idem *Civis* fuerit *Italicensis*. §. I. Vetustior *Hadriani* Civitas *Adria* jam diu ante *Hadrianum* Civitate *Romana* donata est. §. II. De Jure *Coloniæ* & *Municipii*. §. III. Italis *Colonis* concessa Civitas *Romana* cum Jure *Suffragii*. §. IV. Patria *nativa* censeri solebant veteres potius quam *adscititia*. §. V. Cur *Syri* nomen aversatus fuerit *Alexander Severus*. §. VI. A Patria illa *nativa* Nobilitatem censebant veteres, & à gestis in Urbe *Romana* majorum *honoribus*. §. VII. Male *Hadrianum* veteres nonnulli pro *externo* habebant. §. VIII. *p*. 191.

*Præ-*

## *Prælectio* IV. *ad Spart.* Hadrian.

### *De* Temporibus Trajani *cum* Hadriani ætate *nectendis, & gravibus aliquot de* Trajano *Dionis* erroribus.



## *Prælectio* V. *ad Spart.* Hadrian.

### *De ætate* togæ virilis *sumendæ, &* militiæ *ineundæ apud* Romanos.

## *Prælectio* VI. *ad Spart.* Hadrian.

### *Non suscepit* Trajanus *Imperium* Coloniæ Agrippinæ, *ut male hactenus,* Victore *Epitomatore* & Eutropio *Auctoribus, crediderunt Viri eruditissimi.*



## *Prælectio* VII. *ad Spart.* Hadrian.

### *Locus* Spartiani *difficilis explicatur, deque* Hadriani *Imperio æmulo cum* Numæ *Regno* sortes *etiam* Virgilianæ.



## *Prælectio* VIII. *ad Spart.* Hadrian.

### *Cur nulli legantur in* Codice *Principes* Legumlatores, *nec ulli in* Pandectis Jurisconsulti, *antiquiores* Hadriano.

## *Prælectio* IX. *ad Spart.* Hadrian.



## *Prælectio* X. *ad Spart.* Hadrian.

### *De* Quæstura Hadriani, *deque* Quæsturæ *obeundæ tempore* legitimo.

V. Cur *Candidati Principis* appellentur illi *Quæstores*. §. VI. Hanc ipsam *Candidati Principis Quæsturam* obiit *Hadrianus*. §. VII. *Ætas* Quæsturæ annus *XXV*us. §. VIII. Ætas *togæ virilis*, apud *Romanos*, eadem cum ætate *Tyrocinii*. §. IX. Eodem anno *togam virilem* acceperunt. & *Militiam* inierunt *Augusti* nepotes, *Caius* & *Lucius*. §. X. Serius *Caligula*, simul & togam *Virilem* sumsit, & *barbam* posuit. §. XI. *Decem* stipendia per *Leges* necessaria à *Tyrocinio* ad *Quæsturam*. §. XII. Militibus *gregariis* plura *stipendia* necessaria ad *Veteranorum emerita*, quam *Nobilioribus* ad *honores* capessendos. §. XIII. *Quæsturam* itaque Ætatis anno *XXIV*°. *absoluto* obire poterant, per Leges, Romani. §. XIV. *p.* 362

## *Prælectio* XI *ad Spart.* Hadrian.

*Quo tempore* Senatus Acta *curaverit*, Trajanumque *ad Bellum* Dacicum prius *prosecutus fuerit* Hadrianus. *Itemque de prioribus quatuor* Trajani *titulis* Imperatoriis.

NOnis *Decembris Quæstores* Magistratum incepisse ait Auctor Anonymus. Sed parum verisimiliter. §. I. *Annuam* fuisse sub Imperatoribus *Quæsturam* verisimile non est. §. II. Quod *Senatus* Acta curaverit *Hadrianus*, non erat id alienum ab Officio *Quæsturæ*. §. III. Quæ fuerint illa quæ in *Acta Senatus* referri solebant. §. IV. *Cura* Actorum potius *Quæstorii* erat, quam *Quæstoris*. §. V. Bellum *Trajani Dacicum primum* qui justo faciunt *maturius*. §. VI. Refelluntur. §. VII. *Romanorum* Principes *summi* omnes *Imperatores* appellati. §. VIII. *Prænomen* hoc *Imperatoris* ut à *Cognomine* distinguendum sit. §. IX. *Primum* tamen titulum *Imperatorium* in *Principibus* facit *Prænomen* illud *Imperatoris*. §. X. Trajanus *Imp. II.* de *contemtis*, non *domitis*, *Dacis*; Fine nimirum anni 98. §. XI. *Imp. III.* propter res gestas in *Oriente* à ducibus, anno 101. vel 102. §. XII. *Imp. IV.* propter Bellum *Dacicum I*m. fine anni *CII*i. finitum. §. XIII. *Cœpit* bellum illud ante *Octobrem* anni *C*. §. XIV. Non certe *diu* ante initium *Octobris*. §. XV. Priori hoc Bello *victa*, & *præsidiis* occupata, pars *Daciæ* maxima. §. XVI. Hoc è *Dione*, & coævis *Trajano* Testimoniis evincitur. §. XVII. Et è *Pontis Danubiani* tempore, quod *Medium* erat inter Bella *Trajani Dacica*. §. XVIII. *p.* 384.

## *Prælectio* XII. *ad Spart.* Hadrian.

*De* Tribunatu Hadriani *Pleb. Tribunatusq;* ætate, *Fastorumque* Consularium, *per hæc* Trajani *tempora*, *confusione*.

TRibunatu Plebis olim exclusi *Patritii*, jam *Hadriani* ætate Tribunatus *Senatorum* proprius. §. I. *Tribunatui* nulla, ut videtur, *Ætas*

*Ætas* à *Legibus* designata. §. II. Ex *aliis* tamen *honoribus* Tribunatum seu *antecedentibus*, seu *consequentibus*, *ætas* erat *certa* ad illum necessaria. §. III. In locum *Ædilitatis Curulis* successit *Tribunatus*. §. IV. *Ædilitatis* annum fuisse oportet *Ætatis XXVIII*[m]. §. V. *Tribunatus* hoc etiam Sæculo *annuus*. §. VI. Tribunatus *ineundi* tempus *Decembris X*. §. VII. *Tribunus Plebis* fuerit *Hadrianus* à *Dec. X*°. anni *CIII*[i]. ad *Dec. X*[m]. anni *CIV*. §. VIII. Sic potuit Belli *Dacici II*[i]. rebus *gestis* interesse anni *CVI*[i]. *initio* finiti. §. IX. *Præturæ Hadrianeæ* COSS. *Sura*. & *Servianus II*. Ante *Candidum* & *Quadratum Tribunatus* Consules male dispositi. §. X. *Fasti* hodierni omnes in *Trajani* temporibus merito suspecti. §. XI. Fastorum *emendatio* in sequentibus Prælectionibus expectanda. §. XII. *Initium* Belli *Dacici II*[i]. anno *CIII*°. ante Octobrem. §. XIII. *p*. 417.

## *Prælectio* XIII. *ad Spart.* Hadrian.

### *Fastorum* Consularium *per annos* Dom. CV[m]. CVI[m]. & CVII[m]. *emendatio*. Hadriani Præturæ annua *erat*, & *per* COSS. *adeo* Ordinarios, *non* Suffectos, *à* Spartiano *designanda*.

FAstorum emendatio. §. I. *COSS.* anni CV[i]. *Commodus* & *Cerealis*. §. II. *COSS.* anni *CVI*[i]. *Senecio IIII*. & *Sura III*. si quidem nondum *Romam* venerit, nec adeo *Prætor* fuerit, *Hadrianus*. §. III. Fieri tamen potest ut hoc ipso anno *Prætor* fuerit. Sic erunt prædicti *COSS.* ad *sequentem* potius annum differendi. §. IV. Anno *CVII*°. *Prætura* Hadriani COSS. *Surano II*. & *Serviano*: quos quidem *Ordinarios* fuisse necesse est, si fuerit *Prætura* ipsa *annua*. §. V. *COSS.* plures *binis* eodem tempore esse non poterant. Et tamen *plures*, pro proportione aucti ab *Imperatoribus* Senatus, necessarii *annuatim*. Inde *bimestres* &c. §. VI. *Prætores* satis multi esse poterant *Consulatus Candidati*, ut nullæ fuissent eorum, in eodem anno, *vices*. §. VII. *Prætores annui* sub Imperatoribus, cum *plurimi*, non plures tamen *octodecim*. §. VIII. *Prætores Consulibus* plures proportione *sesquialtera*. §. IX. Satis erat illa *proportio* ad *spatium* illud quod medium erat, his *Imperatorum* temporibus, inter *Præturam Consulatumque* triennii. §. X. Huic *numero proportionique* supplendis satis erant *munera Prætoria* invicem diversa; nec erant necessariæ *munerum*, in eodem anno, *vices*. §. XI. *Annui* certe fuisse videntur *Prætor Ludorum*, & *Prætores Ærarii*. §. XII. Imo *alii* etiam Prætores *omnes* §. XIII. Erat certe *Hadriani* Prætura *Ludorum*. Consulibus proinde non *Suffectis*, sed *Ordinariis*, consignanda §. XIV. Plena horum Consulum *nomina*. §. XV. *p*. 438.

## *Prælectio* XIV. *ad Spart.* Hadrian.

### *Fasti* Consulares *ab anno* Domini CVIII°. *ad* CXI$^{m}$. *restaurati.*

ANno *CVIII°*. *Hadrianus* Legatus *Prætorius* COSS. *Gallo* & *Bradua.* §. I. Res ab *Hadriano* hoc *anno* gestæ explicantur. §. II. *COS.* anno *CIX°*. *Hadrianus.* §. III. Sed *Suffectus* tantummodo, COSS. Ordinariis *Palma II.* & *Tullo.* §. IV. *Orfiti* & *Prisciani* Consulatus omnino *fictitius.* §. V. *COSS.* anni *CX'*. *Piso* & *Bolanus.* §. VI. *COSS.* anni *CXI'*. *Servianus II.* & *Fabius Justus.* §. VII. Hi *COSS.* erant hoc ipso *anno.* §. VIII. Et quidem *Ordinarii.* §. IX. Collegam *Hadriani* in Consulatu *Publilium Celsum*, nullo Auctore, facit *Onuphrius.* §. X. *Sura* hoc anno *CIX°*. *Hadriano*, ut videtur, *Consule*, mortuus. §. XI. *Hadriani inimici* quinam. §. XII. Paludem *Pomptinam* stravit *Trajanus* an. *CXI°*. §. XIII. *p.*461.

## *Prælectio* XV. *ad Spart.* Hadrian.

### *Fasti* Consulares *ab ann.* Domini CXII. *ad* CXVII. *restaurati.*

P*Lotinæ* bona in *Hadrianum* officia, illiusque in eam viceversa *gratitudo.* §. I. De *legatione* Hadriani *Syriaca* destinata. §. II. *COSS.* anni *CXII'*. *Trajanus VI.* & *Julius Africanus.* Trajanus *Athenis.* §. III. Hoc eodem *anno* venit *Trajanus* in *Armeniam.* §. IV. Ibidemque *hyemavit.* §. V. *COSS.* anni *CXIII'*. *Celsus II.* & *Crispinus.* *Mesopotamiam* & *Arabiam* vicit *Trajanus.* §. VI. *COSS.* anni *CXIV'*. *Pedo* & *Messalla.* §. VII. Hoc anno, *prioris* Belli *Parthici* fine, *Antiochiam* redit *Trajanus.* §. VIII. Pro Chronologia *Antiochena* Trajanus anno *CIX°*. in *Orientem* venerit; *Terræmotus* autem *Antiochenus* contigerit anno *CXI°*. §. IX. Ea tamen Chronologia *vera* esse vix potest. §. X. *COSS.* anni *CXV'*. *Q. Ninnius Hasta* & *P. Manilius Vopiscus.* *Assyria* victa *Imp. VIII.* appellatus *Trajanus.* Forte etiam victa *Palæstina.* §. XI. Hoc anno *Imp. IX.* & forte *Parthicus.* Victa *Babylonia* & *Chaldæa*, &c. Defectio. §. XII. *COSS.* an. *CXVI'*. *Ælianus* & *Vetus.* Defectio *Judæorum.* §. XIII. *Judæi Mesopotameni* victi à *Lusio Quieto*, & *Nisibis.* *Seleucia* capta ab *Erucio Claro.* §. XIV. Trajanus *Imp. X.* forte de *Rege Parthis* dato. §. XV. *COSS.* anni *CXVII.* *Niger* & *Apronianus.* *Hadrianus* hoc anno *Syriæ* præfectus. §. XVI. *p.* 480.

*Præ*

## *Prælectio* XVI. *ad Spart.* Hadrian.

### *In* Adoptionis *à* Trajano *ſpe quos* æmulos *habuerit & quibus demum* gradibus *illos ſuperarit* Hadrianus.



## *Prælectio* XVII. *ad Spart.* Hadrian.

### Secundus *Hadriani* Conſulatus *cur* totam *illi* Præſumtionem *fecerit de* Imperio.



## *Prælectio* XVIII. *ad Spart.* Hadrian.

### *De Imperatorum* Adoptionibus, *& Adoptatorum* Juribus.

Adoptiones, privatasque. §. II. Alia Exempla in *Principum Adoptionibus* licentissima. §. III. *Forma* illa qua *vir virum Legebant*, apud Veteres, explicata. §. IV. Cum Imperator, pro forma illa, *Successorem adoptaret*, nulla id *Libertatis Publicæ* fraude factum est. §. V. Admodum apta erat *forma* illa publicis *Principum* Adoptionibus. §. VI. Jus *adoptati* Principis, ut publice appellaretur *filius Augusti*. §. VII. Item *Imp. Cæsar*, & *Princeps Juventutis*. Summus Augustus ipse *Princeps Senatus*, inde *Principis* simpliciter sic dicti titulum traxerit. §. VIII. Etiam *Pueri* hæredes Imperii *Puerorum Nobilium* exercitiis *militaribus* præfecti sunt. §. IX. *Principes Juventutis* appellati post *Pubertatem*, antea duntaxat *Pueri Nobilissimi*. §. X. Mansit titulus *Principum Juventutis* post annos *Senatorios* non tamen ad ætatem admodum *Provectam*. §. XI. Conveniunt illis quæ diximus *Principum Juventutis Numi*. § XII. *p.* 551.

# *Prælectio* XIX. *ad Spart.* Hadrian.

## *De Titulis* Cæsareis, *Principum Juventutis*, *Potestatisque Tribunitiæ*.

UT Principes Juventutis *Equitatum*, ita *Pedites* ipsi duxerunt Augusti. §. I. Exercitiis tamen utriusque Militiæ, tam *Pedestris*, quam *Equestris*, imbuendi erant *Principes Juventutis*. §. II. Habebat per *Adoptionem* Cæsar, ut familiæ *suæ*, ita familiarum *Imperatoriarum omnium*, decora. §. III. *Principes Juventutis* ab Augusto *appellati*. §. IV Titulo *Principum Juventutis* successit titulus alius *Tribunitiæ Potestatis*. Sic quidem ut anno *Ætatis* circiter *XXX*°. desierint appellari *Principes Juventutis*. §. V. Cœpit autem in *Cæsaribus*, (si ita visum esset *Augusto*) *Tribunitia Potestas* ab anno Ætatis *XXVIII*°. §. VI. *Tribunitia Potestas* suprema erat, & *Proconsularem* includebat. §. VII. Et Potestatem etiam *Dictatoriam*. §. VIII. Augusti *Tribunitia Potestas* διὰ βίυ qualis. §. IX. Cur *Provinciarum* illa Potestas Proconsularis *Tribunitiæ Potestatis* nomine fuerit insignita. §. X. Tribunitia Potestas *Cæsarea* aliquatenus *Impar* Tribunitiæ Potestati *Augusteæ*. *Propius* tamen accessit ad *paritatem* Tribunitia Potestas concessa *Tiberio* anno *Augusti* penultimo. §. XI. Erant enim *Augustorum* Tribunitiæ Potestates *decennes*, *Cæsarum* duntaxat *Quinquennes*. *Multa* alia à *Votis* etiam *susceptis*. Tandem *Augustorum* Potestas etiam *quinquennis*. §. XII. *Cæsarum* Quinquenniis Tribunitiæ Potestatis *expletis*, penes *Augustum* erat Primarium, essentne *renovanda*. §. XIII. Erat tamen revera *paritas* aliqualis inter Tribunitiam Potestatem *Cæsarum* atque *Augustorum*. §. XIV. Post *Marcum* non erant *Cæsarum*, sed *Augustorum* propriæ *Tribunitiæ Potestates*. §. XV. Erat tam in *Cæsaribus*, quam etiam in *Augustis*, Imperium *Proconsulare* aliud à *Potestate Tribunitia*, & eadem inferius. §. XVI. Quale fuerit *Impe-*

# A P P E N D I X.

## *P R Æ F A T I O.*

---

PRÆLECTIO

# Prælectio Inauguralis In Auſpiciis Profeſſionis CAMDENIANÆ

Maii xxv°. MDCLXXXVIII.

*Quam nupera ſit, quamque imperfecta, antiquiſſima Græcorum Hiſtoria.*

---

*Exordium.* §. I. Hiſtoriæ *difficultas.* §. II. Chronologiæ *utilitas atque difficultas.* §. III. *Annalium* Græcorum *fides nulla ante* Darium Hyſtaſpidem. §. IV. *Nec altius certi* Archontum Athenienſium *Faſti.* §. V. *Sero Faſtos* Archonticos *publicavit* Demetrius Phalereus; *ne tum quidem, ut videtur,* integros. §. VI. *Sero apud* Græcos *recepta ratio eſt committendi* Archontas Eponymos *cum* annis Olympiadum. §. VII. *Primi* Gentium *Græciæ* ſingularum *Annales* propriis *Gentis cujuſque* Magiſtratibus *conſignari ſoliti. Poſtea cum* Olympiadibus *Græciæ* univerſæ *Epocha commiſſi, ſed ſerius.* §. VIII. Olympionicarum

pionicarum *Fasti ab* Hippia Elienſi *primum* publicati. *Sed e* monumentis, *ante ejus tempora*, parum certis. §. IX. *Primus* ſingularum *Gentium* Magiſtratus *cum* Olympiadibus *commiſit* Timæus Siculus. §. X. Hiſtoriæ *Græcorum* antiquiſſimæ *nulla prorſus* fide *dignæ*. §. XI. Archiva *antiquiſſima* Sacra, *quarum præcipue* rerum *geſtarum* memoriam *continuerint*. §. XII. Anni *antiquiſſimi* forma *incertiſſima facit ut incerta admodum ſit Chronologia* temporum antiquiſſimorum. §. XIII. Hiſtoria, *ut* difficilis, utiliſſima *tamen*. XIV. *Laus* Camdeni. §. XV. Peroratio.

I. Exordium. LATITANTEM me, tenebriſque (quibus eram dignus) non modo *libentiſſime*, verumetiam *jucundiſſime* fruentem, veſtra, Academici, ſuffragia protraxerunt in publicum. Utinam nullo *veſtro*, chariſſimi, incommodo; *meo* certe graviſſimo, vel *verecundiæ*. Tam enim mihi *genius* eſt ab *honoribus* tantis alienus, quam & *merita* aliena ſunt. *Plotinum* olim in Cathedra *Profeſſoria* ex im-

pro-

proviſo adortus eſt *Origenes*, non quidem noſter ille *Chriſtianus* omnium celeberrimus, ſed *Gentilis* alius *Origenes*, qui tamen fuerit apud ſuos ſatis ipſe quoque celebris. Quid hic *Plotinus*? Medio nempe ſermone conticuit, voce faucibus hærente, vultu etiam rubore perfuſo, quod Auditorem haberet in Diſcipulorum ſubſelliis illum à quo ipſe potius fuiſſet erudiendus. Quid mihi itaque faciendum, Academici? Quo tandem *rubore* perfundendus, quas quæram *latebras*, non *unum* Auditorem habiturus, ut habuit *Plotinus*, *Origenem*, qui tamen ipſe ſim *Plotino* longe diſſimillimus?

II. *Hiſtoriæ* difficultas.

Terrent porro onerantque meam *verecundiam* non tanti modo, tamque periti, & tanto etiam numero *Judices*; verumetiam *facultatis*, in qua verſor, *officia* graviſſima, quæ *minus* etiam *peritis* cenſoribus, ſi minus eſſent etiam *benigni*, ampliſſimum ſuppeditare poſſent cenſurarum argumentum. Quot enim evolvendi *Libri*, qua Editi, qua MSS. *Hiſtoricorum* in omnium ætatum intervallis, pro *ſuo* cujuſque *Sæculo*? Quot etiam in *alieni Argumenti* Libris

quærenda *Hiſtoricorum* deperditorum quantivis pretii *Fragmenta*? Quot ſunt deinde luſtrandæ *Inſcriptionum Numorumque* gazæ? *Virium* illa *ſingularium* eſſe vix cenſebitis, *ætatiſque* non *unius*. Et tamen *Hiſtorici* partem vel *minimam* abſolvent. *Induſtriam* ejus illa exercebunt, aut fortaſſe *memoriam*. Quot reſtant deinde alia quæ *Judicium* ejus, quæ *acumen*, quæ *Solertiam*, exerceant? Secernendi erunt imprimis à *veris* genuiniſque veterum Libris Libri eorundem nothi atque *ſuppoſititii*. Tum & inter *genuinos*, ſæpe invicem *pugnantes*, ex *ætate*, *patria*, partium *ſtudiis*, explorandum cui potius fides adhibenda ſit. Hoc quoque admodum difficile eſt, & periculoſæ aleæ pleniſſimum, de primariorum Autorum fama atque exiſtimatione ſedere arbitros, & quo ſint in pretio habendi, & qui aliis anteponendi, & quibus demum in cauſis, quaſi pro tribunali pronunciare. Illud vero longe difficilius, ut *ſterilem* ſæpe atque *infœcundam* excolamus *Hiſtoriam*. Sunt enim Sæcula *Fabulis* deditiſſima, & tamen eadem *Scriptorum meliorum*, quibus refutari poſſint

ſint Fabulæ, proventu etiam infeliciſſima. Sunt porro monumenta ſuſpecta, ſunt penitus *conficta*, ſunt vera ſuppoſititiis duntaxat *interpolata.* Quam hic agendum caute, ne pro theſauris carbones obtrudamus? Periere optimorum Autorum Scripta nonnulla *univerſa*; Nonnulla habemus quidem, ſed *mutila*, ſed *confuſa*, nec *ſibi* invicem, nec cum *aliorum*, quos habemus, Hiſtoriis ſatis apte cohærentia. Quanto & hic *Judicio* opus eſt ut illa quaſi *Abſyrti* membra in ſuum quodque ſitum reſtituamus? Multæ denique ſunt, & quidem utiliſſimæ veritates *Hiſtoricæ* nullis Veterum proditæ *diſertis Teſtimoniis*, legitimis tamen certiſſimiſque colligendæ *conſequentiis.* Sed vero *Judicio* & illæ colligendæ acerrimo, ſagacitate etiam ſæpe ſubtiliſſima. Tantum abeſt ut noſtro muneri obeundo ſufficiant, quæ tamen nobis ipſæ quoque deſunt, *diligentia* indefeſſa, & quantumvis fida *memoria.*

III. *Chronologiæ* utilitas atque difficultas.

Ut reliqua miſſa faciamus, vel unæ illæ ſpinæ *Chronologicæ* contrarium ſatis manifeſto demonſtrant, quæ tamen ad *Hiſtorias* recte intelligendas, & ad vitæ uſum ac-

commodandas, omnino neceſſariæ ſunt. Detexit illa *Temporum* doctrina quamplurimos venerandorum Teſtium nominibus fallentes *Impoſtores*. Detexit illa elegantium quoq; Scriptorum vel *errores*, vel *fraudes*, vel manifeſta etiam ſæpe partium *ſtudia*. Detexit illa *cauſas* rerum geſtarum, & *eventus*, atque adeo univerſam narrationis ſeriem ; quæ niſi explorata habeatur, nulla erit *Hiſtoriæ* norma qua vera internoſcantur à falſis ; nullus erit Lectoris *fructus*, quem labi in *Ratiociniis* neceſſe erit,ni *Temporis*, pariter atque aliarum Circumſtantiarum, rationem habeat accuratam. Quin & *mores* quò alludunt Hiſtorici, & ſermonis *idiomata*, & *vocum* ſignificata, pro *Temporum* diverſitate ipſa quoque diverſiſſima, detexit eadem illa *Temporum* doctrina, e coævis nimirum Autoribus. Ut proinde *Hiſtoriæ* uſus fere nullus eſſe poſſit ſine *Chronologia*. Atqui illam quam plerunque *obſcuram* habemus atque *difficilem*? quam pauca ejus *ſolida* & *probæ fidei* fundamenta? quam fere omnem e *judicio* & ratiociniis *hauriendam*?

*Thu-*

IV. Annalium *Græcorum* fides nulla ante *Darium Hyſtaſpidem.*

*Thucydide* neminem antiquiorem habemus *Annalium* conditorem. Ante illum habebant tamen fortaſſe *Græci* Hiſtoriam, pro ſerie etiam *Annalium*, aliquatenus ordinatam. Sed vix puto *ullos* fuiſſe illis *Annales* ante expeditionem *Xerxis*, aut priorem fortaſſe illam aliam *Darii Hyſtaſpidæ*, & prælium *Marathonium*. *Cambyſis* ætatem qui attigerit *Hiſtoricum* unicum reperimus *Theagenem Rheginum*. Nec enim his accenſeo *Mythicæ* Hiſtoriæ Scriptores. A *Xerxe* fere incipiunt *Græcorum Hiſtorici*, nec puto aliquem eſſe, etiam qui perierit, qui multo illam Expeditionem ſuperarit. Raro admodum ad *Libros* provocat *Herodotus*, præſertim in *Hiſtoriis Græcorum*. Sed nec *Thucydides*, nec *Xenophon*. Nec altius aſſurgunt Annales *Diodori*, qui quidem extant, qui tamen *antiquiſſimos* vidit excerpſitque illorum temporum *Autores*. Nec altius quam à *Xerxe* Belli *Peloponneſiaci* origines arceſſit repetitque *Thucydides*. Nec vero altius exploratam illis ordinatamque fuiſſe *Hiſtoriam* res ipſa loquitur. Paulo illis tempo-

ribus antiquior erat *Cyrus*, quem certe ob res geſtas, ſecutaſque *Medorum* Expeditiones, *Græcis*, præſertim *Jonibus Aſiaticis*, oportuit fuiſſe notiſſimum. Et tamen *aliam* diverſiſſimamque invicem *Hiſtoriam* ejus tradunt, non modo *recentiores* illi *Græci*, quoſcunque ſecutus eſt *Trogus*, ſed & *antiquiores* proximique illis temporibus *Herodotus*, *Xenophon*, *Cteſias*. Unde illud, niſi quod, cum nullæ ſuppeterent illorum temporum *ſcriptæ* Hiſtoriæ, *Traditiones* ſeniorum *ore* traditæ *aliæ* fuerint atque *aliæ*?

V. Nec altius certi *Archontum Athenienſium* Faſti.

Nec multum ſuperant *Medica* illa tempora, *Athenienſium* Archiva. *Archontum* nominibus apud illos conſignari ſolita geſta conſtat *Annalia*. Atqui ab *Olympiade* demum LXXI. incipiunt tabulæ *Archontum* continuæ. Ante illam vix duo *Archontes Annales* occurrunt qui ſeſe invicem proxime exceperint. Sed hoc veterum monumentorum cladi imputandum forte cenſebitis. Et ego quoque ita cenſerem ni aliunde obſervaſſem vacillare plerunque, ante prædictam *Olympiadem*, quæ per *Archontes* inſtituuntur,

*Tem-*

*Temporum* ſupputationes. *Philoſophorum Græcorum* Natales obituſque *Archontibus* conſignaverant Autores illi vetuſtiores quibus uſus eſt *Laertius.* * Et tamen ægre aliquem *Philoſophum* obſervavi cujus *Natalis* illam præceſſerit *Olympiadem*, quin *varias* de ætate ejus tradiderint iidem illi Autores *vetuſtiſſimi* qui de *primis* ejus *Archontibus ultimiſque* conſenſerant. Unde id, quæſo, ni de *mediorum* intervallorum *Archontibus* diſſenſiſſent invicem illorum temporum monumenta?

VI. Sero Faſtos *Archonticos* publicavit *Demetrius Phalereus*; ne tum quidem, ut videtur, *integros.*

*Novum* hoc fortaſſe videbitur, Auditores, ipſaque adeo novitate *ſuſpectum*, adeo *recentem* fuiſſe *Græcis*, etiam ipſis *Athenienſibus Græcorum* omnium *doctiſſimis*, Hiſtoriam, ut ne

* *Laert. Thal.* p. 15. 25. 27. Natus *Thales* Archonte *Damaſia* teſte *Apollodoro*; mortuus *Olymp.* 58. annos natus 78. vel Autore *Soſicrate* an. 90. *Platonis* Natalis *Thargelion.* VII. aſſignatur, qui idem *Apollinis* Natalis habebatur, Archonte *Aminia*, quem *Ameinona* alii, alii *Epameinona*, alii *Epaminondam* appellant, voce nimirum ἐπὶ qua Magiſtratus tempus deſignatur, in partem nominis per errorem, ut videtur, accepta. Hunc anno IV. *Olymp.* 87. tribuunt Faſti. Mortuus eſt Archonte *Theophilo Olymp.* 108. an. IV. Sic rectè an. LXXXI. implevisse ſcribunt *Seneca* Ep. & *Cenſorinus*. Et tamen an. LXXXIV. conceſſit ei *Neanthes* teſte *Laertio.* Natus porro *Socrates Thargelion.* VI. natali *Dianæ*, Archonte *Apſephione*, quem *Olymp.* 77. ann. IV. vulgo tribuunt. Mortuus Archonte *Lachete* Olymp. 95. an. I. Nec longe abeunt qui annum ei LXX. concedunt, qui tamen niſi cœptus intelligi non poteſt, ſi quicquam ſani habeant recepti *Archontum* Faſti. Longius diſcedunt qui annos ejus numerant duntaxat LX. quales fuiſſe idem teſtis eſt *Laertius.* Et ſane pro *Apſephione Phædonem* eodem illo *Olymp.* 77. anno IV reponit *Diodorus.*

qui-

quidem *Archontum* feriem haberent, ad quam *Hiſtoria* exigenda erat, per illa tempora, minime fuſpectam. Sed mirari defnetis, fi & illud expenderitis, quanto adhuc fuerit recentior Faſtorum illa Archonticorum *Editio* in uſus *Hiſtoriæ Græcæ* publicos. Primus enim illos ex *Archivis* collegit ediditque, poſt tempora *Macedonica*, exeunte quinto circiter Sæculo *Olympico* quo præfectus eſt à *Caſsandro* Urbi *Athenienſi*, *Demetrius Phalereus*. Sed deſcripſit (inquietis) ex Archivis *Originalibus* ipſe *Demetrius*. Eſto. Nec tamen ita conficietur fuiſſe, vel in *Archivis* publicis, *integros*, atque omni ex parte *ſinceros*. *Piſiſtratidas* ἐνιαύσιον ἀρχὴν *Athenienſium* adminiſtraſſe teſtatur è *Piſiſtratidis* oriundus, proximuſque illorum temporum Traditionibus, *Thucydides*. Sic loquitur ille quaſi plures uno *Archontes* annui fuiſſent *Piſiſtratidæ*, cum tamen ne vel *unius* anni, quo *Archon* fuerit *Piſiſtratida*, memoriam conſervarint *Faſti Archontici*; Ne quidem junioris *Piſiſtrati* quem aliunde *Archontem* fuiſſe cognoſcimus. Quid ſi publico Senatus Populique *Atheni-*

*Athenienſis* Pſephiſmate *damnata* fuerit eorum *memoria?* Nihil certe haberet tale *Pſephiſma* alienum à receptis illorum temporum moribus atque opinionibus. Erat enim apud illos *Tyrannidis* & *nomen* odioſiſſimum, &, ſiquod aliud *Flagitium*, certe *piaculare*. *Damnari* ab illis ſolita piacularium nomina, jam alibi nos ex *Æſchine* obſervavimus. Atqui damnatorum *nominum* piacularis erat vel ipſa *commemoratio.* Quidni itaque eodem impetu quo *Harmodium* atq; *Ariſtogeitonem* Tyrannicidas ſtatuis redeuntibuſque annuis ſolennibus celebrandos Poſteris in omne ævum commendabant; *Tyrannos* ipſos eorumque *memoriam* omnem delendam conſtituerint? Sic fuerint eorum *Statuæ* omnes dejiciendæ atque conflandæ. Sic *nomina* e cippis aliiſque id genus omnibus *publicis* monumentis eradenda. Sic ſaltem ex *Archivis* atque *Faſtis*, quæ ſi *piacularia nomina* conſervarent, *Rempub.* ipſam piaculo conſtringere cenſebantur. Ita ſane factum videmus in Inſcriptionibus *Domitiani* atque *Commodi*, aliorumque *damnatæ memoriæ* Principum. Sic & in *Faſtis*

*Faſtis* Romanorum *Conſularibus Eutropii* Eunuchi nomen plerunque omiſſum obſervamus, quod *Faſtos* ipſos polluere cenſeretur *Eunuchus*, ut ait *Claudianus*. Sic, etiam ubi *Faſti* conſtant *Archontici*, legimus tamen ſæpe Ἀναρχίας ubi alii Ἄρχοντας habent, & quidem *Eponymos*. Sic *Olymp*. XCIII. anno I. *Euctemonem* Archontem exhibet *Diodorus*, quem tamen annum Ἀναρχίᾳ deſignavit non *Suidas* modo, verumetiam Autor vetuſtiſſimus *Theopompus*. Et rurſus Olymp. XCIV. an. I. vel Ἀναρχίᾳ vel *Pythodoro* Archonte deſignat *Xenophon*, qui illis ipſis vixit ſcripſitque temporibus. Vix eſt quod dubitemus quin è *Faſtis* publicis, nonnunquam illæ proceſſerint Ἀναρχίαι è quibus fuerint expuncti homines memoriæ damnatæ, è privatorum autem hominum recenti *memoria* Archontum ipſa *nomina*. Innumera porro iſtiuſmodi exempla poſſim è *Faſtis* proferre *Romanis*, ni veſtræ potius conſulendum cenſuiſſem patientiæ. Sic facile videtis, Academici, ut etiam ex *Archivis* publicis *Faſtos* tamen potuerit deficientiſſimos exſcribere *Demetrius*. Nec enim *Tyrannos* duntaxat

taxat ipſos expunctos veriſimile eſt, ſed & Tyrannorum *fautores* etiam atque *ſatellites*; ſed & alios quoſcunque, & quocunque demum nomine, *Populo* ingratos. Et quidem *defectu* plerunque, potius quam *exceſſu* peccare illos video Chronologos. Nec enim *Anarchiarum* deſignandarum (quod poſtea factum) uſum ſatis intelligebant, cum nulli adhuc eſſent Scriptores *Hiſtorici.*

VII. Sero apud *Græcos* recepta ratio eſt committendi *Archontas* Eponymos cum *annis Olympiadum.*

Sed *intervalla* ſua juſta conſervabant (inquietis) *Archontes* cum anno *Olympiadico*, ut videmus poſtea, compoſiti; ſic etiam ut ratio inde conſtiterit annorum *Anarchicorum*, nec illi quoque *anni* perire potuerint è receptis *temporum* ſupputationibus. Sic enim cum *annis*, quibus quiſque *Archon* fuit, *Olympiadum*, comparatos videmus *Archontas* apud *Dionyſium*, *Polybium*, *Diodorum.* Omneſque *Archontas* cum *Olympionicis* compoſuiſſe legimus *Steſiclidem Athenienſem*, teſte *Diogene Laertio.* Fateor ita facilè occurri potuiſſe illi, quam urgemus, temporum incertitudini quæ ab *Archontibus* oriunda erat, ſi

ſi quidem in *Originalibus* Athenienſium Faſtis *Archon* quiſque *Eponymus* cum anno, quo Magiſtratum geſſit, *Olympiadico* fuiſſet comparatus. Sed longe abeſt ut id fuerit de *facto* verum. Jam multæ præterierant *Olympiades* cum primum inciperet ratio ipſa numerandi per *Olympiadas*. Inde factum ut ne *primam* quidem norint *Olympiadem* qui primi omnium communem illam *Græciæ* univerſæ *Epocham* excogitarunt. Quam enim *primam* illi cenſebant, ea reverâ XXVIII[va]. *Iphitea* erat *Olympias*, vel XIV[ta]. cum tamen *Iphiteam* illam ludorum *Olympicorum* reſtaurationem exordium deſtinarent illi *novæ Epochæ* conditores. Irrepere vix potuit tantus error niſi e *longinquo* demum intervallo repetentibus. Nullius itaque rei geſtæ tempus *Olympiadibus* deſignaverunt Hiſtorici, qui quidem extant, *antiquiſſimi*. Non *Herodotus*, non *Thucydides*, ne quidem, ut exiſtimo, *Xenophon*. Sunt enim aliunde ſuſpectæ mihi quas in hodierno *Xenophonte* legimus *Olympiades*. Nullum reperit ea-

*Laert*. vit. *Xenophon*.

rum

rum exemplum in eo, quem tamen ſequitur imitaturque, *Thucydide.* Nec ſibi *conſtat* in hac cauſâ ipſe *Xenophon.* Unam alteramque memorat *Olympiadem*, ſic tamen ille ut longe ſæpius *omiſerit*, nec *mendæ* ſuſpicione careant *paucæ* quoque illæ quas memorat *Olympiades*, à veris temporum rationibus nonnunquam alieniſſimæ. *Librariis* itaque aut *ſtudioſorum* marginalibus annotamentis tribuenda iſta potius arbitror, quam ipſi *Xenophonti.* Sic fiet ut poſt *Olympiadem* præter-propter *centeſimam* nata fuerit ratio illa ipſa ſupputandi per *Olympiadas.* Ego quidem à *Timæo* ortum exiſtimo.

VIII. Primi *Gentium* Græciæ *ſingularum* Annales *propriis* Gentis cujuſque *Magiſtratibus* conſignari ſoliti. Poſtea cum *Olympiadibus* Græciæ *univerſæ* Epocha commiſſi, ſed ſerius.

Primæ nimirum antiquiſſimæque omnium Hiſtoriæ *gentium* erant Græciæ *ſingularum*, depromptæque adeo e propriis cujuſque *gentis Archivis.* Proinde illis *Magiſtratibus* deſignandæ erant quibus & *fœdera* publica, & ψηφίσματα, & id genus alia geſta, deſignari ſolebant *Archivis* recondenda. Sic enim conſtat *geſta* omnia *publica*, ex

eo

eo fere tempore quo *ſcriptis* mandari *Archiviſque* recondi ſolerent, *temporis* etiam quo geſta eſſent charactere inſigniri ſolita; nec alium fere ſolitum adhiberi *temporis* characterem quam *Magiſtratus* cujus nutu fuiſſent auſpiciiſque geſta. Sic enim accurate conſtabat *unde* geſtorum illorum, quæ vim Legum plerunque obtinebant, vigor omnis atque obligatio repetenda eſſet. Nec aliâ formâ *geſta publica* recitant *Oratores* quos habemus antiquiſſimi. Itaque *Archontibus Eponymis* geſtorum publicorum *annos* denotare ſolebant *Athenienſes*, *Bœotarchis Thebani*, ſuis *Argivæ Junonis Sacerdotibus Argivi*, Πρυτανεῦσι *Corinthii*, *Ephoris Lacedæmonii* aut *Regibus*. Et qui *proprias* cujuſque *gentis* Hiſtorias accuratâ temporum ſerie primi collegerunt ex *Archivis*, hi ſeriem *Magiſtratuum* continuam ex iiſdem depromſerunt *Archivis*; & quo *anno* cujuſque *Magiſtratus* res geſta eſſet, id quoque accurate annotandum cenſuerunt. Sequebantur alii *Hiſtoriæ* excultores qui *univerſalem* Græciæ *totius* Hiſtoriam in unum congererent. Hi *gentium ſingularum*

*gularum* coæva geſta in unos eoſdemque *annos* conſtringebant per *coævos* ſingularum *Magiſtratus.* Ita neceſſe erat ut ſingulis annis *Archontes Athenienſes* cum *Bœotarchis*, *Ephoris*, *Sacerdotibus Argivis*, Πρυτανεῦσι committerent, aliiſque *Temporum* Indicibus *Magiſtratibus*: Et (quia *Olympiades* Græciæ *univerſæ* communes erant) etiam cum *Olympiadibus*, & certaminum *Olympicorum victoribus*, quibus ipſæ inſigniri ſolebant *Olympiades*, præcipue vero *Stadionicis.* Sic enim invicem diſtinguebantur *Olympiades* (antequam inciperent *numerari*) per nomina *Olympionicarum.* Et ad honorem *Olympionicæ* id quoque attinebat ut *Ludi* illi per *Græciam* univerſam celeberrimi *nomen* ejus ferrent; eſſetque adeo, ut *Anni* apud *Athenienſes Archontes*, ſic, *ipſe* quoque *Olympiadis* Eponymus. Et quidem ratio illa omnium veriſimillima fuiſſe videtur cur tot prætermiſerint ab initio *Olympiades*, quod *Stadionicas* nullos primarum *Olympiadum* in publicis illorum temporum reperiſſent *Archivis* recentiores illi *Epochæ Olympiacæ* con-

 ditores.

ditores. Sic enim nulla erat ratio illas ſecernendi *Olympiadas*, cum ab *Olympionicis* ſolis *Eponymis* ipſæ noſcerentur *Olympiades*. Nec vero etiam a *Corœbo Olympionica* (cui *prima* hodiernæ ſupputationis aſſignatur *Olympias*) Faſtorum *Olympicorum* fides ſatis accurata conſtat. Primus memoratur [a] *Evanoridas Elienſis*, qui cum inter *Pueros curſu* victoriam reportaſſet, poſtea factus *Hellanodica Olympionicarum* nomina *ſcriptis* mandavit. *Publicis*, ut videtur, illis quæ fecit curavitque jam in *Magiſtratu* publico conſtitutus *Hellanodicæ*. Ita veriſimile erit ante illum nullos fuiſſe *Olympionicarum* Faſtos, ſaltem *publicos*. E veterum itaque *Traditionibus*, aut *cippis Statuiſque* pro re nata conſtitutis, repetendæ erant priorum *Olympionicarum* memoriæ, cum raræ admodum extarent, ſiquæ forte ullæ, *Scriptæ Hiſtoriæ*, quæ certe continuis *Olympionicarum* Faſtis fidem conciliare poterant admodum imbecillam. Atqui *curſus Puerilis* [b] certamen inſtitutum eſt *Olympiade* quæ à *Corœbo* numeratur XXXVII[ma]. qua tamen *O-*

a *Pauſan.* Eliac. II. p. 185. 29. b *Pauſan.* Eliac. I. p. 155. 13.

*lympiade*

*lympiade* vicit non noster *Evanoridas*, sed *Polynices*. Et L^{ma}. demum *Olympiade* primos constitutos legimus *Hellanodicas*. His itaque temporibus *juniorem* illum oportet fuisse *Evanoridam*. Quanto junior fuerit, e monumentis non constat hodiernis. Illud certum; *morem* ipsum scribendi nomina *Olympionicarum* in *Gymnasio Olympico* à *Lastratida* demum coepisse[a] *Puerilis* luctæ victoria, illisque adeo *Puerilium* certaminum initiis fuisse recentiorem.

IX. *Olympionicarum* Fasti ab *Hippia Eliensi* primum *publicati*. Sed è *monumentis*, ante ejus tempora, *parum certis*.

Scripsit nimirum, collegitque *Olympionicarum Fastos* primus ille, ut videtur, *Evanoridas*. Non tamen ille in usus *Temporum*, sed studio duntaxat *incitandæ virtutis*. Proinde in *Archivis* duntaxat, aut *Gymnasii* cippis, aliisve *publicis* id genus *monumentis*. Edidit in *publicum*, usibusque *Chronologorum*, ut videtur, aptavit *Hippias Eliensis*. Idem nimirum, ut puto, *Hippias*, à *Platone* sæpe memoratus, *Eliensis* ille, ut fuit noster, & *Sophista*, & *Ludorum Olympicorum* studiosissimus. Quicunque

a *Pausan.* El. p. 183. 24.

tamen is fuerit, ſero illum, nec ullis *certis* ad fidem faciendam *Argumentis*, ediſſe teſtis eſt [a] *Plutarchus*. Quod nempe morem illum *Olympionicas* publicis mandandi monumentis *ſero*, nec *bonis* ipſe probatæque fidei fultus *Argumentis*, inchoarit *Evanoridas*. *Temporum* itaque norma incerta ſit oportet in *primis Olympiadibus* Epocha illa *Olympiadum*, ab *Olympionicis* deſignata, ipſis etiam incertiſſimis. *Daiclem* certe ab *Iphito* ipſo, teſte [b] *Phlegonte* coronatum, *Olympionicam* à *Corœbo* VII. perperam numerabant Faſti [c] *Græcorum* recentiorum. Quis itaque præſtabit fidem non alios quoque *Corœbo* antiquiores *Olympionicas* fuiſſe etiam ſimiliter intruſos? Quis etiam *Olympiadum* ἀνολυμπιάδων (ſic enim appellabant *Elienſes* ſi qui alii *Græci* Ludis *Olympicis* præfuiſſent) rationem habitam præſtabit accuratam? VIII. certe *Olympiadem*, & XXXIV. & CIV. ἀνολυμπιάδας cenſebant *Elienſes*. Quod ſi & alias prætermiſerint ἀνολυμπιάδας *Olympiadas*, quibus Ludi non *rite* celebrari cenſerentur; nec tamen id ſaltem annotarint, fuerint nec-

a *Plut.* Num. p. 60. B. Ed. Francofurt. b *Phleg.* Fragm. *Meurſ.*
c *Dionyſ.* Halic.

ne

ne ἀνολυμπιάδες, cum uſum adhuc earum nullum in *temporibus* intelligerent? Quid ſi etiam Ludorum illorum *Olympionicas* e Faſtis *publicis* excluſerint, quos ipſi *Ludos* irritos habebant, cum tamen *Olympiadum* numerum non aliunde colligerent quam ex *Olympionicis*? ſic ratio illa *Temporum* omnis vacillabit quæ per illas deſignatur *Olympiadas*.

X. Primus *ſingularum* Gentium *Magiſtratus* cum *Olympiadibus* commiſit *Timæus Siculus*.

Ergo *Æræ Olympiacæ* fides tum demum incipit *certa* eſſe, cum in uſum reciperetur *publicum*, deſignandorum *temporum*. Primus autem, ni fallor, illam introduxit *Timæus Siculus Tauromenitanus*. Scriptor equidem *Maledicentia* infamis, cui tamen ortum debuerit *Chronologia*, omniſque adeo *accurata* deinceps *Hiſtoria*, ne *Styli* laudem memorem, qua *Thucydidem* æmulatus eſt. Collegerat ante illum Succeſſionem *Sacerdotum Argivorum Hellanicus*, *Regum Lacedæmoniorum Ephorus* Hiſtoricus, & forte *Ephororum*, quos ille ambos excerpſit, addiditque præterea *Sacerdotibus Argivis Regibuſque Lacedæmoniis* de ſuo ipſe *Archontas Atheni-*

*ensium Demetrii* fortaſſe (uti dixi) *Phalerei,* commiſitque cum *Olympiadum* Eponymis *Olympionicis*, nempe *Stadionicis*. Illum deinde alii recentiores imitati ſunt, *Polybius*, *Dionyſius*, *Diodorus*. Sic tamen illi, ut raro annum *Olympicum* deſignent alium quam quo *Ludi* ipſi *Olympici* celebrati ſunt; & raro *Magiſtratus* alios temporum indices cum *Olympiadibus* conferant quam *Archontas Athenienſes*; nec fere alios memorent *Archontas*, quam illos annorum *quaternorum* ipſos etiam *quaternos*. Ita factum ut Hiſtoriam *Græcam* quaternorum annorum confuderint plerique *Temporum illorum* Scriptores, ut quid *quoto* quaternarii *anno* ſit geſtum non adeo diſtincte aperteque deſignarint. Vacillet itaque neceſſe eſt fides *Epochæ Olympicæ* in antiquioribus *Timæo* ſupputationibus, tantumque abeſt ut recte exigi emendarique poſſint rationes Temporariæ *Magiſtratuum* ex annis *Olympiadum*; ut potius viceverſa, ſiqui forte errores in *Magiſtratuum* calculos irrepſerint, iidem neceſſario in *Olympiacas* horum temporum rationes redundaturi ſint. Si enim laxiora

ra

ra *Magiſtratibus* juſtove arctiora aſſignentur, alium retrorſum numerata illa ſpatia aliumque deſignabunt *annum*, quam oportuit, etiam *Olympiacum*. Ita prorſus inutilis eſt in horum Temporum omni *Chronologia* excolenda Epocha illa *Olympiadum*.

XI. *Hiſtoriæ* Græcorum *antiquiſſimæ* nulla prorſus *fide* dignæ.

Nimis itaq; *liberaliter* cum *Græcis* egit *Varro*, egerunt *Patres* Eccleſiæ antiquiſſimi, qui ab ipſis ſaltem *Olympiadibus* certam eorum inchoarent *Hiſtoriam*. Nec tamen ea liberalitate contenti *Græci*. Diu etiam ante *Olympiadas*, ante excidium *Trojanum*, ante Bellum *Thebanum* duplex, tam *Septemvirale* illud *prius*, quam etiam *Epigonorum*, *Regum* nobis ſeries obtendunt, & quot quiſque *annos* tenuerit, habere ſe jactitant in explorato. Sed qua tandem *monumentorum* fide? Imo vero quæ tandem monumenta illis eſſe *poterant* ante *Cadmum*, à quo ipſi *literas* gloriantur inventas? quæ vel in *Stelis Archiviſque* publicis? *Antiquiſſimam* certe, quæ ſua ætate extabat, Inſcriptionem de *Amphitryone* memorat *Herodotus*. Et tamen *Sicyoniorum* Re-

gum ſeriem obtrudunt nobis *antiquiſſimam*, multiſque ante *Cadmum* Sæculis, quam tamen nemo (quod quidem ſciam) tradidit antiquior *Apollodoro*. *Plato* certe ignoravit, qui res *Phoronei Argivas Græciæ* credidit univerſæ *antiquiſſimas*. *Lucretius* inde *Mundi initium* aſtruit, nec ipſum admodum *antiquum*, quod *Thebano Trojanoque Bello* nullum *monumentum* extaret *antiquius*. Et vero prima illa quæ per *Generationes* inſtituitur *Chronologia* per ſe ipſa prodit, nihil fuiſſe de *Singulis* Regum *annis* exploratum. Rudis illa fuit, atque admodum incerta, nec certe prorſus uſurpanda, ſi quidem certior ulla fuiſſet accuratiorque numerandi ratio. Cur enim *Generationibus* ſingulis certum aſſignarent ſimilemque *annorum* numerum, ſi quidem *annos* ipſos quibus ſingulæ tenuerint, aliæ nimirum aliis longæviores *Generationes*, habuiſſent exploratos? Cur pluribus paucioribuſve *annis* Generationes illas cenſerent, alii XXV. alii XXX, *ternas* alii *Generationes* ſingulis attribuentes *annorum Centenariis*? Lippientium erant hæ, ſi non plane cæcutientium, de

rebus

rebus alioqui admodum incompertis conjecturæ.

XII. *Archiva* antiquiſſima *Sacra*, quarum præcipue *rerum* geſtarum *memoriam* continuerint.

Ergo *monumenta* nulla prorſus expectanda ante Bella *Thebana*, nulla *ordinata* Hiſtoria ante illam quam dixi *Epocham* primorum *Hiſtoricorum*, nulli *continui Annales* ante continuam *Magiſtratuum temporaneorum* ſeriem. Sed ne *materia* quidem *Hiſtorica* eſſe potuit ante *monumenta* publica, ante *Archiva*, ante inſtitutos iſtiuſmodi *Magiſtratus* quorum fidei mandanda erat Archivorum *cura* atque *cuſtodia*, nec vero aliarum *rerum* quam quæ ad illos ſpectarent *Magiſtratus*. Cura autem illa *Archivorum* ad Ἱερομνήμονας ſpectabat ut plurimum. In *Templis* enim reponi (pro *illorum Temporum* diſciplina) ſolebant *Legum* κύρβεις, *Fœderum Induciarumque* χαλκώματα, Βȣλῆς & Δήμȣ, *Magiſtratuumque publicorum* ſeu Διατάξεις, ſeu Δόγματα, ſeu Ψηφίσματα, etiam *publica Sacrificia*, ſeu per *vices* ſolennes redeuntia, ſeu pro re nata *indicta* atque *inſtituta*, atque hac occaſione *Panegyres* cœtuſque publici, cœtuumque publicorum *geſta*. Hæc, inquam,

atque

atque his ſimilia *Sacra Sacris* mandari ſolebant *Archivis, ſacris* adeo cuſtodienda *Magiſtratibus*. Hinc illæ temporum in *Archivis* illis deſignationes, quod *Magiſtratuum*, quorum *auſpiciis* res geſtæ eſſent, eſſent etiam (per illorum temporum diſciplinam) *temporibus* utique conſignandæ; nec vero fas eſſe, per eandem diſciplinam, gravioris momenti res geri *inauſpicato*. Nec fere alia in illorum temporum *Chronologia* deſignata legimus, quam quæ *Sacris* eſſent inſignienda ſolennibus. *Regum* annos inſignes fecere *Sacra Natalitia* annua ab *antiquiſſimis*, ut e *Pharaonis* Hiſtoria intelligimus, celebrari ſolita temporibus. *Coloniarum annos* notabant *Auſpicia* in *Coloniarum* ipſa deductione, & prætera θεωροὶ quotannis ad *Metropoles* cum *Sacrificiis* mittendi. De *Legibus Induciiſque* jam diximus.

XIII. *Anni* antiquiſſimi *forma* incertiſſima facit ut incerta admodum ſit Chronologia *Temporum antiquiſſimorum*.

Ita *geſta* nonnulla, geſtorumque *annos*, ex *Archivis* plerumque *publicis* primi colligebant Hiſtorici. Ut tamen *veracia* illa ſupponamus *Archiva*, non inde ſequitur de *primis*

*primis* illis *antiquiſſimiſque* temporibus accurate poſſe pronunciari. Siquid *ſani* illis inſit rationibus, id totum retroactis ſupputationibus debeatur oportet. Ita nimirum ex *Anni* ſibi coævi forma, non *annum* modo, ſed *Anni* etiam *menſem*, menſiſque *diem* colligebant recentiores *Græci*, teſte *Dionyſio Halicarnaſſæo*, quo *Troja* fuerit exciſa. Imo *Lunæ* etiam *ætatem* collegiſſe Anonymum *parvæ Iliadis* Poetam docet *Clemens Alexandrinus*. Sic etiam coæva *Græcorum*, *Patriarcharumque* tempora colligunt *Patres* antiquiſſimi, eoſque pro *coævis* habent quibus *commercium* erat prorſus nullum, nec *geſta* aliqua *Hiſtorica* quibus coævi *probarentur*, quod ſcilicet *pares* utrobique *annos* à *temporibus exploratis* complecterentur *retrorſum* actæ illæ, de quibus agimus, ſupputationes. Recte nimirum illi, ſi verum id fuiſſet quod illi verum ſupponunt, *pares* nimirum *conſentienteſque* invicem fuiſſent *gentium* omnium *Regumque* anni. Sed multa jam fluxerant *Sæcula* priuſquam veram, aut vel unam, *Anni formam* gentes etiam politiſſimæ haberent explo-

ratam.

ratam. *Anni* aliis erant *menstrui*, aliis *bimestres*, *trimestres*, *quadrimestres*, *quinque* aliis aut *sex decem mensium*. Qui *mensibus* duodenis *annum* metirentur, erant tamen ipsi quoque invicem diversissimi. *Menses* illos intelligebant utplurimum *Lunares* propter *Sacra* vulgo celebrari solita in *Noviluniis* atque *Pleniluniis*. Illos tamen *menses* nunc XXIX diebus universos, nunc XXX, nunc *alternis* (ut factum postea) XXIX diebus & triginta censebant. Ne dicam de *mensibus* etiam *intercalaribus*, & *Ciuilis* anni *Solaris* quoque rationibus, pro *gentium* diversarum moribus, ipsis quoque admodum diversis. Spatium *Temporis* impar designabit par numerus *annorum* tam *imparium*, enormius illud quo fuerit numerus ipse major. Sic fallent anni *gentium diversarum* invicem commissi. Sed ne quidem in *ejusdem gentis* Chronologia certa obtinebat semper eademque *Anni* forma. *Græcis* ipsis, de quibus agimus, diversis temporibus *diversa* erat antequam tandem reciperetur *Juliana*. Paulo ante *Julianam*, *menses* observabant *cælestes* à Signis *Zodiaci*, ut e *Dionysii*

Astro-

Aſtronomicis Obſervationibus colligo quarum meminit *Ptolemæus*, & e *Gemino*, aliiſque *menſium Græcorum* Indiculis. Sed *Periodis* annorum *Calippicis* Obſervationes ſuas deſignavit *Hipparchus*, ut ne dubitemus *anni formam* à primæ Periodi *Calippicæ initio* fuiſſe ipſam etiam *Calippicam*. Ante *Calippicam* forma Anni obſervata eſt *Metonica*, teſte *Diodoro*. Ante *Metonicam* ſub *Solone* forma Anni obſervata eſt *Solari Juliano* X fere diebus auctior, ut ex Autore exceptione majori diſcimus *Herodoto*. Fallent itaque ſupputationes illæ, quas dixi, *Græcorum* ad tempora uſque *Trojana*. Fallent & aliæ illæ *Scaligeri*, qui unam eandemque *Græcis* putavit Anni fuiſſe *formam* uſque ad *initium* ſaltem *Olympiadum*. Ne jam & illud adjiciam, totam illam quam finxit Vir Magnus *Anni Græci* formam gratuitam eſſe, atque plane ſuppoſititiam.

XIV. *Hiſtoria*, ut *difficilis*, *utiliſſima* tamen.

Sic itaque oſtendimus, Academici, quam ſit noſtra Provincia difficilis, quamque ſit proinde à nobis horrenda atque tremenda. Specimen dedimus in *Græcis* antiquiſ-

quiſſimis omnium (ſi quidem ipſis fides) accuratiſſimiſque *Hiſtoriæ* venditatoribus. Et tamen *difficultatem* tantam *utilitas* abunde compenſat. *Hiſtoriæ* nimirum illuſtriſſima debemus, atque omnibus numeris abſolutiſſimæ *virtutis exempla*. *Hiſtoriæ*, utiliſſima Humanæ vitæ *experimenta*; *Hiſtoriæ Leges, Politias, Strategemata*; *Inventa* etiam, in omni Vitæ inſtituto, clariſſima. *Hiſtoriæ*, *morum* hodiernorum, *dogmatum*, *Legum*, *Conſuetudinum* rationes & *Origines*, quas ſi quis neſciat, is nullo cum *judicio* aut *fructu* in eorum ſtudio verſetur oportet.

XV. Laus *CAMDENI*.

Sic intelligimus quanto generis *Humani* beneficio *Hiſtoriæ* hanc, quam tenemus immerentes, Profeſſionem fundarit dotaritque celeberrimus *CAMDENUS*. Non *unam* certe devinxit *gentem*, aut *Sæculum* unum, aut *unius Profeſſionis* homines, qui *gentium* omnium, *Sæculorumque*, tot etiam *Profeſſionum* hominibus, *militiæ*, *Juris*, *Reipublicæ*, ſtudioſis *utilem* ornari voluit *Hiſtoriam*. Debent reliqui Heroes *Hiſtoriæ*, quod memoriam habeant famamque poſt fata ſuperſtitem:

*CAM-*

*CAMDENO* immortalitatem *ipſa* debet *Hiſtoria*; à *vivo* ſtrenue locupletata, à *mortuo* etiam in æternum locupletanda.

Me tamen *terret*, uti dixi, *verecundia* imbecillitatis meæ conſcia, ne *veſtræ* poſſim *expectationi*, ne illuſtriſſimi *CAMDENI votis*, pro dignitate reſpondere. Et viceverſa *reficit* eadem me quæ terruerat *verecundia*. Quid enim? Damnemne ego, quem vos idoneum cenſuiſtis? aut amovebo ab Officio, quem Vos admoviſtis officio? Non audeo, Academici, non facio. Cedo hic nimirum, do manus, victum me agnoſco. Hoc tamen, quaſi jure quodam meo, ſperare poſſe videor; fore ſcilicet, ut victoria clementer utamini; & quod mihi onus ſupra vires impoſuiſtis, illud faciatis, quam fieri poteſt, veſtro candore atque æquanimitate, leviſſimum. XVI. Peroratio.

*Prælectio*

# *Prælectio Proœmialis* I.

OCTOB. 19. 1688.

Delectus *Auctorum prælegendorum.* § I. *Horum Auctorum Historia quam* utilis. §. II. *Præsertim constitutis ab Academiâ Scholæ nostræ* Auditoribus. §. III. *Ea tamen quam sit* difficilis. §. IV. *Horum Auctorum* Ordo *quam sit in Codicibus MSS. receptisque Editionibus,* perturbatus. §. V. *Verisimile non est ab ipsis* Auctoribus *eam fuisse* confusionem. §. VI. VII. *Quodnam fuerit novum consilium* Vulcatii *in locupletando* Spartiano. §. VIII. Diversorum *Auctorum notæ, in* primis *quoque hujus Collectionis vitis, apparent, usque ad* Alexandrum *Severum.* §. IX. *Certum est* Ælii Veri *Auctorem fuisse* Spartianum, *& proinde etiam* Hadriani; *& quidem Imperante* Diocletiano. §. X. *Verisimile est ejusdem etiam esse* Pium. §. XI. *Et* Marcum. §. XII. *Et* Verum *Imperatorem.* §. XIII. *Et* Commodum. §. XIV. *Et* Pertinacem *&* Didium Julianum. §. XV. Avidii Cassii *alius, ut videtur, erat Auctor.* §. XVI. *Vel scripserit itaque* Cassii *vitam ante* Spartianum Vulcatus; *vel consilium* Spartiani Tyrannis *duntaxat addendis voluit augere* Vulcatius. §. XVII.

I. *Delectus* Autorum prælegendorum.

TAndem aliquando, Academici, bono cum Deo, Provinciam quam imposuistis aggredior. Est autem ea ut *Florum*, aut alium aliquem [a] *antiquioris & melioris notæ* Historicum

[a] Verb. Statut. Tit. 4. §. 4.

præ-

prælegam, meiſque Obſervationibus illuſtrem, atque clariorem faciam. *Florum* itaque non ita præcipiunt, quin ex aliorum illuſtrium Hiſtoricorum claſſe delectum permittant Statuta Academiæ. Ego Corpus illud Hiſtoricorum Latinorum eligendum cenſui, qui vulgo in unum leguntur compacti volumen ſub titulo Hiſtoriæ Auguſtæ, *Ælium* nempe *Spartianum*, *Ælium Lampridium*, *Vulcatium Gallicanum*, *Julium Capitolinum*, *Trebellium Pollionem*, & *Flavium Vopiſcum.* Imperatorum vitas conſignaverunt illi a fine *Trajani* ad initium *Diocletiani*, ab anno nimirum Æræ vulgaris *Chriſtianæ* CLVII°. ad annum ejuſdem Æræ CCLXXXIV^m^. annorum ſcilicet CLXVII^m^. ſi quidem integri ſincerique ad manus noſtras perveniſſent.

II. Horum Autorum Hiſtoria quam *utilis.*

Tempora certe illa, ſiqua alia, ſcitu digniſſima ſunt, tam *Belli* nimirum, quam *Pacis* artibus. Rem enim *militarem* ſi ſpectemus, Imperatores hic habemus bellicoſiſſimos, *Marcum*, *Severum*, *Alexandrum*, *Maximinum Thracem*, *Gordianum*, *Decium*, *Claudium*, *Aurelianum*, *Probum*, *Carum*, & *Numerianum.* *Pacis* item artibus clariſſimos, *Hadrianum*, *Antoninum* utrumque, tam *Pium* quam *Marcum*, *Severum*, *Alexandrum.* His itidem iiſdem temporibus Religio noſtra *Chriſtiana* longe lateque, per orbem, qua patebat, *Romanum* univerſum diſſeminata eſt. His ortæ *Hæreſes*, ortæ *Perſecutiones*, Eccleſiam tamen *Catholicam* illuſtriorem indies atque locupletiorem faciebant, florentiſſima *Diſciplinæ* puritate, *Fidei* Orthodoxæ zelo, *Martyrij* ſtudio flagrantiſſimo, Catholicæ *Pacis Communioniſque* concordia, nequicquam frendentibus infenſiſſimis Fidei Adverſariis, ubique conſpicuam. *Theo-*

*logis* itaque horum temporum cognitionem oportet longe eſſe gratiſſimam. Sed repreſſit noſtram hoc in loco operam ipſe CAMDENUS, nolens *Eccleſiaſtica* niſi obiter à nobis attingi.

III. Præſertim conſtitutis ab Academia noſtræ Scholæ *Auditoribus.*

Propius facit ad commendandum horum temporum ſtudium noſtræ Scholæ Auditoribus, quod *Juris Civilis* ( quale Nos habemus ) primas fere complectantur *Origines*. Ab *Hadriano* cœpit Codex *Gregorianus*, eorum omnium antiquiſſimus quibus uſus eſt in novo *Juſtiniani* Codice concinnando *Tribonianus*. Ab iiſdem *Hadriani* temporibus incipiunt etiam *Juriſconſulti*, quorum legimus Reſponſa in *Pandectis*. Illos nimirum intelligo *Imperatores*, quorum *Edicta* ipſis eorum *verbis* concepta legimus. Illos item *Juriſconſultos*, quorum Libros excerpſit ipſe *Tribonianus*, & quorum Catalogum *Pandectis* præfixum hodieque conſervamus. Obiter enim antiquiorum tam *Imperatorum Edicta*, quam *Juriſprudentum ſententias* in recentioribus hiſce Imperatorum Edictis Reſponſiſque Juriſconſultorum memorari fateor. Excerpſit præterea Tribonianus *Alpheni Vari Digeſta*, ſed non qualia ipſa ſcripſerat *Varus*, ſed à *Paulo* in *Epitomen* redacta. Excerpſit etiam *Antiſtii Labeonis* Πιθανὰ, & *Poſteriora*, ſed & illa quoque recentiorum *Hadriano* Juriſconſultorum opera in illam quam habebant tempore *Triboniani*, formam redacta. Πιθανὰ enim *Paulus* notis ſuis illuſtraverat, *Poſteriorum Epitomen* fecerat *Jabolenus*. Quare nihil obſtat quo minus *originem* quandam deduxerit Jus hodiernum, de quo agimus, *Civile Romanorum* à temporibus *Hadriani*. De quo tamen Nos plura ſequentibus fortaſſe Prælectionibus. *Digna* itaque

hæc

hæc tempora quæ cognoſcantur ab *Artium Baccalaureis*, & neceſſaria eadem quæ non ignorentur à *Civilis Juriſprudentiæ* ſtudioſis. Proinde ſpero fore ut meum hoc conſilium à vobis, Academici, comprobetur.

IV. Ea tamen quam ſit *difficilis.*

Sic equidem *jucunda*, ſic ſcitu *digna*, horum Temporum eſt Hiſtoria. Eſt tamen eadem quæ ſciatur longe *difficillima*, quæque adeo curam diligentiamque quibus excolatur, non mereatur modo, verum etiam poſtulet, accuratiſſimam. Difficilis eſt ( ut [b] alibi obſervavimus ) horum Temporum Hiſtoria, pauciſque admodum monumentis tradita. Difficiles *Faſti Conſulares*, quos adhibent *Latini* plerique vitioſiſſimos. Difficilis *Chronologia*, nec fere niſi è *Faſtis emendatis*, & quidem ope *Inſcriptionum Numorumque*, & longo demum *ratiociniorum* circuitu, eruenda. Difficilis horum Autorum & *Stylus*, conciſus admodum, &, quid ſibi velint Autores, ægre tandem, multiſque per Lectorem ſequelis colligendis, exprimens. Præivit in ſuperiorum Imperatorum vitis eodem illo ſtylo [c] *Suetonius*, cujus exemplo reliquas ſequentium Principum vitas exaratas eſſe teſtis eſt [d] *Vopiſcus*. Sub *Trajano* certe ( quo ſcripſit Imperante, vel forte *Hadriano*, *Suetonius* ) ſtyli illum, qui videbatur, *Laconiſmum* affectaſſe videmus quotquot habemus *illorum temporum* Scriptores, *Cornelium Tacitum*, *Plinium* juniorem, & *Lucium Florum*. Nec ſtyli modo *brevitate* difficiles illi ſunt quos tractamus Hiſtorici, ſed *methodo* quoque narrationum admodum perturbata. Rari hic occur-

*b* Diſſ. 3. ad *Iren.* Sect. 1, 2. *c* Capitol. *Max.* & *Balb.* c. 4. *d* Vopiſc. *Prob.*

runt *Annales*; ſed ne quidem res geſtæ, pro ea qua geſtæ ſunt *ſerie*, diſpoſitæ. Sed per ſumma capita quæque, ut Scriptori occurrebant, recenſentur, quaſi nimirum ſubſidia *memoriæ* ſuæ repetenti, potius quam vere geſtam, in uſum poſterorum, conſignaturo monumentis Hiſtoriam. Sic repetunt nonnunquam Imperatoris *ſtirpem*, nunc *morum* futurorum in prima quoque ætate *ſigna*, nunc geſtos in Republica ante Imperium *honores*, nunc ipſa Imperii *omina*, nunc *geſta* ejus, nunc *Apophthegmata*, nunc *indolem* experimentis aliquot elucentem, tandem *mortem* ejus, & mortis nonnunquam *occaſionem*, & decretos poſt mortem *honores*, aut nonnunquam *infamiam*. Sic enim ante illos *Suetonius*. Sed vero hæc ad *temporum*, geſtarumque rerum, *ordinem* redigere, hoc eſt quod dixi eſſe difficillimum.

V. Horum Autorum *Ordo* quam ſit in Codicibus MSS. receptiſque Editionibus *perturbatus*.

Ante tamen quam ad Textum Hiſtoricorum noſtrorum accedamus, nonnulla erunt de Libris ipſis neceſſario in anteceſſum præmonenda. Quatuor primos ſic invicem permiſcent Editiones hodiernæ, ut ægre admodum internoſcamus, ante Additamenta *Pollionis* & *Vopiſci*, quis ſit qui loquatur, an *Spartianus*, an *Lampridius*, an *Vulcatius*, an *Capitolinus*. *Hadrianum* quidem & *Ælium Verum* aſſignant *Spartiano*, *Pium*, *Marcum*, & *Verum Marci* ſocium (quem *Imperatorem* appellant) *Capitolino*, Avidium Caſſium *Vulcatio Gallicano*, *Lampridio* Commodum, *Capitolino* Pertinacem; tum *Spartiano* rurſus Julianum, Severum, & Nigrum; *Capitolino* tamen Albinum; Iterum *Spartiano* Caracallam atque Getam, *Capitolino* Macrinum, *Lampridio* Diadumenum, Heliogabalum,

gabalum, atque Alexandrum Severum; *Capitolino* denique Maximinos duos, Gordianos tres, Maximumque & Balbinum. Sed priores tres *Spartianum, Vulcatium, Lampridium*, in unum conflant Eruditi *Spartianum.* Sic autem diſtribuit *Salmaſius* ut priorem Imperatorum vitas ad *Alexandrum* uſque *Severum* credat ſcripſiſſe *Spartianum*; illi deinde ſucceſſiſſe *Capitolinum*, & *Capitolino Pollionem* nunc putat à XXX *Tyrannis*, nunc vero (melius à *Vopiſco* eruditus) à *Philippis.*

VI. Veriſimile non eſt ab ipſis *Autoribus* eam fuiſſe *confuſionem.*

Et quidem veri longe diſſimillimum eſt ſic invicem labores ſuos immiſcuiſſe tam diverſos illos (ut volunt) Autores, nec ulla tamen Præfatione conſilii ſui rationem reddidiſſe. Ait [e] *Spartianus*, ſibi *propoſitum omnes qui poſt Cæſarem dictatorem* &c. *vel Cæſares, vel Auguſti, vel Principes appellati ſunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii aut parentes Cæſarum nomine conſecrati ſunt, ſingulis Libris exponere.* Idem *Vulcatius* iſte, quem appellant, [f] *Gallicanus*: *Propoſui,* (inquit) *Diocletiane Auguſte, omnes qui Imperatorum nomen ſive juſte ſive injuſte habuerunt, in literas mittere, ut omnes purpuratos Auguſtos cognoſceres.* Scripſit uterque dicavitque (ſi titulos iſtos audiamus) unius ejuſdemque Argumenti Libros eidem *Diocletiano*; ſic tamen ambo, ut alter alterius conſilium neſcierit. Si enim alter alterius ſcripta vidiſſet, cur quæſo operam ipſe ſupervacuam in *eodem* poneret *Argumento*? Cur quæſo nullam ſaltem rationem aſſignarit cur operam ſuam non crediderit *ſupervacuam*? Cur nihil in ſuperiori Scriptore *prætermiſſum*

e Vit. *Ælii Veri* fin. f Vulc. *Gall.* Vit. *Avid. Caſſ.* c. 3.

*missum* obſervarit quod *ſuæ* debiturus eſſet Lector *induſtriæ*? Tantum vero abeſt ut hæc præſtiterit alteruter, ut ne quidem Scripta de eodem illo Argumento recentia, nec Scriptoris nomen, vel levi aliqua ſignificatione prodiderit. Et tamen fieri vix poteſt ut ſub eodem Principe de eodem Argumento ambo ſcripſerint, nec tamen alter de alterius conſilio reſciverit.

VII. Ut vero hæc ita fuiſſe concedamus, (quæ facile concedi non poſſunt) adhuc ratio nulla veriſimilis apparet, cur *diſſitorum* invicem Principum ſcripſerint vitas, & *mediorum* vitas omnino neglexerint. Non certe deſiiſſe in *Ælio Vero* Spartianum vel inde conſtat, quod & alias ſequentium Principum vitas eidem tribuant *Spartiano* non modo *Editiones*, verum etiam *Codices*, & quidem magno utrobique *conſenſu*, hodierni. Cur itaque *medios* illos Principes omitteret à *Capitolino* vel *Vulcatio* interpolandos? Dedita illos opera omiſſos ne credamus, vetant verba ipſa *Spartiani* a nobis modo recitata. Omnes enim tam *Cæſares*, quam *Auguſtos*, quam *Principes*, tam *filios Imperatorum* quam *Parentes* pollicitus eſt verbis quibus potuit diſertiſſimis. Nec vero *morte* interpellatum quo minus ulterius in opere ſuſcepto progrederetur, oſtendunt vitæ Cæſarum *recentiorum*. Ergo *medias* illas Cæſarum vitas *periiſſe* ſuſpicabimur? Sed & illud difficile eſt, ſalvis *extremis*, medias omnino perire potuiſſe. Et illud adhuc longe difficilius tam brevi temporis, ex quo ſcriptæ erant, ſpatio periiſſe, ut nec viderint illas *coævi* Spartiano ipſi *Vulcatius* & *Lampridius*, nec paulo junior *Capitolinus*. Quod ſi & *medias* quoque illas Imperatorum vitas ſcripſerit *Spartianus*, & compertas habuerint *Vulcatius*, *Lam-*

*pridius*,

*pridius*, atque *Capitolinus*; quam tandem fingemus cauſam cur vitas illas à *Spartiano* conſcriptas *excluſerint*, aliaſque à *ſe* elaboratas in illarum locum repoſuerint? Dici certe non poteſt id minus *honorificæ* de *Spartiani* lucubrationibus *opinioni* imputandum, cujus tot alias vitas in cenſum ſuum retulerint. Quid ergo? *Melioribuſne monumentis* uſos arbitrabimur quibus Hiſtoriam *Spartiani* auctiorem fecerint, eaque explorata habuerint quæ non habuerit ipſe *Spartianus*? Sed iſtiuſmodi monumentorum nulla uſpiam comparet *vola* aut *veſtigium*, nulla certe *mentio*, etiam ubi reddunt conſilii ſui rationem. Nec ſane fere alia de rebus iiſdem produnt quam prodiderat *Spartianus*, nec novis obſervationibus priorum Hiſtoricorum *errores* emendant. Tam vero alienos ſe à ſtudio omni *novitatis* oſtendunt, ut *rebus* de iiſdem adhibeant eadem fere *verba*; Autores certe vix alios adducant, quam quos ipſe *Spartianus* adduxerat.

VIII. Quodnam fuerit novum conſilium *Vulcatii* in locupletando *Spartiano*.

Et profecto mirum eſt, ſi *Spartianum* nova vitarum ſerie excoluiſſet *Vulcatius*, cur non & alias illius vitas habeamus præter *Caſſianam*. Qui enim *omnium Imperatorum* vitas ſcribere decreverat, jam certe *priores* abſolviſſe veriſimile eſt, cum ſcriberet *Caſſianam*. Sed conſilium *Spartiani* credetur auxiſſe *Vulcatius*, ut *legitimis* Imperatoribus & Cæſaribus etiam *Tyrannos* adjunxerit. Atqui *Nigrum* profecto *Tyrannis* accenſuit quicunque ejus vitam ſcripſit, quem tamen *Codices Editioneſque* hodiernæ non alium putant à *Spartiano*. *Tyrannos* itaque complexus *Spartianus* eſt,nec *novum* hoc conſilium erat, imputandumque *Vulcatio*, ſi quidem ulla Codicibus Editionibuſve *hodiernis* fides.

 Uno

IX. *Diverforum* Autorum notæ, in *primis* quoque hujus Collectionis vitis, apparent, usque ad *Alexandrum Severum*.

Uno ergo & perpetuo filo vitas scripsit certe quascunq; scripsit *Spartianus*. Quo vero in loco desierit, successoremque acceperit, hoc fateor esse exploratu difficillimum. Non satisfacit certe *Salmasius*, qui vitas omnes usque ad *Alexandrum Severum* nostri putat esse *Spartiani*. Oblitus est Vir Maximus in eo censu *duorum* saltem Autorum indicia esse manifestissima. Inscripsit *Spartianus* vitas suas *Diocletiano*, adhuc in vivis agenti, imo etiam Imperanti. Alias *Constantino* inscriptas legimus, & quidem illam ipsam *Alexandri*, quam credidit *Salmasius* ultimam *Spartiani*. Vitam *Heliogabali* illius census *Salmasiani* penultimam, non modo *Constantino*, sed *victo* etiam [f] *Licinio* dicatam esse constat, quam sane mirum eidem, qui *Diocletiano* vitas superiores dicarat, tribuisse tamen *Salmasium*. Tantum abest ut ejusdem Corporis vitas idem dicarit Autor partim *Diocletiano*, partim *Constantino*, ut ne quidem *Diocletiani* mentionem cum laude ullam facere potuerit qui vitas dicarit *Constantino*. [g] *Statuas* certe etiam viventis *Diocletiani* à *Constantino* revulsas constat è [g] *Lactantio*. Damnata itaque à *Constantino* est *memoria Diocletiani*, nec sine ejus gravissima indignatione *celebranda*. Et vero in *damnatæ memoriæ* Principibus, cavebant Autores ne ullam usquam ederent vel levissimam laudis significationem. Suppressit itaq; Epigrammata in laudem *Domitiani*, quæ quidem nondum edita essent *Martialis*, & *Epistolas Plinius* junior. Fateor equidem aliquantisper, purpura etiam deposita, in honore tamen eximio fuisse *Diocletianum*, *Maximianumque Herculium*. *Senio-*

*f* Lamprid. *Heliog. c.* 35. *g* Lact. *de mort. Perf. c.* 42.

res

res *Auguſtos* illos & *Patres Imperatorum & Cæſarum* appellat Inſcriptio deſcripta à [h] *Scaligero*; & πατέρας ἡμετέρȣς Edictum [i] *Maximini.* Sed vero illa antiquiora ſunt hac de qua agimus *Cenſura* damnatoria *Conſtantini.* Noſter vero Autor qui poſt devictum ſcripſit *Licinium*, recentior. Deceſſit enim hujus dedecoris dolore *Diocletianus*, teſte ibidem *Lactantio*, qui quidem anno deceſſit Æræ noſtræ *Chriſtianæ* CCCXII°. ut [k] alibi probavimus. Victus eſt Licinius ut *jus* ejus *in* [l] *Conſtantini ditionem devenerit*, anno ejuſdem Æræ CCCXXIV°. Poſt *mortem* autem *Diocletiani* neminem habemus, ut puto, qui illius ſine probro meminerit, ſaltem qui Imperante ſcripſit *Conſtantino.* Inſultat illi certe [m] *Lactantius*, inſultat ipſe [n] *Conſtantinus.* Qua fronte itaque laudaturum exiſtimabimus, qui vitas à ſe ſcriptas eidem inſcripturus eſſet *Conſtantino*? Uno hoc dempto diſcrimine manifeſtiſſimo, reliqua, ſiqua forſan alia occurrant in his vitis, non adeo tamen apparent manifeſta. Nihil certe nos juvant *hodierni* Codices. *Spartiano* vitas omnes ad *Alexandrum* uſque tribuebant *Excerpta* Palatina [o] *Salmaſii*, ibidemque deſinebant, quæ quidem *antiquiſſima optimæque notæ, & ex ipſo hauſta Spartiano*, pronunciat [p] *Salmaſius.* Sed qualiacunque demum fuerint, jam ratio eadem erroris *illa* convincet qua ipſum probavimus erraſſe *Salmaſium.* Et quod ab *Adriano* cœperint, non autem à *Julio*, unde initium duxit ipſe *Spartianus*; proinde merito eſt quod dubitemus an *Spartianum* ipſum viderit *Excerptor*, & non ipſam potius illam, quam habemus hodie-

*h* Scal. *ad num.* Euſ. 2310. *i ap.* Euſ. *H. E. IX.* 9. *k Diſſ.* Cypr. *XI. n.* 86. *l* Lamprid. *Heliogab. c.* 35. *m* Lact. *mort. Perſ. n.* 19. 48. 52. *n* Conſtantin. *M. Orat. ad Sanctor. cœt. c.* 25. *o* Salmaſ. *in Alex.* *p* Salmaſ. *in Ver. Imp.*

que

que farraginem, *Pollione* tamen & *Vopiſco* mutilatam. A reliquis *Codicibus* accurata profecto expectanda non ſunt, cum nec *multos* admodum habeamus, & *paucos* quoque illos *iiſdem* in locis *mutilos*, & proinde ab *iiſdem*, ut videtur, fontibus vitioſis oriundos.

X. Certum eſt *Ælii Veri* Autorem fuiſſe *Spartianum*, & proinde etiam *Hadriani*; & quidem imperante *Diocletiano*.

Quare unica reſtat ratio explorandi quæ vitæ cuique tribuendæ ſint, è *vitis* nimirum *ipſis*. Vitam *Ælii Veri* Cæſaris *Spartiano* conſtat certiſſime eſſe tribuendam è *Præfatione* ipſa *Spartiani*. E qua etiam *Præfatione* manifeſtum eſt ad vitam *Hadriani* ipſum in opere ſuſcepto jam hactenus fuiſſe progreſſum. Proinde & ſuperiorem quoque illam *Hadriani* vix eſt quod dubitemus ejuſdem eſſe *Spartiani*. Reſpondent certe loci *paralleli* utrobique ad amuſſim. De honoribus *Ælii Veri* Cæſaris, eorumque *ordine*, communes habent utriuſque [q] vitæ Autores, etiam quos [r] alibi probavimus *errores*. Ut proinde non eoſdem excerpſerint duntaxat Autores, verumetiam pariter fuerint interpretati. Sic etiam de [ſ] *Tetrapharmaco Hadriani* deliciis idem tradit Autor *Veri* cum Autore *Hadriani*. Ubi verba Autoris diſertiſſima omnino animadvertenda ſunt. Sic enim ſequitur: *ut & nos* (inquit) *ipſi in ejus vita proſecuti ſumus*. Scripſerat itaque jam antea vitam *Hadriani* qui poſtea vitam ſcripſit etiam *Veri*, quod & ex aliis ejuſdem verbis, ſtatim in initio [t] *Veri* liquido colligitur, *ut uſque ad Divum Hadrianum feci*. Et in ea quoque *Hadriani* vita hoc ipſum tradiderat de *Tetrapharmaco*, quod in vita *Hadriani* legimus *hodierna*. Adoptatum præterea ait noſter ab [v] *Adriano*,

*q* Adrian. *c.* 23. Æl. Ver. *c.* 3. *r* Append. *ad* Diſſ. Cypr. *ſ* Adrian. *c.* 21. *Ver. c.* 5. *t* Ver. *c.* 1. *u* Ver. *c.* 3.

*Verum*

*Verum eo tempore quo jam, ut ſuperius* (inquit) *diximus, parum vigebat.* Recte nimirum ille. Hoc enim ipſo tempore *Verum* ab *Hadriano* adoptatum tradiderat [x] quo profligata valetudine ipſe fuiſſet *Hadrianus.* De Marco porro & Vero in vita *Hadriani* ita legimus: [y] *Hi ſunt, qui poſtea duo pariter Auguſti primi rempublicam gubernaverunt.* Eademque fere leguntur in vita Ælii veri: [z] *Ipſi ſunt qui primi duo Auguſti appellati ſunt.* Et in vita [a] Marci: *Tuncque primum Romanum Imperium duos Auguſtos habere cœpit.* Plane hæc alludunt ad novam illam Imperii ſub *Diocletiano diſpoſitionem,* cujus meminit apud [b] *Lactantium* Maximianus *Galerius,* qua ſcilicet Reſpub. commiſſa eſt duobus *Auguſtis* totidemque *Cæſaribus.* Hujus enim primas origines obſervando rem gratam ſe facturum cenſuit ipſi *Diocletiano.* Nec enim id modo fecit in *Auguſtis,* verumetiam in *Cæſaribus.* Verum enim [c] *primum Cæſaris nomen accepiſſe,* & quidem *eo prope genere quo Maximianus atque Conſtantius Cæſares dicti ſunt,* id quoque obſervavit *Spartianus.* Sic itaque conſtat, ut *Diocletianum* nuſpiam de *nomine* memorarit Autor vitæ *Hadriani,* eidem tamen & illam quoque vitam ab Autore fuiſſe inſcriptam cui *ſuas* vitas inſcripſit *Spartianus.* Defecit enim, Imperante *Conſtantino,* nova illa diſpoſitio *Diocletiani.* Ergo & *Spartiani* ambæ illæ ſunt vitæ, & *Diocletiano* dicatæ, & quidem *Romani* Imperii habenas *moderanti.* Verba enim illa ejus de *Auguſtis* diſertiſſima ſunt, quod dicat illos [d] *Principem locum, in hac ſtatione quam temperas* (*Diocletianum* nimirum ipſum allocutus) *retentaſſe.* Nondum itaque purpuram depoſuerat

*x* Adriam. *c.* 23. *y* Spart. *Adr. c.* 24. *z c.* 5. *a c.* 7. *b* Lact. *de mortib. Perſ. n.* 18. *c* Vit. *Æl. Ver. c.* 1, 2. *d c.* 1.

*Diocletianus,*

*Diocletianus*, quod fecit demum anno Æræ *Vulg.* CCCV°. & tamen *Cæsares* fecerat *Constantium* & *Galerium*, quod factum anno ejusdem Æræ CCXCI°. & medio illo tempore scripsit *Spartianus*. Sic tamen ille tempore medio, ut *longius* ille ab illius intervalli *initio*, distarit, propius ad *finem* accesserit. Id enim mihi videor è verbis ejus illis colligere: [e] *Sed eo prope genere quo nostris temporibus à vestra clementia Maximianus atque Constantius Cæsares dicti sunt.* Non *heri* duntaxat aut *nudiustertius* factum esse crediderim, quod suis ait factum esse *temporibus*.

XI. Verisimile est ejusdem etiam esse *Pium*.

Sic itaque specimen habemus *Spartiani* genuinum. Videamus inde ecquas normas elicere possimus, quibus de aliis statuamus vitis sintne tribuendæ, an potius abjudicandæ *Spartiano*. *Pii* vitam *Capitolino* tribuunt Editiones Codicesque omnes præter *Excerpta* Spartiani *Salmasiana*, quæ hanc vitam asserunt *Spartiano*. Et quidem *Diocletiano* illam inscribunt omnes, cui sua quoque vidimus dicasse *Spartianum*. In *vita* tamen ipsa nulla est *Diocletiani* mentio. Conveniunt interim satis bene quæ communia hic leguntur, & in Scriptis, quæ dixi, *genuinis* ipsius *Spartiani*; ut proinde ni Autor ipse idem sit, è *communi* saltem *tertio* alio Autore sua accepisse uterque existimandus sit. Cur *Pii* nomen consecutus fuerit primus ille *Antoninus*, rationes fere easdem legimus apud suspectum illum [f] *Capitolinum*, ac apud nostrum quoq; [g] *Spartianum*, eodemq; etiam ordine. Unicamq; duntaxat ultimamque suggesserant secundæ, magisque, ut solent esse, accuratæ, cogitationes. Nec *res* modo legimus utrobique communes. *Verba* quoque ipsa nonnun-

e *c.* 2. f Capitolin. *Pio c.* 2. g Spart. *Adrian. c.* 24.

quam

quam numerari videmus. Dixerat Autor *Adriani* propterea contigiſſe, *quod ſocerum feſſum ætate manu ſublevarit.* Quam quidem rationem mutatione leviſſima extulit Autor *Pii*, verbis etiam *pleriſque* non *ſimilibus* ſed iiſdem: *quod ſocerum feſſa jam ætate, manu, præſente Senatu, levaverit.*

XII. Et *Marcum.*

*Marci* vitam *Capitolino* etiam aſſignant *Codices*, quam tamen & ipſam *Spartiano* vendicant *Excerpta Palatina.* Et ſane *Excerptorum* Inſcriptionem confirmant potius quæ in *vita* ipſa legimus. [h] *Diocletianum* alloquitur & hujus quoque Vitæ Autor. Eademque fere de adoptatis à *Pio*, *Hadriani* juſſu, [i] *Marco* & *Vero* utrobique legimus tam in hoc Autore quam in ipſo quoque genuino [k] *Spartiano.* Id tamen unum habet novum, repetitque Autor ille aliquoties, quod [l] *Marcum* ſolum hæredem decreviſſet Imperii, ni ætas obſtitiſſet, *Hadrianus*, de quo nihil ipſe [m] *Spartianus.* Sed potuit etiam & hoc ſecundis tandem debere Obſervationibus.

XIII. Et *Verum* Imperatorem.

*Veri* etiam Imperatoris, *Marci* in Imperio *collegæ*, vitam eidem inſcribunt *Capitolino* Codices recepti Editioneſque, quam tamen ipſam *Spartiano* ſimiliter aſſerunt *Excerpta* illa eadem *Palatina*. *Marci* vitam idem [n] ille teſtis eſt à ſe antea Scriptis fuiſſe conſignatam. Nec aliam ſcripſit quam illam, quæ habetur, hodiernam. [o] *Liberti multum* (inquit) *potuerunt apud Verum (ut in vita Marci diximus) Geminas & Agaclytus.* His verbis reſpondent & illa in hodierna *Marci* [p] vita ipſa quo-

*h M. Antonin. c.* 19. *i M. Antonin. c.* 5. *k conf. cum* Spartian. *Adriano c.* 24. *& ejuſdem Ver. c.* 2. 6. *l M. Antonin. c.* 5. *&* 16. *m* Spart. *Adrian. c.* 24. *n Ver. Imp. c.* 1. *o Ver. Imp. c.* 9. *p M. Antonin. c.* 15.

que hodierna: *Multum ſane potuerunt liberti ſub Marco & Vero, Geminas & Agaclytus.* Verba, ut videtis, ipſa fere numerantur. Iterum de Bello Germanico: [q] *De quo* (inquit) *Bello quid per legatos barbarorum pacem petentium, quid per duces noſtros geſtum eſt, in Marci vita pleniſſime diſputatum eſt.* Diſputatum ait *pleniſſime*, pro modulo nimirum horum Scriptorum compendioſiſſimo, cum de ſingulis hoc in loco propoſitis capitibus ratio aliqua redderetur. Sic autem diſputavit de hoc Bello pleniſſime in hodierna *Marci* vita cap. 14. Niſi forte verbum illud *pleniſſime*, è *Mario Maximo* (quem deſcripſit uterque) deſumptum intelligamus. Egit enim *Marius Maximus* (ut ex hac ipſa Autorum farragine conſtat) de *Marci* vita pleniſſime. *Mario* certe *verboſitatem* exprobrat [r] *Vopiſcus*, & *ſecundus* [ſ] ejus de *Marci* vita *Liber* in his noſtris Autoribus teſtis adducitur. Ait præterea fabulam de *Marci* in *Verum* veneficio [t] *in Marci vita poſitam* fuiſſe, quæ & in noſtra *Marci* vita comparet c. 15. Ait Pii filiam uxorem Vero deſtinatam idcirco Marco nupſiſſe, quod Verus [v] *ad hoc impar videretur ætate, ut in Marci* (inquit) *Vita expoſuimus.* Et vere hoc dixerat noſter in vita *Marci* etiam *hodierna*, c. 6. ſi tamen locum reſtituamus pro veriſſima emendatione doctiſſimi *Caſauboni.* Satis hæc conveveniunt appoſite, ut proinde quæ Argumenta *Marci* vitam *Spartiano* aſſeruerint, eadem & *Veri* vitam eidem *Spartiano* aſſertura ſint. Et tamen *notam* aliam ipſius *Spartiani* hic deeſſe fateor. Sunt enim illa de *Ælio Vero* Cæſare verba Spartiani. [x] *Et de hujus quidem familia plenius*

q *Ver. Imp. c.* 9. r Vopiſc. *Firm. &c. c.* 1. ſ *Laſſ. c.* 9. t *Ver. c.* 10. u *Ver. c.* 2. x Spart. *vit. Æl. Ver. c.* 2.

*nius in vita Lucii Aurelii Ceionii Commodi Veri Antonini filii hujuſce, quem ſibi adoptare Antoninus juſſus eſt, differemus. Is enim Liber debet omnia, quæ ad ſtemma pertinent, continere, qui habet Principem de quo plura dicenda ſunt.* Et tamen nihil *plenius* habet de illo ſtemmate *Veri* Imperatoris [y] vita hodierna. Sed fieri poteſt ut oblitus fuerit promiſſi *Spartianus*, aut conſilium mutaverit, aut denique perierint verba eo ſpectantia. Sunt enim & alia quoque in his Autoribus loca ſuſpecta lacunarum.

XIV. Et *Commodum*.

Vitam itaque *Commodi Spartiano* tribuunt excerpta *Palatina*, *Lampridio* Codices reliqui Editioneſque receptæ; *Julio Capitolino* Robertus à Porta Bononienſis. Ego *Spartiano* tribuendam exiſtimo. *Diocletiani* nomen, licet in *vita* ipſa nullum, in *titulo* tamen inſcriptum legimus. Ut proinde illius Autoris non ſit qui vitas ſcripſit dicavitque *Conſtantino*. Dixerat *Spartianus* in vita [z] *Marci* Commodum *mille prope pugnas publice populo inſpectante gladiatorias Imperatorem exhibuiſſe, ut in vita ejus* (inquit) *docebitur*. Sic & in vita [a] *Commodi* legimus: *Inter hæc refertur in literas, pugnaſſe illum ſub Patre trecenties ſexagies quinquies. Item poſtea tantum palmarum gladiatoriarum confeciſſe, vel victis retiariis vel occiſis, ut mille contingeret.* Promiſſam hic habemus ab eodem Autore qui vitam ſcripſit *Marci*, vitam etiam *Commodi*; Et in hac ipſa quam habemus vita *Commodi* id *præſtitum* legimus, quod fuerat *promiſſum* in vita *Marci*. Illud ſaltem inde manifeſtum eſt, Autorem *Marci* eundem *Commodi* etiam vitam ſcribere decreviſſe. Et viceverſa *jam* vitam *Marci* ſcripſiſſe videtur

*y Ver. Imp. c.* 1. *z Marc. c.* 19. *a Commod. c.* 12. *& c.* 5.

qui

qui vitam *Commodi* ſcripſit hodiernam. Sic enim in ipſo vitæ initio habemus : [b] *De Commodi Antonini parentibus in vita Marci Antonini ſatis eſt diſputatum.* Et quidem in vita [c] *Marci* hodierna diſputavit Autor, fueritne vere *Commodus* filius *Marci*, an potius cujus uſa eſt *Fauſtina* conditione *gladiatoris*. Sin vocem *diſputare* laxius intelligamus ut idem valeat de *parentibus Commodi diſputare*, ac *Stirpem* ejus quæ fuerit edocere; id quoque fecit Autor *Marci*, dum ſtirpem ipſius [d] *Marci* (quæ eadem erat *Commodi*) paulo diligentius atque accuratius exequitur. Sic certe conveniunt invicem quæ *ſcripſit* alter, quæque alter ſcripturum ſe *promiſerat*; ut cum *utramque vitam* idem Autor ſcripſerit, nulla ſit omnino ſuſpicio cur alteram periiſſe ſuſpicemur.

XV. Et *Pertinacem*, & *Didium Julianum*.

*Pertinacis* vitam *Capitolino* aſſignant Codices plerique. *Spartiano*, Excerpta *Palatina*. Cui fuerit inſcripta, mentionem nullam ſeu in *titulo* habemus, ſeu etiam in *Textu*. Sed vitam proximam *Didii Juliani Diocletiano* Autorem inſcripſiſſe conſtat. Et ſane [e] *omen* de *Juliano Pertinacis* collega & ſucceſſore utrobique idem occurrit, ut proinde eundem utriuſque vitæ Autorem fuiſſe veriſimile ſit, qui etiam eidem dicarit utramque *Diocletiano*. *Spartianum* autem *Juliani* Autorem præferunt Codices ad unum omnes.

XVI. *Avidii Caſſii* alius, ut videtur, erat Autor.

Sequitur *Avidii Caſſii* vita à *Vulcatio*, ut volunt Codices, *Gallicano*. Scio equidem, pro *recepto* Editionum ordine, proximum à *Vero Imperatore* repræſentari *Avidium Caſſium*. Et recte quidem, ſi ordinem

*b Commod. c.* 1. *c Marc. c.* 19. *d Marc. c.* 1. *e Pertin. c.* 14. *Julian. c.* 2.

ſpectemus

ſpectemus *temporis* quo purpuram tenuit ipſe *Caſſius.* Sed hoc ipſo loco *Caſſium* diſpoſuit Codex [f] *Palatinus* MS. & excerpta itidem *Palatina* MS. cum Editione *Mediolanenſi* omnium vetuſtiſſima; imo (ſi [g] *Salmaſium* audiamus) *omnes veteres cum ſcripti, tum editi*, proximum nimirum ante *Severum*, & poſt *Commodum*, *Pertinacem Didiumque Julianum.* Tantus ille Codicum conſenſus, utcunque à *geſtarum rerum* ſerie alienus, ita facile ſpernendus non eſt, ut efficiat potius ut aliam fuiſſe ſuſpicemur hujus ordinis rationem quam Principum ipſorum *tempora.* Et quidem *ſcribendi* illum ordinem fuiſſe veriſimile eſt, quod nempe eouſque progreſſus jam antea fuiſſet *Spartianus* quam de Tyrannis addendis conſilium novum ſuſciperet *Vulcatius.* Sed & hanc quoque vitam *Spartiano* vendicant excerpta *Palatina.* Et quidem hanc [h] *Diocletiano* dicavit Autor ut fecit *Spartianus.* Et novi tamen Autoris veſtigia hac tandem in vita comparere cenſeo. Habet enim ille Hiſtoriam de *Marco* memoratu digniſſimam, quæ tamen nulla in *vita* Marci comparet hodierna. [i] *Tantum enim ait enituiſſe in Philoſophia Marcum, ut iturus ad bellum Marcomannicum, timentibus cunctis nequid fatale proveniret, rogatus ſit non adulatione, ſed ſerio, ut præcepta Philoſophiæ ederet: nec illum timuiſſe, ſed per ordinem Paræneſeon, hoc eſt, Præceptionum, per triduum diſputaſſe.* Hæc illa ſunt fortaſſe quæ in Libris de [k] *vita ſua* in Quadis ad *Granuam* diſputata legimus. Non erat certe hoc ab eo, qui de vita *Marci* agebat ex profeſſo, prætermittendum, cum maxime ad

*f* Salmaſ. *in Adrian. init.* *g* Salmaſ. *ad Avid.* Caſſ. *init.* *h* Avid. Caſſ. *c.* 3. *i* Avid. Caſſ. *c.* 3. *k Sin. L. I. Sed & ad II. potius pertinent.*

famam illam ſpectaret *Philoſophiæ*, quam præcipue captabat, ſiquam forte captabat ullam, affectabatque *Marcus*. Alium itaque fuiſſe vitæ *Caſſianæ* Autorem veriſimile eſt quam qui *Marci* vitam ſcripſit hodiernam. Idem de defectione Caſſiana: [l] *Hic* (inquit) *Imperatorem ſe in Oriente appellavit* (*ut quidam dicunt*) *Fauſtina volente, quæ valetudini Marci jam diffidebat*. Sic autem Autor vitæ Marci: [m] *Imperatorem ſe appellavit, ut quidam dicunt, Fauſtina volente, quæ de mariti valetudine deſperaret*. De ejuſdem *Caſſii cæde* ita de Marco: [n] *non exultavit, non elatus eſt*. Quæ ita in Marco: [o] *Marcus tamen non exultavit interfectione Caſſii*. Rurſus de eadem: [p] *quem quidem occidi non juſſit, ſed paſſus eſt*; In Marco: [q] *Ipſum Caſſium, pro clementia, occidi paſſus eſt, non occidi juſſit*. De filiis Caſſii ita: [r] *Filios vero Avidii Caſſii Antoninus Marcus parte media paterni patrimonii donavit*. Sic Autor Marci: [ſ] *Filii autem Caſſii & amplius media parte acceperunt paterni patrimonii*. Iterum ibidem: [t] *Et Alexandræ filiæ Caſſii, & genero Druentiano, liberam evagandi, ubi vellent, poteſtatem dedit*. In Marco ita: [v] *Ut Alexandra filia Caſſii & Druncianus gener liberam vagandi poteſtatem haberent, commendati amitæ marito*. Quæ etiam poſtrema in noſtra quoque Caſſii vita leguntur in hunc modum: *quos quidem amitæ ſuæ marito commendavit*. Verba, ut videtis, ipſa utrobique fere eadem ſunt. Sed communi hoc uterque debuit Autori [x] *Mario Maximo* Scriptori etiam *Latino*, qui hac ipſa infamia conjurationis *Caſſianæ*

*l* Avid. Caſſ. *c.* 7. *m* Marc. *c.* 24. *n* Avid. Caſſ. *c.* 8. *o* Marc. *c.* 25. *p* Avid. Caſſ. *c.* 7. *q* Marc. *c.* 26. *r* Avid. Caſſ. *c.* 9. *ſ* Marc. *c.* 26. *t* Avid. Caſſ. *c.* 9. *u* Marc. *c.* 26. *x Vid.* Avid. Caſſ. *c.* 9.

*Fauſti-*

*Fauſtinam* oneraverat. Longe certe proclivius erat *Spartiani* nomen inſeruiſſe Librarium in Excerptis *Palatinis*, cui nomini jam in vitis præcedentibus aliquoties aſſueverat, quam ut *Vulcatii Gallicani* nomen prorſus novum, nec antea ullibi uſurpatum, repoſuerint Codices reliqui, quot habemus, ad unum omnes. Literis enim *miniatis* ſcribi ſolebant Autorum nomina quibus proinde ſpatium relinquebant, quoties *minium* non adeſſet, Amanuenſes. Et Calligraphis *minio* inſtructis illud etiam erat in more, ut nominibus in initio præfixis ſpatia illa vacua ſupplerent. Ita ſæpe factum ut in *primi* Autoris titulum, quem ſcribere ſolebant in novi Codicis initio pulcherrime, tranſierint reliqui, nullo Librariorum judicio, voluminis ejuſdem Tractatus Anonymi.

XVII. Vel ſcripſerit itaq; *Caſſii* vitam ante *Spartianum Vulcatius*; vel conſilium *Spartiani Tyrannis* duntaxat addendis voluit augere *Vulcatius*.

*Vulcatii* itaque *Gallicani* nomen ex hujus vitæ titulo non temere expungendum eſſe cenſeo. Sed redibunt (inquietis) quæ ſupra objecimus ut idem uterque opus, eodemque tempore, aggreſſus fuerit, tam *Spartianus* nimirum, quam & hic quoque *Vulcatius*. Redibunt ſane ſi hæc ita intelligantur ut vulgo hactenus intellecta ſunt ab Eruditis. Sed vitas ſuperiorum Imperatorum [y] *uſque ad Hadrianum* jam ſupra oſtendimus *ſcripſiſſe* Spartianum. *Scripſiſſe* ſe ne quidem dicit [z] *Vulcatius*, ſed *propoſuiſſe in literas mittere*. Quid ſi vitam illam *Caſſii* ſcripſerit *Vulcatius* ante *Spartianum*? fuerit autem morte impeditus quo minus & reliquas quas deſtinarat abſolveret, atque ita ſit factum ut *Spartianus* in ejus locum ſucceſſerit? Ita certe neceſſe erat ut

y Spart. *Æl. Ver. c.* 1. z Vulcat. Caſſ. *c.* 3.

*Spartiani* opus nondum ſuſceptum ignorarit *Vulcatius*; *Vulcatii* opus fueritne ignotum *Spartiano* ſcire difficilius eſt, cum perierit vitarum *initium*, atque adeo univerſis præfixa *Præfatio Spartiani.* Quid ſi etiam non Imperatorum *omnium* vitas propoſuerit in literas mittere *Vulcatius*, ſed duntaxat *Tyrannorum*? Sic aliud fuerit diverſumque conſilium *Vulcatii* à conſilio Spartiani. Et ſane illam ſententiam ſatis apte tolerant, ut in *Palatino* Codice repræſentantur, verba ipſa *Vulcatii*. Sic enim ille: [c] *Propoſui enim* (inquit) *Diocletiane Auguſte, omnes, qui Imperatorum nomen ſive juſte, ſive injuſte, habuerunt, in literas mittere.* Sed verba illa, *ſive juſte*, à *Palatino* Codice non agnoſci monet *Gruterus*. Sic illos duntaxat *omnes* qui *Imperatorum* nomen *injuſte* habuerint, propoſuerit in literas mittere *Vulcatius*, non alios utique quam quos pro *Tyrannis* habent illorum temporum Scriptores. Sic recte fuerit ſubjuncturus quæ ſequuntur illa Vulcatius: *ut omnes* (inquit) *purpuratos Auguſtos cognoſceres.* Quæ tamen verba non de opere *Vulcatii ſolitario* intelligenda ſunt, ſed de utroque *conjuncto* tam *ſuo* nimirum quam etiam *Spartiani.* *Legitimos* enim cum daturus eſſet Spartianus, *Tyrannos* autem ſive illegitimos ipſe Vulcatius; Ita tandem factum ut ex utroque *omnes purpuratos Auguſtos* Diocletianus acciperet. Hæc tamen Ego non admodum fidenter, ſed dum veriſimiliora quiſpiam edocuerit.

c C. 3.

*Prælectio*

# *Prælectio Proœmialis* II.

OCTOB. 26. 1688.

*Transitio* §. I. *Post* Vulcatium *successit* tertius *Auctor, seu* Lampridius *is fuerit, seu* Capitolinus. §. II. Severus *a* Lampridio *scriptus*. §. III. Niger, *& fortasse* Albinus, *a* Capitolino. §. IV. V. VI. *In* Nigri *vita* Constantini *nomen pro nomine* Diocletiani *reponendum*. §. VII. *Alius nullus sub* Constantino *harum vitarum conditor præter* Capitolinum. §. VIII. *Caracalla* Capitolini. §. IX. *Et Geta*. §. X. *Et Macrinus. Consilium proprium* Capitolini, *ut* Tatii Cyrilli *vitas e* Græcis *Auctoribus, jussu* Constantini, *traductas, ipse e* Latinis *Auctoribus locupletaret*. §. XI. Alium *posteriorum Vitarum Auctorem fuisse aliunde convincitur*. §. XII.

HActenus, Auditores, de Vitarum nostri Corporis *ordine* perturbato disseruimus, idque conati sumus ostendere, qualiscunque demum fuerit ab *Autoribus*, non eum tamen fuisse, qui in hodiernis omnibus apparet, tam *Editionibus*, quam *Codicibus* etiam MSS. ut operas suas invicem immiscuerint, alternisque vitas alienas interpolarint nostri Corporis Autores ; sed ut ad suum quisque terminum vitas, pro temporis serie, perduxerit ; inde successorem acceperit. Hoc itaque ut probaremus, vitas omnes, usque ad *Severum*, ( excepta *Cassiana* ) *Spartiano* asseruimus. Illi nimirum, non Capitolino, *Pium*, *Marcum*, *Ve-* I. Transitio.

*rum Imperatorem*, & *Pertinacem*; Illi *Commodum*, non, ut ſolet vulgo, *Lampridio*.

II. Poſt *Vulcatium* ſucceſſit *tertius* Autor, ſeu *Lampridius* is fuerit, ſeu *Capitolinus*.

A *Severo* deinde alium illum, quicunque fuerit, Autorem cœpiſſe crediderim, qui quidem *Diocletiano* vitas dicaverit, pro exemplo *Spartiani*; ſeu *Lampridius* is fuerit, ſeu etiam *Capitolinus*, ſi tamen alius fuerit ab *Ælio Spartiano Ælius Lampridius*. Nec enim Ego Excerptorum Palatinorum Inſcriptionibus tantum fidendum eſſe arbitror ut ſint propterea invicem confundendi duo illi *Ælii*, cum jam hactenus oſtenderimus vitas *Diocletiano Conſtantino*que dicatas, confudiſſe tamen, eidemque *Spartiano* tribuiſſe Excerpta illa *Palatina*. Sed vero quis prior *Spartianum Vulcatiumque* continuarit, *Lampridius* nimirum an *Capitolinus*; id fateor conſtituere eſſe difficillimum. *Capitolinum Lampridio* anteponit in [a] *Probi* vita *Vopiſcus*. Idem tamen *Suetonio Marium Maximum* ibidem etiam anteponit, ut proinde ordinem *temporum* in illorum Autorum cenſu nullum deſignaſſe veriſimile ſit. Sic autem in vitarum titulis *Lampridium Capitolinumque* invicem permiſcent hodiernorum Codicum Librarii, & quidem in inſcriptis tam *Diocletiano* quam etiam *Conſtantino* vitis, ut ne quidem *conjecturæ* locum ullum fecerint quis prior ſcripſerit vitas, dicaritque *Diocletiano*. *Capitolini* certe nomen in *primis* à *Spartiano* vitis *ultimiſque* legimus ante *Pollionem*. Sic ordinis nullam prorſus habuerunt Librarii rationem. *Locus* tamen hic novo Autori admodum opportunus eſt, ut ſicut *Spartianum* exceperit *Vulcatius*, ſic alius quiſpiam in *Vul-*

[a] C. 2.

*catii* locum Scriptor ſuffectus fuerit, ſeu morte fortaſſe, ſeu alio quodam (quem neſcimus) caſu impediti, quo minus reliquas, quas deſtinarat, Imperatorum vitas abſolveret. Nihil certe occurrit in vitis Cæſarum ſequentibus quod eundem qui vitas ſuperiores ſcripſerat Autorem arguat. Imo hanc de qua agimus ſententiam commodiſſime reddunt verba à nobis ſuperius adducta tam *Spartiani* quam etiam *Vulcatii*. Primus nimirum *Spartianus* huic Scriptioni operam dedit; cujus proinde conſilium fuit *omnes* à Cæſare uſque Dictatore Cæſares arceſſere. Hic ubi defeciſſet, ſuffectus eſt *Vulcatius*, qui *Spartiani* opus inchoatum abſolveret. Qui quanquam novo de *Tyrannis* conſilium *Spartiani* locupletarit Argumento; ſic tamen de conſilio ſuo loquitur acſi non in uno *Caſſio* operam, aut ſimilibus *Caſſio Tyrannis*, eſſet poſiturus, ſed in omnibus qui quidem Imperatorum nomen ſive *juſte ſive injuſte* habuerant. Mittamus verba illa *ſive juſte*, quæ deſiderari in *Palatino* Codice diximus obſervaſſe *Gruterum*; lacunam tamen prodit vox alia illa *ſive* à Librario relicta, quæ mutilam reddit imperfectamque ſententiam. Ergo *Imperatorum omnium* vitas, ut cœperat *Spartianus*, deſcripturus erat ille *Vulcatius*. Quæ tamen verba non ita intelligo quaſi vitas à *Spartiano* deſcriptas iterum decreviſſet in literas mittere, à *Julio* nimirum Cæſare Dictatore; ſed quod cœptum *Spartiani* opus, pro *Spartiani* exemplo, ſtatuiſſet abſolvere, vitas nimirum Imperatorum reliquas ad *Diocletianum* omnes *Spartiano* adjecturus. Cum tamen in ſequentibus vitis *Vulcatii* nomen nulli unquam præferant Codices; proinde veriſimile eſt, ſicut (quo tandem caſu neſcimus) defecit in

*Vero* Imperatore *Spartianus*, ſic alio aliquo, quem ſimiliter neſcimus, caſu in *Avidio Caſſio* defeciſſe *Vulcatium*. Meminit, fateor, *Vulcatii Terentiani* quicunque is fuerit, qui de [b] *tribus* ſcripſit *Gordianis*; & quidem in rebus illorum *Gordianorum*. Sed alius erat à *Gallicano* noſtro *Vulcatius* ille *Terentianus*. Alius nimirum, qui ſub ipſis vixit *Gordianis*, alius noſter, qui vitas inſcripſit *Diocletiano*.

III.
*Severus* à *Lampridio* ſcriptus.

Cæterum *Severum Diocletiano* dicatum non *titulus* modo, ſed [c] *Textus* ipſe, (cui fidem ego potius adhibendam puto) demonſtrat. Tempori itaque *tertii* Autoris ſatis apte convenit. Et tamen *Spartiano* illum vendicant Codices reliqui excepto *Regio*, qui *Lampridio* tribuit, & quidem veriſimilius pro noſtris Hypotheſibus. Erat autem mutatio illa longe facilior qua migravit *Ælius Lampridius* in *Ælium Spartianum*, quam alia illa, qua viceverſa migrarit *Ælius Spartianus* in *Ælium Lampridium*. Aſſueverat enim jam *Librarius* in vitis ſuperioribus *Ælio Spartiano* ſæpiſſime, ut proinde cum recurreret *Ælius*, de alio non cogitarit *Ælio*, præterquam *Spartiano*. *Lampridii* nomen, præterquam in uno *Commodo*, vitis præcedentibus nuſpiam tribuunt ſeu Codices, ſeu Editiones *hodiernæ*. In eo tamen quod *Ælium* aliquem hujus vitæ Autorem agnoſcant conſentiunt *Codices Editioneſque* ad unum omnes; proinde rectius *tertium* hunc Autorem, qui ſub *Diocletiano* ſcripſit, *Ælium* potius *Lampridium*, ut puto, cenſebimus, quam *Julium Capitolinum*.

IV.
*Niger*, & forte *Albinus* à *Capitolino*.

Sed & *Nigrum Spartiano* aſſerunt, & quidem, quos habemus uno conſenſu, Codices. Et tamen unum

[b] Capitolin. *Gord. trib. c.* 21. [c] *Sever. c.* 20, 21.

eundemque

eundemque *Nigri* & *Albini* Autorem fuiſſe veriſimillimum eſt. *Albini* certe vitam pollicitus eſt qui [d] *Nigri* vitam ſcripſit. Et viceverſa [e] *Albini* Autor ſcriptam à ſe *Nigri* vitam prodit: *In Peſcennii vita* (inquit) *diximus.* Et quod ait ſe *dixiſſe in vita Peſcennii*, in noſtra hodierna *Peſcennii* [f] *Nigri* vita legimus, ne dubitemus eandem eſſe vitam ab eo memoratam. Atqui *Albinum* pari conſenſu Codices concedunt *Capitolino*, quo *Nigrum* antea conceſſerant *Spartiano*. Inde intelligimus quantilla fides adhibenda ſit *hodiernis* harum Inſcriptionibus. *Nigrum* autem qui ſcripſit is idem videtur ſcripſiſſe *Severum*. LXXXIX. annorum *Severum* credidit Autor [g] *Severi*, errore ſane graviſſimo, cum ne quidem annum ſuperarit LXVI[m]. eodem tamen *errore* lapſus eſt Autor [h] *Nigri*. Ni potius è communi aliquo alio Autore errorem hunc communem hauſiſſe utrumque ſuſpicemur. Vel hauſit fortaſſe continuator è vitarum præcedentium Autore. Quod ſi *Nigrum Albinumque* idem ſcripſerit Autor, eidem certe Imperatori dicaſſe veriſimillimum eſt. Et tamen alium aliumq; Imperatorem præferunt hodierni Codices, nec in *titulis* modo, ſed in ipſo quoque utriuſque vitæ contextu. *Nigrum* ſcilicet [i] *Diocletiano* dicatum volunt, *Albinum* [k] *Conſtantino.*

V. Quid hic dicemus, Auditores? Dubitemuſne eundem fuiſſe utriuſque vitæ Autorem? Sed ratio prorſus nulla erat cur novam *Nigri* vitam ſcriberet qui vitam *Albini* dicavit *Conſtantino*, ſi aliam aliquam *Nigri* vitam reperiſſet Autoris tertii, quem continuavit, *Diocletianei*. Tum enim creditur Autorem illum

*d Nig. c.* 12. *e Albin. c.* 1. *f Nigr. c.* 8. *g Sever. c.* 22. *h Nig. c.* 5. *i Nig. c.* 9. *k Albin. c.* 4.

*ſupplere*

*ſupplere* voluiſſe noſtrum, qui vitas inſcripſit *Conſtantino*; tum etiam non aliunde illum ſupplere voluiſſe quam ex *iiſdem* illis, quos ipſe compilaverat, *Autoribus*, ut proinde nulla poſſit vel fingi ratio cur vitas eaſdem de novo conderet, & quidem ex iiſdem Autoribus. Aut unum potius eundemque Autorem, qui vitas collegit ſub *Diocletiano*, poſtea cenſebimus opus ſuum retractaſſe atque continuaſſe ſub *Conſtantino*? Sed in eo ſaltem conſentiunt Codices MSS. quos habemus omnes, duos fuiſſe vitarum harum Autores, *Lampridium* ſaltem & *Capitolinum*, iidem tamen invicem in vitarum ſingularum Inſcriptionibus diſcrepantiſſimi: quos quidem Autores ita optime diſtinxerimus, ſi alterum dicamus vitas inſcripſiſſe *Diocletiano*, alterum *Conſtantino*.

VI. Ergo *interpolatas* ſuſpicabimur à *quarto* hoc Autore *tertii* vitas? Ita factum ut *Conſtantini* nomen legamus in hodierna *Albini* vita, quam tamen Autor non *Conſtantino*, ſed *Diocletiano* ſacrarit? ſed mira illa eſſet in alieno Opere licentia, non nova aliqua, & quæ antea deerat, *Hiſtoria* priorem locupletare velle, quem continuabat, Autorem, ſed aliam diverſamque ſufficere Operis *dedicationem*; aliud interpolare & *alterius Imperatoris* nomen, *ſuppreſſo* etiam illo, quod ab ipſo fuerat Autore; & quidem ita interpolare, ut quaſi præſentem Autor ipſe Principem alloqui videretur.

VII. In *Nigri* vita *Conſtantini* nomen pro nomine *Diocletiani* reponendum.

Errorem ego longe procliviorem exiſtimo, ſi in alterutra vita *corruptum* ſupponamus à Librariis Imperatoris nomen. In priori *Nigri* vita [l] *Maximum Auguſtorum Diocletianum* appellari videmus. Si quidem *Maximi* nomen

l *Nigr*. c. 9.

men ad *deceſſores* Autor retulerit *Auguſtos*, ſic non magis *Diocletianum* denotabit quam *Conſtantinum*. Tam enim *Conſtantinum* Auſtuſtis deceſſoribus majorem agnoſcere potuit coævus Autor, quam *Diocletianum*. Quod ſi ad *coævos Auguſtos* retulerit, ſic rectius *Conſtantinum Auguſtorum Maximum* appellarit quam *Diocletianum*. Erant enim *Conſtantino* coævi duo alii eodemque tempore Auguſti, *Licinius* & *Maximinus*; quorum omnium *primus* à Senatu declaratus eſt ipſe *Conſtantinus*, ut alibi [m] oſtendimus è *Lactantio*. Erat præterea *Diocletiano* Collega Auguſtus *Maximianus Herculius*. Sed *Maximi* nomen ad *tres* potius Auguſtos retulerimus. Duorum enim *major* rectius quam *Maximus* fuerat appellandus. *Principum* quidem *Maximum Diocletianum* à [n] *Spartiano* appellatum fateor, propter *Principes* etiam *Cæſares Conſtantium Chlorum* & *Galerium*, non item *Auguſtorum*. Nec modo favet *numerus*, ſed vocis etiam *Maximi* uſus ipſe in Titulis *Conſtantini* quam *Diocletiani* longe frequentior. Sic in Inſcriptionibus [o] *Gruterianis* duabus: IMP. CAES. FL. CONSTANTINO MAXIMO, &c. In alia ſic: Q. Fabius Honoratus T. Annæus Placidus amplificatori Urbis Romæ Domino noſtro CONSTANTINO MAXIMO. Rurſus in alia: [p] DN IMP CESARI FL CONSTANTINO MAXIMO. Iterum: [q] Propugnatori ImperI RomanI. Fundato. Quietis. publicae D̄ FL. CONSTANTINO MAX. Et in alia: [r] Virtute fortiſſimo & pietate clementiſſimo D. N. FLAVIO CONSTANTINO INVICTISSIMO. MAXIMO. Quæ in duabus leguntur Inſcriptionibus. Iterum: [ſ] Piiſſimo, Fortiſſimo, Feliciſſimo

*m Diſſ.* Cypr. *XI. n.* 85, 86. *n* Spartian. *Æl. Ver. c.* 1. *o Pag* 282. 1, 2. *p. Pag.* 283. 3. *q Ib.* 4. *r Ib.* 6, 7. *ſ Ib.* 9, 10, 11.

DN

DN CONSTANTINO MAXIMO. Rursus: DN. NN. CONSTANTINO MAXIMO. Et sequenti: DN. Fl. Constantino MAXIMO. Sic & in alia: [t] Dominæ nostræ Fl. Jul. Helenæ piissimæ Aug. genetrici D.N. CONSTANTINI MAXIMI. Quibus hæc etiam addenda: Flavio Valerio Crispo Nobilissimo Caes. filio CONSTANTINI MAXIMI. Sunt etiam in vita *Constantini Eusebiana*, & in *Socrate* Scholastico Edicta *Constantini* quamplurima quæ illum hoc eodem Μεγίστου titulo insigniunt, rara tamen admodum quæ omittant. *Diocletiani Inscriptiones* nullas legimus aut *Edicta*, quæ illum *Maximum* appellent. Eadem etiam in *Numis* utriusque tenet Observatio, ut *Constantinum* multi, *Diocletianum* nulli *Maximi* titulo ornent. Rectius itaque *Constantinum* Autor *Nigri Maximum* appellarit *Augustorum* quam *Diocletianum*. Sed nec adeo viceversa verisimile est pro *Diocletiano Constantinum* in *Albini* vita reposuisse Librarios. Ait [u] *Albinum* Autor *originem à Romanis familiis traxisse, Posthumiorum scilicet & Albinorum Ceioniorum. Quæ* (inquit) *familia hodie quoque, Constantine Maxime, nobilissima est, & per te aucta & augenda, quæ per Gallienum & Gordianos plurimum crevit.* Hic etiam *Maximi* nomen *Constantino* attributum legimus. Pro more scilicet horum etiam Autorum. Sic enim illum alloquitur Autor vitæ [x] *Alexandri*, & *tertii* etiam [y] *Gordiani*. Sed & illud quoque *Constantino* convenit, quod *auctam* dicat Autor ab eo *familiam Albinorum*. *Albinum* certe COS. habemus in Fastis A. D. CCCXXXV[i]. nempe Imperante *Constantino*, & quidem *Ceionium*, ne dubitemus de hac ipsa illum fuisse familia. Eundemque

*t* p. 284. 1. *u Albin. c.* 4. *x Alex. c.* 65. *y Gordian. c.* 34.

forte,

forte, (*Rufium* certe, ut fuit prior) *Albinum Præfectum Urbi*, tum hoc ipſo anno, tum etiam ſequenti. Sic enim ſatis frequentia ſunt in libello de *Præfectis*, exempla eorundem *Coſſ.* & *Præff. Urbi.* Et quidem præcipui cujuſdam *Senatoris* officium fuiſſe *Urbanam Præfecturam* conſtat è *Dione*. Quid ſi hoc ipſo anno ſcriptam dicamus ab Autore dicatamque *Conſtantino* hanc *Albini* vitam? Ita certe rectiſſime conveniet *auctam* fuiſſe *Albinorum* à *Conſtantino augendamque Albinorum familiam*; *auctam* nimirum hujus anni tum *Conſulatu* tum etiam *Urbana Præfectura*; *augendamque Præfectura* anni etiam ſequentis. Quod quidem ſcire potuerit Autor ſi eo tandem tempore ſcripſerit quo fuerit *Albinus* in *futuri* anni *Præfecturam* deſignatus. Hujus certe familiæ Imperatoriæ gratia floruiſſe *Albinos*, teſtes habemus Faſtos, etiam Imperantibus *Conſtantini* filiis qui anno etiam CCCXLV°. Coſ. etiam repræſentant *Albinum*. Sub *Diocletiano* honorum hujus familiæ exempla prorſus habemus nulla. Recte itaque hanc *Conſtantino* vitam *Albini* aſſerunt etiam hodierni Codices. Et potius in ſuperiori *Nigri* vita exiſtimandi ſunt pro *Conſtantini* nomine *Diocletianum* repoſuiſſe Librarii.

VIII. Alius nullus ſub *Conſtantino* harum vitarum conditor præter *Capitolinum*.

Hæc itaque ſi recte habeant, jam à *Nigro* incœperit *ſupremus* harum vitarum continuator ante *Pollionem*, qui nempe vitas ſuas inſcripſit *Conſtantino*. *Albini* enim vitam ſub *Conſtantino* ſcriptam oſtendimus. Nigrum eidem, qui Albinum ſcripſit, Autori aſſeruimus. Nec enim facile crediderim duos fuiſſe ſub *Conſtantino* harum vitarum continuatores. Scripſit enim *Albinum* Autor ſub finem anni Ær. *Vulg.* CCCXXXV[i].

cum

cum jam 2°. *Præfectus Urbi* in ſequentem annum deſignatus eſſet *Ceionius Albinus*. Et anno CCCXXXVII°. Maii 22°. obiit ipſe *Conſtantinus*. Sic fuerit tertio Autori aſſignanda vita *Severi*, nempe *Ælio Lampridio*, pro noſtra *Caſſii Vulcatiani* diſpoſitione, & quidem *ſola*, ut *ſolam* ſcripſit *Avidii Caſſii* vitam *Vulcatius Gallicanus*; vel ſi receptam malit quiſpiam *Avidii Caſſii* ſedem; Sic poſt *Vulcatium* vitas *Commodi*, *Pertinacis*, *Didii Juliani*, & *Severi* idem ſcripſerit *Lampridius*; reliquas deinde ante *Pollionem* vitas dicatas *Conſtantino*, *Julius Capitolinus*. E *vero* enim *Vulcatii ſitu*, aut potius fortaſſe *tempore*, pendet locus, ut videtur, quo *proximum* Vulcatio incipere oporteat Autorem. Terminantur itaque in *Severo* priores tres, ut arbitror, Autores, qui vitas inſcripſere *Diocletiano*.

IX. Caracalla *Capitolini*.

Sequitur jam, poſt Nigrum & Albinum, vita *Caracallæ*, quam *Spartiano* tamen tribuunt Codices Editioneſque. Sed novi omnino Autoris, & quidem, ut dixi, *Capitolini*, illam eſſe cenſeo. Fallit nos, fateor, hoc in loco, Argumentum ab *Inſcriptione* ductum. Eam enim nullam habet, ſeu in *Titulo*, ſeu etiam in *Textu*, ut proinde inde conſtare nequeat dicaritne illam Autor *Diocletiano*, an potius *Conſtantino*. Eundem ſequitur Imperatorum ordinem, quem etiam ſe ſecuturum profeſſus eſt qui vitam *Veri* ſcripſit Imperatoris, ut [z] *qui prior natus eſſet, & prior Imperare cœpiſſet, is prior ſcriberetur*. Propterea *Caracallam Getæ* præpoſuit, quamvis aliquot poſt *Getam* annis Imperarit *Caracalla*. Sic etiam Autor Veri Imperatoris, [a] *quod prior Marcus Imperare cœpiſſet, deinde Verus, qui ſuperſtite periit Marco, priorem Marcum, dehinc Verum*

z Caracall. *c*. 11. *a* Ver. *Imp*. *c*. 1.

*credidit*

*credidit celebrandum, non Imperandi ſecutus* (ut ipſe inquit) *ordinem, ſed vivendi.* Alium tamen ordinem obſervaſſe pleroſque ſui temporis Hiſtoricos idem tradit Autor *Veri.* Sed non opus erat ut hoc iterum moneret, ſi idem fuiſſet illius *Veri* Scriptor & noſtri *Caracallæ.* Alium fuiſſe exinde colligimus quod idem Fratris *Getæ* vitam ſcripſerit, dicaritque *Conſtantino,* ut ſtatim oſtendemus. De *Caracallæ* majoribus, [b] *fruſtra* (inquit) *putamus iterandum, quum omnia in Severi vita ſatis dicta ſint.* Et quidem in *Severi* [c] vita hodierna ſatis dictum videmus de majoribus *Severi* qui iidem erant majores *Caracallæ.* Inde ſequitur in eodem Vitarum corpore, quo hæc noſtra fuit vita *Caracallæ,* fuiſſe aliam *Severi*; ejuſdem fuiſſe Scriptoris omnino non ſequitur. Ego *Marii Maximi* fuiſſe ſuſpicor. *Marium* enim ſupponit ob oculos fuiſſe *Conſtantino* Autor [d] *Alexandri,* non *Spartianum, Vulcatium,* aut *Lampridium.*

X.
Et *Geta.*

*Getam* Autor diſertis verbis dicavit *Conſtantino.* Et tamen idem Autor ille *Getæ* qui etiam Caracallæ. [e] *Occidendi Getæ multa prodigia extiterunt, ut in Vita ejus exponemus,* inquit Autor Caracallæ. Ergo & vitam *Geta* ſcripturus erat, & in ea *prodigia* cædis prænuncia traditurus, quæ etiam in hodierna [f] *Getæ* vita legimus. Idem Autor [g] *Caracallæ Juliam* credidit *Caracallæ* non *matrem* fuiſſe, ſed *Novercam,* ætatemque ejus tantam ſtatuit, quanta fuiſſet oportet, ſi è priori *Severi* cum *Martia* Matrimonio natus eſſet, ut ante nos obſervavit Cl. [h] *Caſaubonus.* Eodem etiam errore lapſus eſt Autor etiam [i] *Getæ.* Eſt & alius utrique communis error,

*b Carac. c.* 1. *c Sever. c.* 1. *d Alexandr. c.* 65. *e Carac. c.* 11. *f Get. c.* 2, 3. *g Carac. c.* 10. *h* Caſaub. *ad. Carac. c.* 9. *i Get. c.* 1. 3. 7.

ror, quod Getam [k] *prius rebus humanis exemptum crediderit quam cum fratre teneret Imperium.* Verba illa ſunt illius qui ſcripſit vitam *Getæ.* Idem innuit Autor [l] *Caracallæ* cum de illo ita ſcribit: *Baſſianum autem obtinuiſſe Imperium conſtat.* Quaſi nimirum id quoque conſtitiſſet, non utique obtinuiſſe *Getam.* De cæde *Getæ* etiam ipſa verba verbis fere reddunt. Sic enim Autor [m] Caracallæ: *Pars militum apud Albam Getam occiſum ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus ſe fidem promiſiſſe liberis Severi, duobus ſervare debere. Clauſiſque portis diu Imperator non admiſſus* [Caracalla ſcilicet] *niſi delinitis animis, non ſolum querelis de Geta, & criminationibus Editis, ſed enormitate ſtipendii, militibus, ut ſolet, placatis, atque inde Romam rediit.* In [n] Geta ita: *pars militum, quæ incorrupta erat, parricidium ægerrime accepit, dicentibus cunctis, duobus ſe liberis fidem promiſiſſe, duobus, ſervare debere: clauſiſque portis diu non eſt Imperator admiſſus. Denique niſi querelis de Geta editis, & animis militum delinitis, enormibus etiam ſtipendiis datis, Romam Baſſianus redire non potuit.* Paulo alieniora ſunt quæ [o] habent de joco *Helvii Pertinacis* Geticum Maximum reliquis *Caracallæ* titulis accenſentis, propter cædem *Getæ* fratris *Gothis,* qui & ipſe *Getæ* appellari ſolebant, cognominis. Ut tamen hoc non adeo firmum eſſe concedamus, è reliquis veriſimile apparebit eundem utriuſque vitæ eſſe Scriptorem, noſtrumque adeo, qui vitas *Conſtantino* dicavit, fuiſſe *Capitolinum.*

*k Get. c.* 1. *l Carac. c.* 1. *m Car. c.* 2. *n Get. c.* 6. *o Carac. c.* 10. *Get. c.* 6.

*Macri-*

XI. Et Macrinus. Conſilium proprium *Capitolini*, ut *Tatii Cyrilli* vitas è *Græcis* Auctoribus, juſſu *Conſtantini*, traductas, ipſe è *Latinis* Auctoribus locupletaret.

*Macrinum* Codices omnes Editioneſque eidem tribuunt *Capitolino*. Et tamen rurſus pugnare videntur, dum pari conſenſu illam *Diocletiano* inſcribunt. Nec id in *titulo* modo, in quo plurimum ſibi permiſere Librarii, ſed in ipſo quoque Autoris *contextu*. Fieri vix poteſt ut utrumque ſit verum, magiſque eo propendeo, ut pro *Diocletiano* reponendum cenſeam *Conſtantinum*. Certe diſſertatio illa, quam hac in [o] vita legimus, de Principibus *Antoninis*, cum vitis aliis [p] ſequentibus communis eſt, quas *Conſtantino* inſcribunt Codices omnes, non *Diocletiano*; ut proinde in *Conſtantini* gratiam, non *Diocletiani*, eam ab Autore introductam fuiſſe veriſimile ſit. Et ſane aliis quoque nominibus fieri vix poteſt, ut alius fuerit vitæ hujus Autor, quam ſequentium *Conſtantino* inſcriptarum. Ait ſe [q] *ex diverſis Hiſtoricis eruta in publicum proferre, proindeque in multis aliqua agnoſcit variare, ut ſe habet* ([r] inquit) *omnis hiſtoria, quæ de pluribus collecta.* Sic etiam Autor [ſ] Heliogabali: *veniam peto quod hæc, quæ apud diverſos reperi, literis tradidi.* Et rurſus: [t] *Hæc ſunt de Heliogabalo, cujus vitam me invitum & reluctantem, ex Græcis Latiniſque collectam, ſcribere ac tibi offerre voluiſti, quum jam aliorum ante tulerimus.* Et plane novum prodit Autorem nova hæc, quæ præfigitur *Præfatio*, [u] de illorum *Principum* ſeu *Tyrannorum* ſive *Cæſarum* vitis, qui non diu Imperaverunt. Ea opus non fuiſſet, ſi idem fuiſſet tot præcedentium *Tyrannorum* &

*o Macrin. c.* 15. *p. Diadum. c.* 6. *Heliog. c.* 18. 33. *Gordian. tert. c.* 4, 6, 7. *q Macrin. c.* 1. *r ib. c.* 15. *ſ Heliog. c.* 34. *t ib. c.* 35. *u Macrin. c.* 1.

*Cæſarum* brevi Imperantium Autor. Sed unicum, pro noſtris hypotheſibus, deſcripſerat hic illius cenſus *Getam*, ut proinde importunum non fuerit in proximo *Getæ* Imperatore, qui thronum non diu tenuerit, veniam Lectoris ab Operis difficultate præfari. Et ſane *plurium diverſorumque* nomine ſiquid novum indicare voluit noſter, id voluit, quod ex *Heliogabali* vita modo obſervavimus; quod ſcilicet è *Græcis* pariter *Latiniſque* Hiſtoriam ſuam collecturus eſſet. Aliter fuiſſet, idem feciſſet, quod & præcedentium vitarum Hiſtorici, qui non ex uno aliquo, ſed è diverſis, *Latinis* tamen pleriſque, ſua videntur collegiſſe. Sed è [x] Maximinorum vita conſtat *Tatium Cyrillum*, juſſu *Conſtantini*, Græcas Imperatorum vitas *Latine* vertiſſe, cujus proinde vitæ non è *diverſis* (ut noſtri *Capitolini*) ſed è *Græcis* duntaxat Autoribus collectæ fuerint. Hujus itaque conſilium ita locupletare voluit noſter, ut *Græcis* Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus *Latinos* adjungeret, juſtamque adeo atque integram ex utriſque Hiſtoriam abſolveret. Proinde vitarum præcedentium Scriptores, ſiquando *Græcum* proferant Hiſtoricum, id tamen ipſum non obſervandum Lectoribus proponunt, *Græcum* fuiſſe, quem protulerint. Quod tamen diligenter obſervavit noſter, ex quo cœpit ipſe, *Capitolinus*. Sic ille in vita Albini: [y] *Quæ qui diligentius ſcire velit, legat Marium Maximum, de Latinis Scriptoribus; de Græcis Herodianum.* Et in [z] Diadumeno: *Herodianus Græcus Scriptor hæc præteriens,* &c. Et in [a] Alexandro Severo: *ut Herodianus Græcus Scriptor refert in Libris temporum ſuorum.* Et in [b] Ma-

*x Max. duor. c.* 1. *y Albin. c.* 12. *z Diadum. c.* 2. *a Alex. c.* 52. *b Maxim. c.* 13.

ximinis

ximinis duobus : *ut Herodianus dicit, Græcus Scriptor.* Et in [c] Maximo & Balbino : *Hæc ſunt, quæ de Maximo, ex Herodiano, Græco Scriptore, magna ex parte collegimus.* Quod *Herodianum* toties *Græcum* appellarit, inde factum exiſtimarim, quod è *Græcis* illis unus fuerit, quos verterit Latine *Tatius Cyrillus.* Nec enim id de *uno* obſervat *Herodiano*, ut non unum è *Græcis Herodianum* Latine verterat *Cyrillus.* In [d] Maximino juniore: *Dexippus, & Arrianus, & multi alii Græci ſcripſerunt.* Et in [e] Gordianis tribus: *docente Arriano, Scriptore Græcæ Hiſtoriæ, docente item Dexippo, Græco Autore.* Et [f] iterum: *ut Dexippus Græcæ Hiſtoriæ Autor eſt.* Et in [g] Maximo & Balbino: *Dexippus Græcorum Scriptor.* Sic & de [h] *Maximo Pupieno* Imperatore obſervat, *Maximi* nomen *Græcis, Pupieni Latinis* Scriptoribus longe fuiſſe frequentius. Et quidem noſtram de Scriptis *Capitolini* ſententiam non parum confirmat, quod in his ſolis, quas illi tribuendas oſtendimus, vitis occurrant hæc, quæ dedimus, exempla, non in *Spartiano*, non in *Vulcatio*, aut *Lampridio*, aut junioribus Capitolino, *Trebellio Pollione*, & *Vopiſco.* Et tamen ex his ipſis *Græcis* illi nonnunquam teſtimonia proferunt, præſertim ex *Herodiano* & *Dexippo.* Itaque cum Hiſtoriam hanc diverſam è *Græcis* pariter *Latiniſque* primus, occaſione *Tatii Cyrilli*, introduxerit *Capitolinus* ; cum *Conſtantini*, non *Diocletiani*, juſſu *Græcos* Hiſtoricos *Latine* verterit *Cyrillus* : proinde conſentaneum eſt hanc, de qua agimus, *Macrini* vitam, nec *Diocletiano* inſcribendam eſſe, ſed *Conſtantino* ; nec alteri tribuendam eſſe Scriptori, præterquam *Capitolino.*

*c Max. & Balb. c. 15. d Max. jun. c. 7. e Gord. trib. c. 2. f ib. c. 9. g Max. & Balb. c. 15. h Max. & Balb. c. 16.*

XII. *Alium* posteriorum vitarum Auctorem fuisse aliunde convincitur.

Reprehendit præterea noster [i] *Macrini* Autor *Cordum* de suis in Historia Principum λεπτολογίαις. Fecit hoc frequenter noster, qui [k] *Constantino* vitas inscripsit, *Capitolinus*, non alius quispiam è nostro Historicorum corpore Historicus. Tantum abest ut hoc fecerint seu *Spartianus*, seu *Vulcatius*, seu *Lampridius*, seu *Pollio*, seu *Vopiscus*, ut ne quidem *Cordum* legisse videantur, aut excerpsisse, aliis nominibus *utilem*, ut videtur, (vel *Capitolino* nostro suffragante) atque *diligentem* Historicum. Et tamen multa habent ipsi quoque levicula ab hoc præsertim Autore, si quidem ad manus fuisset, haurienda. Illa quidem è *Mario*, ut puto, *Maximo* qui hoc eodem [l] *verbositatis* nomine & ἀκαιρολογίας reprehenditur. Sed nulla apud illos hujus vitii *censura*, qualem in nostro legimus *Capitolino*. Sed ne *modus* quidem. Nec enim minutias illas sprevit noster *universas*, sed *modum* illis ab Historico prudente ponendum esse contendit. [m] *Modum* illum probat in *Suetonio* & *Valerio Marcello*, quem ipse etiam pro virili observavit. Cur nulla harum cautionum mentio in vitis superioribus, siquidem idem scripsisset illas, qui & has, de quibus agimus, *Capitolinus*? Cur nuspiam hæc vel semel in vitis illis deprehendimus, quas tribuunt *Capitolino* Codices, Editionesque receptissimæ; cum toties illa inculcata legamus in posterioribus hisce, quas veras genuinasque esse contendimus? *Alium* certe indicant hæc diversumque à superiorum saltem vitarum Autore Scriptorem. Nec tamen alium à nostro *Constantiniani* Sæculi *Capitolino*.

*i Macr. c.* 1. *k Alb c.* 5. 11. *Max. jun. c.* 5. *Gord. jun. c.* 21. *Max. & Balb. c.* 4. *l* Vopisc. *in* 4. *Tyran. c.* 1. *m Max. & Balb. c.* 4.

*Prælectio*

# *Prælectio Procemialis* III.

Nov. 2. 1688.

*Transitio.* §. I. Capitolinus *Auctor Diadumeni.* §. II. *Et Heliogabali.* §. III. *& Alexandri.* §. IV. *Alius certe Alexandri Auctor ab Auctore Severi.* §. V. *Nigri Auctor idem, qui Alexandri.* §. VI. Capitolinus *Auctor etiam Maximinorum duorum.* §. VII. *& Gordianorum trium.* §. VIII. *& Maximi & Balbini.* §. IX. *Nova hujus Corporis partitio in duos Libros, alium de* legitimis *Imperatoribus, alium de* Cæsaribus *&* Tyrannis. §. X. *Vestigia ejus in aniquissimo Codice* Palatino. §. XI.

I. Transitio.

SUperioribus, Auditores, Prælectionibus perturbatum nostrorum Historicorum ordinem observavimus; remque difficillimam, quis ille fuerit, & quæ tandem vitæ quibus Autoribus assignandæ, nostris conati sumus conjecturis eruere. *Spartiano* itaque non *Adrianum* modo, & *Ælium Verum*, & *Didium Julianum*, ut solent etiam receptæ Editiones, asseruimus; verum & alias quoque vitas, quas illæ aliis plerunque tribuunt Autoribus; *Pium* nimirum, *Marcum*, & *Verum Imperatorem*, & *Pertinacem*, quas illæ solent inscribere *Capitolino*. *Vulcatio* tamen *Gallicano* suum vendicavimus *Avidium Cassium*, quem *Spartiano* adjudicarant Excerpta *Palatina Salmasii*. *Lampridio* deinde *Severum*. Tum *Capitolino* non *Albinum* modo & *Macrinum*, sed & *Nigrum* & *Caracallam*, & fratrem Caracallæ *Getam*,

 quos

quos perperam hactenus *Spartiano* aſſignarunt receptæ pleræque cum Codicibus MSS. Editiones. Pergo jam ad reliqua.

II. *Capitolinus* Auctor Diadumeni. *Diadumeni* vita cui fuerit inſcripta non conſtat ex hodierno ſeu *titulo*, ſeu *contextu*. Et tamen cujuſcunque tandem fuerit, non fuit certe, cujus eam faciunt Excerpta *Salmaſii* Palatina *Spartiani*. Ait enim Autor [a] ſe *vitam* hanc *Patris geſtis* fuiſſe *juncturum*, *niſi Antoninorum nomen ſe ad edendam puerilis ſpecialem expoſitionem vitæ coegiſſet*. Ut tamen non fuiſſet *Diadumenus Antoninus*, non fuit nihilominus *Patri* jungendus, pro conſilio *Spartiani*. Erat enim *Cæſar*, licet nunquam fuerit *Auguſtus*, ut fuit *Ælius Verus*; & *Cæſares propoſuerat ſingulis Libris exponere* [b]Spartianus. Sed ratio illa alia, qua jungendi erant invicem *Antonini*, Autoris erat, ut oſtendimus, quarti propria, ut è vitis illis probavimus, quæ & *Conſtantino* erant ſine dubio inſcriptæ, nec Autoris alterius, quam *Capitolini*. Magno enim in honore erant apud *Conſtantinum* [c] *Antonini*, ut proinde rem illi crederet Autor facturum ſe gratiſſimam, ſi in unum illos colligeret quaſi faſciculum. Fateor tamen & [d] *Marcum* in *larario* fuiſſe *Diocletiani*. Sed ſtudium illud colligendi *Antoninos* in *primis* illis *Antoninorum* vitis *Diocletiano* inſcriptis nullum deprehendimus, nullum in *Pii* Autore, aut *Marci*, aut *Veri*, aut etiam *Commodi*; ut proinde quarti poſtremique, quem volumus, Autoris *Conſtantiniani* illud proprium fuiſſe veriſimile ſit. Cæterum *Macrini* vitam jam ſcriptam antea, & quidem ab eodem, cui hanc debemus,

*a Diadum. c.* 6. *b* Spart. *Æl. Ver. c.* 7. *c Heliogab. c.* 2. *d Marc. c.* 19.

Autore

Autore *ſupponunt* verba illa modo prolata de *Diadumeni* vita Patris geſtis inſerenda. Nec vero alterius Autoris fuiſſe ſuadet ratio Cl. [e] *Caſauboni* vitam *Macrini*,quam habemus,hodiernam. Nempe in ſuperiore Libro de *filio* quoque multa legimus inſperſa; *mortem* quoque relatam, & quidem non ſemel; denique ſcriptum ait *Caſaubonus* diſerte, *nihil eſſe in iſtius vita dignum quod dicatur.* Tantum vero abeſt, ut inde id conficiatur, quod voluit Vir doctiſſimus, ut contrarium potius maniſeſtiſſime convincant. Non dixerat ſimpliciter Autor *Macrini*, nihil eſſe in vita *Diadumeni* dignum, quod dicatur, ſed, nihil eſſe [f] *præter hoc, quod Antoninorum nomini eſſet velut nothus appoſitus.* Hoc itaque uno nomine agnoſcit etiam ipſe dignam fuiſſe, quæ ſeorſim diceretur, vitam *Diadumeni.* Nec aliam præter hanc rationem agnoſcit, cur ſeorſim ſcriberetur hodierni etiam Autor Diadumeni. [g] *Nihil* (inquit) *habet vita memorabile, niſi quod Antoninus eſt dictus, & quod ei ſtupenda omina ſunt facta Imperii non diuturni, ut evenit.* Novum itaque nihil agnoſcit, quod in ejus vita dicatur, præter ſtupenda illa Imperii [h] omina, non certe illa, quæ in ſuperiori vita legimus inſperſa. Omina autem illa de Imperio *Diadumeni* in *Macrino* nulla legimus. Sed nec rationem addit, cur hæc etiam omina ſeorſim dicerentur, aliam, præter illam, quam diximus de nomine *Antonini.* Pulchre nimirum utraque unius ejuſdemque Autoris conſilio conveniunt.

III. Et Heliogabalus. *Heliogabali* vitam (ſic enim illum interim appellabimus, ut ſolent hi, de quibus agimus, Scriptores) [i] *Con-*

e Caſaub. *ad Diadum. c.* 1. *f Macrin. c.* 10. *g Diadum. c.* 1. *h Vid. c.* 6. *i Heliog. c.* 2. & 34.

*ſtantino* dicatam eſſe ex ipſo vitæ contextu conſtat. Et quidem illam, ſupremis verbis pollicitus erat Autor [k] *Diadumeni*, plane utique neceſſariam ad collectionem illam, quam eſt molitus, *Antoninorum*. Eundem itaque etiam illius Autorem fuiſſe neceſſe eſt, & qui eidem dicarit *Conſtantino*. Sed vero vitas ſuperiores Autor ipſe obtulerat, propria nimirum ſponte, *Conſtantino*, & quidem ſpatio aliquo temporis interpoſito. Sic enim ait hac ipſa vita: [l] *quum jam aliorum ante tulerimus*. Quod nempe illum vitis Imperatorum delectari è *Tatii Cyrilli* Opere juſſu ejus ſuſcepto intellexiſſet. Sic enim ſcripſerat in Macrino: [m] *Hæc* (inquit) *ſerenitati tuæ, Diocletiane Auguſte, detulimus, quia te cupidum veterum Imperatorum eſſe perſpeximus*. Ubi tamen pro Diocletiano *Conſtantinum* reponendum eſſe, jam ſatis abunde, ut opinor, oſtendimus. Vitam autem hanc, de qua agimus, *Heliogabali*, juſſus à *Conſtantino* ſcripſit, *invitus & reluctans*. Sic enim ipſe: [n] *Hæc ſunt de Heliogabalo, cujus vitam me invitum & reluctantem, ex Græcis Latiniſque collectam, ſcribere ac tibi afferre voluiſti, quum jam aliorum ante tulerimus*. Reluctatio illa modeſtiæ, ni fallor, ortum debuit. Aggreſſus enim, non in eo deſiit, cujus Hiſtoriam juſſus condidit, *Heliogabalo*; ſed alios quoque ad *Conſtantinum* uſque Imperatores ſcribendos, propria, ut antea, ſponte injuſſuſque ſuſcepit. *Gordianos* paulo ante pollicitus, hic nominatim adjungit *Alexandrum, Aurelianum, Claudium, Diocletianum aurei, & Maximianum ferrei Seculi parentem* ( quem ego *Maximianum Galerium* intelligo potius quam *Herculium*, ejuſdem cum *Diocletiano* ipſo *Seculi*) ſed &

k *Diadum.* c. 9. l *Heliog.* c. 35. m *Macrin.* c. 15. n *Heliog.* c. 35.

*Licinium*, *Severum*, *Alexandrum* (ſic nempe volunt Codices; Ego *Daiam Maximianum* intelligo, collegam, in *Cæſarea* poteſtate, *Severi*) atque *Maxentium*. *Conſtantini* vitam *multis paginis* ab aliis differendam conſultò prætermittit. Quæ certe *affectum* indicant *Conſtantini* Imperium, cum non *Maxentii* modo, ſed & Licinii, *jus in ejus ditionem deveniſſet*; cum etiam, poſt exutum Imperio *Licinium*, res multæ aliæ *Conſtantini* ſupereſſent, quæ *paginis multis* eſſent explicandæ. Recte hæc *poſtremis* conveniunt *Conſtantini* temporibus, poſt annum Æræ Vulg. CCCXXXV$^{m}$. quo vitam *Albini* à noſtro hoc eodem *Capitolino* ſcriptam aſſeruimus.

Vitam, quæ ſequitur, *Alexandri* modo vidimus noſtrum promiſiſſe *Capitolinum*. Nec ſane quicquam in hac ejus hodierna vita comparet, quod alium Autorem ſuadeat; multa potius, quæ eundem. [o] *Conſtantino* & noſtram inſcripſit Autor. Et multa habet cum *Heliogabali* Autore communia. Heliogabalum *Antoninum tam vita falſum quam nomine*, utpote [p] *Antonini* nomine indignum pronunciaverat Autor *Heliogabali*. Idem illum [q] *Antoninum ſubdititium Antoninum* appellaverat, ſic recte locum emendante *Salmaſio*. Ad eandem plane formam, qua etiam de *Diadumeno* idem ſcripſerat, eum veluti *nothum Antoninorum nomini fuiſſe appoſitum*. Ægre enim noſter duos treſve *Antoninorum* nomine dignos agnoſcit, *Pium* & *Marcum*, & nonnunquam fortaſſe *Lucium*. Quæ eadem, de *Heliogabalo* certe, noſter Autor *Alexandri*, ipſo ſtatim vitæ initio: [r] *Interfecto* (inquit) *Vario Heliogabalo, ſic enim maluimus dicere*

IV. & Alexander.

*o Alex. c. 65. 67.* *p Heliog. c. 33.* *q Heliog. c. 17.* *r Alex. c. 1.*

*quam Antoninum.* Qui & aliam rationem addit, cur fuerit *Heliogabalus* ab *Antoninorum* nomine excludendus: quod *hoc nomen* ejus *ex Annalibus Senatus Autoritate* fuiſſet eraſum. Eadem habet & Autor etiam [f] *Heliogabali.* Quo etiam loco eadem illi, quæ & noſtro, de ipſo *Antonini* nomine excuſatio: [t] *Quem nec Ego* (inquit) *Antoninum vocaſſem, niſi cauſa cognationis, quæ cogit plerumque dici ea etiam nomina, quæ ſunt abolita.* Sic & probra in *Heliogabalum* legimus utrique communia. Nunc enim illum *labem,* nunc *peſtem,* nunc etiam *cladem* appellant. Talis eſt & locus *Heliogabali* ille: [v] *Scribere autem ordiar, qui poſt ſequentur, quorum Alexander optimus, & cum vera dicendus aſſertione, & annorum tredecim princeps: ſemeſtres alii, & vix annui, & bimi.* Cui geminum illum legimus in [x] Alexandro: *Hactenus Imperium P. R. tum Principem habuit, qui diutius imperaret, poſt eum, certatim irruentibus, & aliis ſemeſtribus, aliis annuis, pleriſque per biennium, ad ſummum per triennium imperantibus, uſque ad eos Principes, qui latius Imperium tetenderunt, Aurelianum dico, & deinceps.* Id ſcilicet innuit ab *Alexandro* ad *Aurelianum* uſque nullum fuiſſe *Romanis* Principem, qui *triennium* in Imperio ſuperarit. Hæc ille errore craſſiſſimo, cum in prædicto quoque ſpatio, *ſextum* Imperii annum attigerint *Gordianus,* & *Philippus*; *ſeptimum, Valerianus,* 15^m. *Gallienus.* Sed nondum habuit, cum hæc ſcriberet, ſequentium Principum vitas noſter exploratas. Et tamen in eodem errore fuiſſe Autorem *Heliogabali* verba indicant proxime ſequentia. Idem fuerit oportet Autor, qui etiam errores habuerit, & quidem craſſiſſimos, & utrobique communes.

*f Heliogabal. c.* 17, 18. *t ib.c.* 18. *u Heliog. c.* 35. *Alex. c.* 64.

polli-

pollicetur & hic Principum ſequentium vitas [y] *ad Aurelianum & deinceps*, ut & Autorem [z] *Heliogabali* ſupra pollicentem audivimus.

V. Alius Alexandri Auctor ab Auctore Severi.

Nulla itaque fides Codicibus, hoc in loco, MSS. receptiſve Editionibus. *Lampridio* tribuunt Editiones vulgatæ; etiam *Mediolanenſis*, omnium vetuſtiſſima, & *Aldi* alia, bonæ notæ, *Veneta*, ab *Egnatio* curata. Suffragantur *Editionibus* Codices duo *Puteani*, teſte [a] *Caſaubono*, & Codex olim *Palatinus*, *nulli* (inquit [b] *Gruterus*) *vetuſtate inferior*. *Spartiano* vendicant Excerpta *Palatina Salmaſii*, & *Robertus* à Porta *Bononienſis*. Nos, ut vitas à *Severo* omnes noſtro *Capitolino* aſſeruimus, ſic eundem noſtrum cum *Severi* Autore credere vix poſſumus. Ait noſter *Juliam* uxorem propterea duxiſſe *Severum*, quod ejus hanc *genituram* eſſe comperiſſet: *Severus, ut uxor Imperatoris eſſet*, ut [c] *Marius* (inquit) *Maximus* dixit in vita *Severi*. Eandem hanc de *Juliæ* nuptiis hiſtoriam tradit & vita etiam [d] *Severi*, quam habemus, hodierna. Cur *Marium Maximum* hujus rei proferret teſtem, ſi idem ipſe dixiſſet in ſua quoque vita *Severi*? Nec enim ſolent hi Scriptores, quoties ad alias ſuas vitas nos referunt, teſtes proferre Originales, ſed quid ipſi in illis vitis dixiſſent, de eo Lectores ſimpliciter, & in propria Perſona, commonere. *Severum* itaque alius ſcripſerit oportet, quam qui noſtrum exaravit *Alexandrum*.

VI. Nigri Auctor idem qui Alexandri.

Ut vero *Severum* ſcripſerit alius, proximum certe Severo *Nigrum* noſter ſcripſit Autor *Alexandri*. Ty-

*y Alex. c.* 64. *z Hel. c.* 35. *a* Caſaub. *ad Alex. c.* 1. *b* Grut. *ad Adrian.* *c Alex. c.* 5. *d Sever. c.* 3.

rannos

rannos antiquiores recenſuerat [d] Autor *Nigri Vindicem, Piſonem,* & *Antonium.* *Vindicem* ſimiliter, & *Antonium* memorat, & in ſuo quoque noſter [e] *Alexandro.* Eſt & alius in hac vita *Alexandri* locus, quem, cum non intelligeret, corrupit, ( ut ſolent ſæpe Critici ) *Cl. Salmaſius.* Sic autem habet : [f] *Oratores* ( inquit ) *& Poetas non ſibi Panegyricos dicentes, quod exemplo Nigri Peſcennii ſtultum dicebat, ſed aut Orationes recitantes, aut facta veterum, quos ante retuli, libenter audivit : libentius tamen, ſi quis ei recitavit Alexandri Magni laudes, aut meliorum retro Principum, aut magnorum Vrbis Romæ virorum.* Verbis illis, *quos ante retuli,* illos intellexit, quorum mentionem ipſe fecerat in vita *Peſcennii Nigri.* Ibi autem verba ipſa *Nigri* habemus illa ; [g] *Scribe* ( inquit ) *laudes Marii, vel Annibalis, vel alicujus ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, ut eum nos imitemur.* Veteres hic habemus *Marium,* vel *Annibalem,* vel alium quemvis ducem optimum *vita functum.* Et verbis illis, *dic quid ille fecerit,* id quoque intelligimus, Veterum illorum *facta* laudari à Rhetoribus ſuis voluiſſe *Peſcennium.* Recteque illis opponebat *Alexandrum* Regem, qui nullus uſpiam in *Nigri* Oratione comparuerat, & cujus tamen æmulandi ſtudio quodam peculiari flagrabat *Alexander* Imperator ; recte quoque *meliores retro Principes*; quod nullus fuiſſet in Oratione Nigri *Romanus* Imperator; ( Hos enim *Principes* appellare proprio ſuo more ſolent Hiſtoriæ noſtræ *Auguſtæ* Scriptores ) recte denique *magnos urbis Romæ viros,* quod *Annibalem* laudari voluerit *Nilus* Pœnum *Romanis* infenſiſſimum. Et cum hos *ſe*

d *Nig. c.* 9. e *Alex. c.* 1. f *Alex. c.* 35. g *Nigr. c.* 11.

*retu-*

*retuliſſe* fatetur, id una prodit non utique ab alio, quam à *ſe* ſcriptam eſſe vitam illam, quam dixi, *Nigri.*

VII. Maximini duo *Capitolini.*

*Maximinorum duorum* vitas uno libro complexus eſt Autor novo conſilio atque alieno à conſilio *Spartiani.* Quod tamen non eſt quod miremur, cum ea una ratio illum impediverit, quo minus *Diadumenum Patris geſtis inſereret*, quod fuerit accenſendus *Antoninis.* Ita nihil illi erat commune cum *Spartiano.* Atque hic tandem *Capitolinum* Autorem agnoſcunt *Codices* omnes atque *Editiones*, ne quidem ipſo refragante *Salmaſio.* *Conſtantino* dicavit Autor, ut ſolebat *Capitolinus.* Et quidem pollicitus fuerat horum Principum vitas jam antea, in *Heliogabalo,* ut vidimus, & *Alexandro.* Quas quidem cum ejuſdem fuiſſe agnoſcant Codices, nec ulli deſint *Capitolini* characteres; proinde nihil eſt quod dubitemus, & ſcripſiſſe *Capitolinum* vitas has, quas fuerat pollicitus, nec alias utique fuiſſe, quas ſcripſerit, quam quas habemus, hodiernas. Immo vero potius ex his ipſis vitis, quas omnes agnoſcunt fuiſſe *Capitolini,* argumentari licebit, ne priores quidem illas à *Severo* eidem eſſe abjudicandas. Illud tamen in hoc Libro obſervandum, juſſum jam interceſſiſſe *Conſtantini* de reliquorum Imperatorum vitis à *Capitolino* ſcribendis. Hoc ipſe verbis indicat in *Maximino juniore* diſertiſſimus: [a] *Nos enim* (inquit) *hoc loco finem Libri faciemus, ad alia, ut jubetur, velut publico jure properantes.*

VIII. Et Gordiani tres.

De *Gordianorum* vitis nemo eſt (quod quidem ſciam) qui litem moveat *Capitolino.* Non *Codices*, non *Editiones,*

*a* Max. *jun. c.* 3.

*tiones*, ne quidem recentiores *Autores*. Conveniunt & hic notæ *Capitolini*. [b] *Constantino* M. inscriptæ sunt. Conveniunt & quæ habet noster de *Maximino*, cum audivisset de *tacito* in se [c] *Senatusconsulto*, cum illis, quæ scripsit Autor [d] *Maximinorum*. Conveniunt & illa quæ de eodem scribit *Pupieno* [e] sive *Maximo*, quem noster eundem fuisse Imperatorem non noverat, nisi è conjectura. Unum tamen id obstare videbitur quod *duos* duntaxat *Gordianos* à se scribendos promiserit noster in [f] *Heliogabalo*: *quum duos* (inquit) *Gordianos narrare cœpero*. Sed novum erat consilium *Capitolini* de *plurium* Imperatorum vitis in *unum Librum* constringendis, & à *Maximinis* primo inchoatum. Fateor equidem ab initio illum cogitasse de jungendis in unum Librum illis Imperatoribus, quorum res gestæ Libris separatis satis amplum non præberent Argumentum, cum & unam illam dederit rationem, cur *Diadumenum* Patris gestis non inseruisset, quod esset potius accensendus *Antoninis*, quos ille antea simul enarrandos suscepisset. Fateor, & ex hoc ipso loco, de duobus saltem jungendis *Antoninis* jam antea cogitasse *Capitolinum*. *Tertium* vero *Gordianum* illis jungendum non censuit, quod *multorum annorum Imperatorem* justam singulari Libro implendo Historiam suppeditaturum esse consideret; quam tamen sententiam postea, lustratis illorum temporum Historicis mutarit. Et vero id, quod fuerat in *Heliogabalo* pollicitus, in prioribus *duobus* [g] præstitit *Gordianis*. Observaverat scilicet à multis illos pro *Antoninis* habitos, cum non

*b Gord.* c. 34. *c Gord.* c. 13. *d Max.* c. 17. *e Gord.* c. 19. *Max. jun.* c. 17. *f Heliog.* c. 34. *g Gord.* c. 4.

*Anto-*

*Antoninorum*, ſed *Antoniorum* potius nomen aſſumpſiſſent. Et ſane veriſimile eſt obſervationem illam de nomine adſcriptitio nullum prorſus in *tertio Gordiano* locum habuiſſe, ſed in prioribus duntaxat *duobus Gordianis*. Denique & illud obſervandum ex Autoribus, quos excerpſit, tam *Græcis* quam *Latinis*, omnia, quæ quidem digna cognitione judicarit, noſtrum excerpſiſſe *Capitolinum*. Illud indicant poſtrema ejus in hoc Libro verba: [h] *Quæ omnia* (inquit) *Conſtantine Maxime, idcirco ſum perſecutus, ne quid tuæ cognitioni deeſſet, quod dignum ſcientia videretur.* Hæc quidem ille ita religioſè, ut, ſiquid *Cordus*, Autor alioqui futiliſſimus, tradidiſſet utile, dignumque, quod non ignoraretur, ne id quidem vellet neſcire Hiſtoriæ ſuæ Lectorem. Supra oſtendi delectum etiam in illis *Cordi* ineptiis noſtrum feciſſe [i] *Capitolinum.* Jam verba ejus profero, quibus oſtendit nihil à ſe, quod quidem utile eſſet, eſſe prætermiſſum. Sunt autem illa: [k] *Quod idcirco indidi, ne, qui Cordum legeret, me prætermiſiſſe crederet aliquid, quod ad rem pertineret.* Habemus itaque eorum Autorum, quibus uſus eſt *Capitolinus*, utilia, quæ quidem illi talia viſa ſunt, omnia. Inde intelligimus quam rari fuerint, illis etiam temporibus, boni ſuorum temporum Hiſtorici. Satis interim mirari non poſſumus prætermiſſum ab eo Hiſtoricum nobiliſſimum *Dionem Caſſium*, qui omnes compilavit tam *Latinos*, quam etiam, uti vidimus, *Græcos* Hiſtoricos. Præſertim cum & *Romæ* hoc opus exararit, ubi tot nobiles eſſent *Bibliothecæ*; & *Conſtantini* juſſu, quo Librariæ ſupellectilis omnigenæ recludi potuerint Archiva & armaria.

*h Gord.* c. 34. *i Max. & Balb.* c. 4. *k Max. jun.* c. 2.

Poſtre-

IX. Et Maximus & Balbinus.

Poſtremus *Capitolini*, qui extat, Liber eſt de *Maximo* & *Balbino*. Hos enim uno quoque complexus eſt Libro, Imperatores utique non diutinos, pro methodo ſcilicet, qua uſum illum diximus in ſuperioribus. Deerat quidem *Capitolini* nomen in veteribus *Palatinæ* Bibliothecæ membranis, teſte *Caſaubono*. Supplent tamen *Codices* reliqui omnes atque *Editiones*. Nullum habet quidem *Imperatoris* nomen, cui fuerit inſcriptus. Notæ tamen *Capitolini* pleræque ſatis apte conveniunt. *Stylus* idem eſt, *res geſtæ* pleræque eædem, & quidem hauſtæ ex iiſdem *Autoribus*, quibus uſum vidimus in Libris ſuperioribus *Capitolinum*. Unica occurrit inſignis diſcrepantia in ætate *Gordiani*. Hic illum XIIII$^{m}$ egiſſe aſſerit ætatis annum, [l] *ut plerique* ( inquit ) *dicunt*. Sic autem in Libro de Gordianis : [m] *ut plerique aſſerunt*, *undecim ; ut nonnulli, tredecim ; ut Junius Cordus, ſedecim ; nam vigeſimo & ſecundo anno eum periſſe aſſerit*. Hic nullam ſententiam memorat, quæ illum *quatuordecim* fecerit annorum ; plerorumque autem ſententiam longe aliam diverſiſſimamque, fuiſſe annorum duntaxat *undecim*. Nec vero alios habuerunt ob oculos Scriptores duarum harum vitarum conditores, ſi quidem liceat è nominatis Scriptoribus conjecturam de illis facere, quorum nomina non recenſuerunt. Autores habuit Autor *Gordianorum*, è *Græcis Arrianum*, & *Dexippum* ; è *Latinis Junium Cordum*, & *Vulcatium Terentianum*. Autor etiam *Maximi* & *Balbini* Græcos habet Scriptores, *Dexippum*, *Arribianum*, ( eundem proculdubio cum prioris *Arriano* ) & *Herodianum* ; Latinos vero, *Cordum* eundem atque *For-*

*l Max. & Balb. c.* 3. *m Gord. c.* 22.

*tuna-*

*tunatianum.* Uterque Autores excerpſit tam *Græcos* quam *Latinos*, quam notam jam ſuperius oſtendimus fuiſſe *Capitolini.* Vix autem potuit ex Autoribus pleriſque iiſdem ſententia colligi plerorumque tam diverſa. Quare aut *Librariis* tribuendam crediderim illam diſcrepantiam, aut diverſæ ejuſdem *Excerptoris*, cum aliud aliudque expenderet, ſententiæ. Sic certe in hoc ipſo *Gordianorum* loco, cum exinde colligit *ſedecennem* fuiſſe, cum adipiſceretur Imperium *Gordianus*, ex ſententia *Junii Cordi*, plane ſupponit *ſex* annis purpuram tenuiſſe *Gordianum*, nec de eo aliquam fuiſſe Autorum diſcordiam; cum tamen antea *neminem* fuiſſe dixiſſet [n] *Romanorum Principum* ab *Alexandro* ad *Aurelianum*, qui Imperium pluſquam *triennio* tenuiſſet. Sed conſultis magis accurate horum temporum Hiſtoricis, ſententiam mutavit, quod & in hoc, de quo agimus, loco fecerit, ſi tamen veram ejus lectionem Codices hodierni conſervarint. Et quidem aliquam in id genus Opere miſcellaneo, è pluribus diverſumque ſentientibus Hiſtoricis collecto, ipſe excuſavit Autor in Macrino: *Hæc* ( ait ) *de Macrino nobis ſunt cognita, multis aliqua variantibus, ut ſe habet omnis Hiſtoria quæ de pluribus collecta.* Non itaque è ſententiarum aliqua diverſitate ſtatim colligendum diverſum fuiſſe, in his libris, diverſarum ſententiarum Autorem; cum præſertim aliunde ſuppetant qualia dedimus, dabimuſque Argumenta, quæ eundem eſſe convincant. Et quidem fieri poteſt, ut, cum poſteriorem Librum ſcriberet, in tot novos Autores inciderit, ut ſuperioribus juncti *plerorumque* illam ſententiam fecerint, quæ fuiſſet antea pauciorum.

*n Heliog. c.35. Alex. c.64.*

X.
Nova hujus Corporis partitio in duos Libros, alium de *legitimis* Imperatoribus, alium de *Cæsaribus* & *Tyrannis*.

Jam vero antequam ad ſequentes hujus Corporis Autores progrediamur, obſervandum (quod quidem neſcio obſervarit ne ante Nos quiſpiam) in hac etiam parte aliam fuiſſe tamen, quam repræſentant Editiones hodiernæ, Operis univerſi partitionem. Duas enim diſtinguit ejus partes Editio *Aldi Veneta*, Ann. 1519. à *Joanne Baptiſta Egnatio* procurata, cui hanc debemus obſervationem. Prior titulum quidem nullum habuit, eſt tamen Imperatorum Auguſtorum duntaxat *legitimorum*. Poſterioris titulum illum exhibet Editio illa *Veneta*, & quidem, ut videtur, è MS°. *Vitæ eorum, qui aut Cæſaris tantum nomen adepti, aut per Tyrannidem Imperium invaſere.* In hac parte continentur *Ælius Verus* Cæſar, *Avidius Caſſius*, *Peſcennius Niger*, *Clodius Albinus*, *Antoninus Geta*, tum *Triginta Tyranni*, cum *duobus* addititiis *Pollionis Tito* & *Cenſorino*, ſic tamen illi, ut *Pollionis* nomen nulli præferant; & *quatuor* præterea *Vopiſci*, ſed nec illi *Vopiſci* nomine inſigniti. *Titulum* illum novum à MS°. fuiſſe vel exinde colligo, quod & literis conceptus ſit *majuſculis*, ut ſolent titulos concipere Codices MSS[i]. nec *diſpoſitionis* tam novæ rationem ullam ediderit *Egnatius*. Nec enim alias horum Autorum *antiquiores* Editiones noſſe viſus eſt *Egnatius*, ut nec *Egnatianam* hanc *Caſaubonus*, aut *Gruterus*, aut *Salmaſius*. Et quidem *Imperatorum*, præter *Tyrannos*, nomina recenſet ſeorſim [o] *Flavius Blondus* ab his ipſis Autoribus deſcriptorum, quod ſcilicet ita in ſui ævi Codicibus reperiſſet. Obiit autem ille paulo ante inventam Artem Typogra-

o Blond. *de Rom. Triumph. L.* IV.

phicam.

phicam. Imo hujus ordinis *vestigia* tamen apparent in illis ipsis Codicibus, quos hodiernæ imitantur Editiones, qui una eademque serie *Augustos* repræsentant *legitimos*, & *Tyrannos*. Inde enim ordo ille perversissimus, quem quidem est miratus, nec tamen ejus rationem intellexit, *Salmasius*. Ponunt nimirum illi nonnunquam *Avidium Cassium* post *Verum Imperatorem*, nonnunquam post *Pertinacem*. Ponunt & *Albinum* nonnunquam post *Nigrum*, nonnunquam post *Macrinum*. Ponunt *Diadumenum* & post *Heliogabalum*, & ante Patrem *Macrinum*. Et *Didium Julianum* ante *Commodum* ponebant alii, *successorem* nempe ante *decessorem*, observante *Salmasio*. Supponunt nimirum Codices illi Codices alios antiquiores, in quibus *Tyranni* separato volumine continerentur, quosque deinde in unam cum *legitimis* Imperatoribus seriem transfuderit temporum imperitissimus, & nullo prorsus judicio, *Librarius*. Sunt enim omnes illi tam perverse dispositi seu *Tyranni*, seu tales saltem, ut fuerit verisimile *Tyrannis* illos in aliis Codicibus fuisse accensitos. Tales enim erant *Didius Julianus* & *Macrinus*, ut utrisque, pro dispositoris arbitrio, possent accenseri. *Diadumeni Macrino* anteponendi occasionem dare potuit collectio illa quatuor postremorum *Antoninorum* à nostro suscepta *Capitolino*, ut observavit recte *Salmasius*. Et cur *Heliogabalo* postponeretur, ratio alia esse potuit, ut nec nimium à *Patre* divelleretur, nec verum *Antoninorum* ordinem perturbaret *Macrinus*; quod fieri necesse erat, si *proximus* ante Patrem positus esset *Diadumenus*, & loco *vere* suo, nimirum ante *Heliogabalum*.

XI. Veſtigia ejus in antiquiſſimo Codice *Palatino.*

Hunc nempe ordinem perturbatiſſimum exhibuit Codex nulli, aſſerente *Grutero*, vetuſtate inferior, eximiæ olim Bibliothecæ *Palatinæ*, nunc vero præda *Vaticanæ*. Nec vero aliam, quam modo dedimus, perturbati ordinis fuiſſe cauſam, facit Codicis illius titulus ut non abſurde ſuſpicemur. Sic enim illum edidit *Gruterus*, & ipſe quoque literis majuſculis: *Vitæ diverſorum Principum & Tyrannorum, à Divo Hadriano uſque ad Numerianum, diverſis compoſitæ.* Manifeſta hic apparent veſtigia diverſorum illorum, quæ dixi, voluminum. *Imperatorum* enim, quibus conſtabant, ſeries hic habemus manifeſtiſſime diſtinctas, *Principum* aliam, aliam *Tyrannorum.* Vix itaque dubitare poſſumus, quin Codice illo antiquiſſimo *Palatino* antiquior tamen fuerit alia illa Codicis, quem dedimus, *Egnatiani* diſtributio. Sed vero alia, quæ de hac nova Corporis noſtri diſtributione obſervavimus, ſequenti, Auditores, Prælectione diſputabimus.

*Præ-*

# *Prælectio Proœmialis* IV.

Nov. 9. 1688.

*Transitio.* §. I. Occasio *partitionis prædictæ ex ipsis Corporis hujus* Auctoribus. *Pro* Tyrannis *habiti* Cassius, Niger, *&* Albinus. §. II. *Et* Getam *falso pro* Tyranno *habuit Auctor.* §. III. Tyrannos *etiam collegerunt* Pollio *&* Vopiscus. §. IV. *Quibus Veterum exemplis* Tyrannorum *vitas scripserunt nostri.* §. V. *Separatum illud volumen de* Cæsaribus *&* Tyrannis *non ipsi distinxerant* Auctores. *Non scilicet* Vopiscus, §. VI. *Nec* Pollio, §. VII. *Nec* Capitolinus. §. VIII. *Est tamen illa partitio Codicibus* hodiernis *plerisque antiquior.* §. IX. *Ne quidem legitimos* Spartiani *&* Lampridii *Augustos continuavit dedita opera* Capitolinus; *sed* Suetonium *potius &* Marium Maximum. §. X. Suetonium, *ut videtur, in rebus* Nerva *superioribus non* Capitolinus *modo, verum etiam* Vopiscus. §. XI. *In rebus* Nerva *recentioribus*, Marium Maximum. §. XII. *Hiatus inter* Maximum *&* Balbinum *&* Valerianos *antiquior forma illa nostri Corporis, in qua supplebatur ex* Eutropio; *& alia quoque antiquiore* Egnatiana, *in qua nullus legebatur* Eutropius. §. XIII. Valerianorum *Auctor* Trebellius Pollio. §. XIV. *Ea vita hodie mutila.* §. XV. *Ejusdem* Pollionis *Liber est de* duobus Gallienis. §. XVI.

I. Transitio.

HUcusque *ordinem* Historicorum nostrorum, Academici, vulgo perturbatissimum, pro virili nostra restauravimus; & *suas* cuique Autori vitas (cum nullum esset, seu à MSS[is]. seu ab Editionibus, auxilium) nostris, qua licuit, conjecturis assignavimus. *Spartiano* scilicet Imperatores

priores omnes ad *Didium* usque *Julianum*; unicum *Vulcatio Gallicano Avidium Cassium*, & unicum *Lampridio Severum*; reliquos deinde omnes à *Severo* ad *Maximum* & *Balbinum*, Scriptori omnium recentissimo *Constantiniani* Sæculi, *Julio Capitolino*. Tum vero antequam ad *Pollionem* progrederemur & *Vopiscum*, novam quandam Corporis nostri in duòs Libros partitionem ex Editione *Egnatiana* observavimus, de *legitimis* Imperatoribus alium, alium de *Cæsaribus* & *Tyrannis*, eamque nostris plerisque Codicibus hodiernis antiquiorem ostendimus. Reliqua deinde, quæ de hac ipsa partitione dicenda habuimus, in hanc usque Prælectionem reservavimus.

II. *Occasio* partitionis illius ex ipsis Corporis hujus *Autoribus*.

Et quidem *Occasionem* satis verisimilem novi hujus voluminis Conditori dederunt multa, quæ in Libris hisce hodieque leguntur. Inprimis *Præfatio* illa *Spartiani*, quæ nulla *legitimis* præfigitur *Augustis*, & tamen primo hujus voluminis [a] *Cæsari* præfixa legitur. Pollicetur illa *Cæsares*, qui *nec Principes aut Augusti fuerunt, aut quolibet alio genere aut in famam aut in spem Principatus venerunt*. Talis enim erat *Ælius* ille *Verus*, qui gradum illum inferiorem *Cæsareatus* nunquam egressus est. Habemus hic manifeste primum separati voluminis Argumentum, de illis nimirum qui *Cæsaris* tantum nomen adepti essent. Hoc Argumentum auxit *Vulcatius Gallicanus* in *Avidio Cassio*, qui illos etiam censuit addendos, qui nomen [b] *Augustorum* vel *injuste* habuissent, ut sic *omnes cognosceret Diocletianus purpuratos Augustos*. Hi sunt quos ait secunda se-

*a Præf. Æl. Ver. c.* 1. *b Avid. Cass. c.* 3. *Pro* Tyrannis *habiti* Cassius Niger, *&* Albinus.

parati

parati tituli pars *Imperium* per *tyrannidem* invaſiſſe. Nec alios proinde legimus in hoc ſeparato volumine, quin fuerit ad alteram horum ſeriem, pro conditoris ſaltem ſententia, referendus. Proximus eſt *Avidio Niger*, quem Autor ipſe pro *Tyranno* habuit, dum ipſo ſtatim vitæ [c] initio queritur, quam fuerit *rarum* atque *difficile*, ut, *quos Tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mitterentur in literas*, Verba illa *mittere in literas* ſuperioris ſunt in hoc volumine Autoris verba ipſa *Vulcatii*. Et plane imitatoris potius quam primi Autoris verba illa ſunt novi hujus de *Tyrannis* conſilii. Nec enim *deliberat*, eſſentne in literas mittendæ vitæ *Tyrannorum*, ſed de operis, quaſi jam ſuſcepti, *difficultate* queritur. Idem in vitæ fine etiam illum, qui ſequitur, *Albinum* pro *Tyranno* habet. [d] *Quaſi enim ſocius hujus* (inquit) *habetur, quod & pariter contra Severum rebellaverunt, & ab eodem victi atque occiſi ſunt.* Si *ſocius* Nigri *Albinus*, ſi *Tyrannus* Niger, *Tyrannus* etiam erit *Albinus*. Et plane qui *rebellavit contra Severum*, & ab eo eſt *victus*, ille *Tyrannis* illis accenſendus erit, *quos aliorum victoria Tyrannos fecerit*.

III.
Et *Getam*, falſo pro *Tyranno*, habuit Autor.

Sequitur *Albinum* in hoc, de quo agimus, volumine *Antoninus Geta*, non quidem fortaſſe *Tyrannis*, ſed *Cæſaribus* potius *tantum*, vel *non-Auguſtis*, pro Autoris mente, accenſendus. Ita certe credidit (ut ſupra obſervavimus) quicunque vitam hanc, quam habemus, *Getæ* ſcripſit. Hanc hauſit ille, ni fallor, ſententiam è *Severi* Patris, quam refert ipſe Reſponſione, cum de *Getæ* natali ageretur, qua mirum ſibi videri dixit, [e] *Getam* ſu-

*c Nig. c.* 1. 9. *d Nig. c.* 12. *e Get. c.* 2.

um *Divum* futurum, cujus nihil *Imperiale* in *genitura* videret. Sed de *Getæ* illa *genitura* viderint *Aſtrologi.* Eſt enim id certiſſimum, non *vivo* duntaxat Patre, verumetiam poſtea, *Auguſtum* fuiſſe *Getam*, & quidem teſtibus his ipſis quos habemus Autoribus. *Fortunam Regiam* abſolutiſſimæ *Auguſteæ* Poteſtatis Symbolum, voluit quidem *Severus* geminis filiis [f] *geminam* facere, *ſed quum videret ſe perurgeri hora mortis, juſſiſſe fertur, ut alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortuna* (quam habebat ipſe unicam) *poneretur.* Sed & verbis è *Geta* & *Caracalla* ſupra recitatis conſtat, *ambobus fidem promiſſam ab Exercitu.* Sed & [g] *Herodianus*, qui illis ipſis vixit temporibus, teſtis eſt locupletiſſimus, pactos eſſe in *Britannia* fratres, & univerſo, e *Britannia* ad *Romam* uſque, itinere pares fuiſſe, ſua cuique fuiſſe *Prætoria*, & milites *Prætorianos*, pares fuiſſe in *Provinciarum* diſpoſitione, pares in *Judiciis*, unde ſimultatum frequens illis occaſio, & pari ubique honore *exceptos*, ut proinde, ni fuerit vere Imperator *Geta*, non fuerit certe ante *Getæ* cædem Imperator, ipſe *Caracalla*. Imo Monarchiam ſuam à *Getæ* tandem cæde inchoat in Oratione ſua *Caracalla*, proinde faſſus antea Monarcham fuiſſe nullum, ſed duorum parem per omnia poteſtatem. Sed opus non eſt ut pluribus rem probem manifeſtiſſimam, *Auguſtum* fuiſſe *Getam*, & quidem non *titulo* tenus, ſed *Poteſtate* etiam *Auguſtea* pleniſſima. Ut tamen fuerit hoc veriſſimum, ſufficit ut verum non crediderit hujus poſterioris voluminis collector. Sic enim potuit illum accenſere *Cæſaribus*, non-*Auguſtis*. Et tamen alio etiam *Tyrannorum*

f *Sever. c.* 23. g Herodian. *L. IV.*

nomine

nomine *Getam* potuit poſteriori claſſi accenſere Collector, quod nempe *hoſtem* [h] illum *Caracallæ* artibus accenſus appellarit exercitus. Factum hoc quidem fateor poſt *Getæ* mortem. Inde tamen factum arbitror, ut fuerint illius *ſtatuæ* dejectæ, & *geſta* omnia irrita pronunciata. Inſcriptiones illorum temporum, quibus Imperium tenuit cum Fratre *Geta*, vel admodum paucas habemus, quæ *Getæ* meminerint, aut potius fortaſſe nullas. Nec *Leges* habemus ullas, quæ *Getæ* nomen ferant, ſeu in *Codice*, ſeu etiam in *Pandectis*, cum tamen plurimos habeamus illorum temporum *Juriſperitos*, qui Imperante ſcripſerint *Caracalla*, & qui plurimas memorarint Imperatoris ſui *Leges*, quas ipſe *ſolus*, aut cum *Divo* Patre condiderit, *Divi Fratris*, nec poſtremis *Severi* temporibus, nec proximis, quibus certum eſt præfixum Legibus *Getæ* fuiſſe nomen, facta vel leviſſima mentione. Hæc cauſa ſatis veriſimilis eſſe potuit cur potius *Tyrannis*, quam legitimis annumeraretur *Auguſtis*. *Divum* à *Caracalla Getam* factum eſſe certum eſt. Nec tamen ullus comparet ejus *Natalis* in *Cæſarum Natalibus* MS[i]. *Bucheriani*, ſed nec in *Kalendario* illo, quod *Bucheriano* integrius ediderunt *Hervartus*, *Petavius* & *Lambecius*, ævi utriſque *Conſtantiani*. Num tamen fuerit expunctus inde *Geta* à Fratre *Caracalla* non conſtat, cum ne quidem *Caracallæ* ibidem ullus compareat *natalis*, quem tamen certum eſt à *Macrino* eſſe conſecratum. Fieri poteſt ut utrumque à Sodalium *Antoninianorum* Officiis recentiores exemerint Imperatores.

IV. *Tyrannos* etiam collegerunt *Pollio* & *Vopiſcus*.

Itaque cum *Tyrannos* collegiſſent *Vulcatius* & *Capitolinus*; & vero morem *plurium vitarum* in *unum* conferendarum *Librum* primus cœpiſſet

h *Carac*. c. 1.

Capito-

*Capitolinus*; jam plane intelligimus, cur plures *Tyrannos*, de quibus pauca extarent monumenta Historica, in unum compegerit volumen *Trebellius Pollio*. Quod enim *tricenario* numero eos concluserit, non propterea fecit, quod numerum illum accurate explevissent, sed allusione facta ad *triginta* Tyrannos *Athenienses*. Proinde numerum illum primo duabus absolvit *fœminis*, [i] *Zenobia & Victoria*. Hoc nomine cum irrideretur, quod *fœminas Tyrannas* inseruisset, secunda demum ejusdem operis Editione *masculis* supplevit *Tyrannis*, sed alienorum temporum, *Tito* nimirum & *Censorino*. Horum numerum 4 aliis novis *Tyrannis* auxit *Vopiscus*. Ita manifestum est primos quoque harum vitarum Autores *Cæsares* etiam *non-Augustos* & *Tyrannos* addere voluisse.

V. Quibus veterum exemplis *Tyrannorum* vitas scripserint nostri.

Sic illi nimirum se absolutissimam horum Temporum Historiam daturos existimabant. Querebantur enim alioqui fore, ut manca esset, pro illa saltem parte, Historia. Erant itaque ante nostros hos Autores, qui sterilem illam Historiæ partem, quæsitis undique monumentis excolerent, verum id *obiter* plerique, dum legitimorum Principum vitas enarrarent. Sic *Marius* [k] *Maximus* & *Junius* [l] *Cordus* monumentorum omnimodorum sine judicio aut delectu collectores. Observavit tamen *Vulcatius Gallicanus* [m] *Æmilium Parthenianum*, qui *affectatores Tyrannidis jam inde à Veteribus Historiæ tradiderit*. Ita nimirum, ut videtur, (ut tradidit ipse *Vulcatius*) separatis nimirum singularibusque voluminibus. Sic veterum patrocinium exemplumque quærebat Operi suo *Vulcatius*, quod & recentiores *Vulca-*

i *Trig. Tyr.c.*31. k Vopisc.4. *Tyr.c.*1. l *Mac.c.*1. m Vulc.Gall. *c.*5.

*tio*

*tio* coævi modum illum improbarent ſterilium Principum Hiſtorias ſeorſim enarrandi, quod ſterilis videretur, & inſipidus, & injucundus; nec multis Veterum fulciretur, (ut videtur) exemplis, quod verba illa *Vulcatii* modo recitata demonſtrant. Sic ait *Spartianus* [n] quod *Cæſares ſingulos ſingulis Libris exponere* decreviſſet, in eo illum ſuæ *ſatisfeciſſe conſcientiæ, etiamſi multis nulla eſſet neceſſitas talia requirendi.* Et vero de Operis hujus difficultate ſæpe queruntur noſtri. *Nec enim plura de his ſciri poſſunt* ( inquit [o] Vulcatius) *quorum vitam illuſtrare nullus audet eorum cauſa à quibus oppreſſi fuerunt.* Sic etiam Autor Nigri: [p] *Rarum atque difficile eſt ut quos Tyrannos aliorum victoria fecerit, bene mittantur in literas, atque ideo vix omnia de his plene in monumentis atque Annalibus habentur. Primum enim quæ magna ſunt, in eorum honorem ab Scriptoribus depravantur, deinde alia ſupprimuntur: poſtrema non magna diligentia in eorum genere ac vita requiritur, quum ſatis ſit audaciam eorum & bellum, in quo victi fuerint, ac pœnam, proferre.* Iterumque in ejuſdem Libri fine: [q] *Non enim facile (ut in principio Libri diximus) quiſquam vitas eorum mittit in Libros, qui aut Principes in Repub. non fuerunt, aut à Senatu appellati non ſunt Imperatores, aut occiſi citius, ad famam venire nequiverunt.* Ubi obiter obſervandum utrumque Imperatorum genus, tam *Cæſares* non-Auguſtos (quos ait ille *Principes* non fuiſſe) quam etiam *Tyrannos*, ob oculos fuiſſe *Capitolino.* Sic etiam de *Albino* ait, [r] *de ipſo neque ſatis clara extitiſſe, quia eadem fortuna illius fuit quæ Peſcennii.* Et in Macrino: [ſ] *Vitæ illorum Principum, ſeu*

*n Æl. Ver. c. 7. o Avid. Caſſ. c. 3. p Nig. c. 1. q Nig. c. 9. r Nig. c. 12. ſ Macrin. c. 1.*

*Tyrannorum*

*Tyrannorum, ſive Cæſarum, qui non diu Imperaverunt, in obſcuro latent, idcirco quod neque de privata eorum vita digna ſunt quæ dicantur, quum omnino ne ſcirentur quidem, niſi aſpiraſſent ad Imperium: & de Imperio, quod non diu tenuerunt, non multa dici poſſunt.* Hic etiam videmus duo illa Principum genera, quæ ſecundi diximus fuiſſe voluminis, diſertiſſime invicem diſtingui; & quidem ita ut (quod ſupra ſuſpicati ſumus) *Macrinus* illis poſſit accenſeri.

VI. Separatum illud volumen de *Cæſaribus* & *Tyrannis* non ipſi diſtinxerant *Autores*. Non ſcilicet *Vopiſcus*.

Sic equidem occaſionem ſatis veriſimilem ſpecioſamque ex ipſis vitarum Autoribus captare potuit ſecundi, quicunque fuerit, voluminis ſeparatique collector. Non puto tamen ipſis Autoribus illam fuiſſe diſtinctionem. Tantum vero abeſt ut putem *Cæſares* non-Auguſtos & *Tyrannos* in aliud diverſumque ſecreviſſe volumen, & ſe invicem dedita opera in diverſis continuaſſe voluminibus; ut ne quidem credam hoc ipſum, quod habemus, Hiſtoricorum Corpus, quacunque tandem forma, à primariis fuiſſe vitarum ſingularum *Autoribus*. Ut ab omnium ultimo incipiamus [t] *Vopiſco*; tam nihil ille de *Tyrannis* ſuis quatuor cum aliis in unum volumen jungendis cogitavit, ut ne ſciret quidem aliquem, qui ſeorſim *Tyrannos* antea collegerat, præter *Trebellium Pollionem*. Reliquos pleroſque obſervavit, ſeu tacuiſſe illos, ut *Suetonium*; ſeu breviter perſtrinxiſſe, ut *Marium Maximum*. Imo vero *Marium Maximum* ait non propriis ſuis Libris, ſed alienis, *Avidium Caſſium* Marci, Severi *Albinum* & *Nigrum innexuiſſe*. Nihil ille de *Vulcatio, Lampridio* & *Capitolino* qui id,

[t] Vopiſc. 4. *Tyr. c.* 1.

quod

quod volebat ipſe, *Tyrannos*, propriis ſuis libris fuiſſent executi, qui eos ipſos *Tyrannos Avidium Caſſium*, *Nigrum* & *Albinum*, & quidem ex eodem illo *Mario Maximo*, quem ille collectori compilandum propoſuit. Et tamen novit ille [u] *Lampridium* & *Capitolinum*. Sed quia *Tyrannos* legitimis *Auguſtis* immiſcuerant, proinde eorum nullam fecit hic vel de *nomine* mentionem. Quæ quidem neceſſario erat facienda, ſi cœptum opus à *Vulcatio* ipſe poſt *Lampridium Capitolinum*que continuaſſet. At *Trebellio* ſaltem *Pollioni* 4 ſuos *Tyrannos* novos ſubjunxiſſe ſuſpicabimini, eodem prorſus ordine, quo etiam hodieque in Collectione illa Codicis *Egnatiani* comparent. Sed finis ipſe *Probi* aliud factum à *Vopiſco* demonſtrat. [x] *Nunc* (inquit) *in alio Libro, & quidem brevi, de Firmo, & Saturnino, & Bonoſo & Proculo dicemus. Non enim dignum fuit ut quadrigæ Tyrannorum bono Principi miſcerentur. Poſt deinde, ſi vita ſuppetit, Carum incipiemus propagare cum liberis.* Non *tempus* modo illa, quo fuerint ſcripti, ſed & *ordinem* quo fuerint diſpoſiti, proprii *Vopiſco* Tyranni manifeſtant, & quidem eundem illum, quem in receptis obtinent Editionibus, inter *Probum*, & *Carum*. Aliter foret, nulla fuiſſet prorſus neceſſitas cur poſt *Probum* ſcripti, & ante *Carum*, *Probo bono Principi* inſererentur; ſiquidem alteri ſeparatoque volumini illos inſeruiſſet *Vopiſcus*, in quo locum omnino nullum *Probus* habuiſſet. Confirmant eundem *ordinem* quæ in ipſo *Tyrannorum* initio legimus ac fine à *Vopiſco* deſcriptorum.

VII. nec *Pollio*,

Sed nec ſuperiores aliquos *Cæſarum* non-Auguſtorum *Tyrannorum*que collectores continuavit ſeparato volu-

u *Prob. c.* 2. x *Prob. c.* 23.

mine

mine *Trebellius Pollio.* Tantum abeſt, ut hoc verum fuerit, ut ne quidem conſtet noveritne aliquos, qui de *Tyrannis* ſeorſim egerint, nedum noſtros, *Vulcatium*, *Lampridium* aut *Capitolinum.* Nihil certe præfatur unde hoc colligi potuerit, aut fuerintne *Tyranni* ejus cum aliis aliorum Autorum *Tyrannis* quibuſcunque jungendi. Immo vero *Temporum* ordinem ab eo obſervatum conſtat, ſic quidem illum, ut qui ejuſdem fuiſſent *Temporis*, illi eadem ſerie, ſeu *legitimi* fuiſſent *Auguſti*, ſeu *Tyranni*, fuerint enarrandi. Id ipſo Libri initio ſignificat, ſe [y] *ad eam Temporum venire ſeriem, in qua, per annos, quibus Gallienus & Valerianus Rempub. tenuerunt, triginta Tyranni, occupato Valeriano magnis Belli Perſici neceſſitatibus, extiterint, quum Gallienum non ſolum viri, ſed etiam mulieres contemptui haberent, ut ſuis locis ſe ait probaturum.* Nempe in *Victoria* & *Zenobia.* Sed *Titum* ille & *Cenſorinum* poſtea adjunxit in uno cum ſuperioribus volumine cenſendos. Sic enim ad Amicum ille: [z] *Quæſo qui expletum jam Librum acceperas, boni conſulas, atque hos volumini tuo volens addas.* Sed non nudo *Tyrannorum* nomine hos addendos cenſuit, ſed ut ita *numerum* abſolveret, quem fuerat in titulo pollicitus, *tricenarium*, excluſis nimirum, quarum nomine irriſus fuerat, ex eo cenſu, *mulieribus.* Aliter fuiſſet, ſatis iterum iterumque indicat, *temporis* potius, quam cognati Argumenti, ordine fuiſſe diſponendos. Ait itaque duos hoſce *addititios Tyrannos*, quaſi *extra numerum* fuiſſe, *quod alieni eſſent temporis.* His itaque confert *Valentem* ſuperiorem numeri hujus XIX$^{m}$ alieni ſcilicet & ipſum *temporis*, cum fuerit coævi *Gallieno Valentis* avunculus, nec ipſum pro-

y *Trig. Tyr.* c. 1. z *Trig. Tyr.* c. 31.

inde

inde hoc in loco niſi *numeri*, quam dixi, ratione ponendum. Ait itaque ſe *novos* hos *Tyrannos*, quorum alter *Maximini temporibus* vixerit, alter *Claudii*, (ni hæc ratio, quam dixi, obſtitiſſet) poſt *Claudium* & *Aurelianum*, his qui inter *Tacitum* & *Diocletianum* fuerunt, addere deſtinaſſe. Delegit nimirum locum *Tyrannis* frequentem ad alium proculdubio numerum, quem commenturus erat, ut *tricenarium* fuerat commentus, explendum; ibi nimirum alienorum *temporum* hos ipſos duos addititios *Tyrannos* intruſurus. Non itaque ſe invicem ſequi oportebat, in hoc Opere *Trebelliano*, alios quam ejuſdem *numeri Tyrannos*. Ad alium ſpectabant locum *novi numeri* Tyranni, legitimiſque interpoſitis Imperatoribus diſtinguendum. Nec ſane alios poſt hos Tyrannos, ſequi voluiſſe *Pollionem*, verba ejus in fine manifeſtum faciunt: [a] *Nunc* (inquit) *ad Claudium principem redeo.* Sic itaque inter *Gallienum* & *Claudium*, principes nimirum *legitimos*, inſerendi erant hi triginta Tyranni pro mente *Pollionis*, novam utique ſeriem nullam ipſi conſtituentes, ſed Principibus *genuinis* immiſcendi. Atque ita unicam duntaxat ſeriem *Principum* in *Trebellio Pollione* agnoſcit [b] *Vopiſcus*; *qui à duobus* (inquit) *Philippis uſque ad Divum Claudium & ejus fratrem Quintillum, Imperatores tam claros quam obſcuros memoriæ prodidit.* Nondum itaque facta eſt diſtinctio illa Codicis *Egnatiani*.

VIII. nec *Capitolinus.*

Progredior jam, ſed ordine, ut cœpi, retrogrado ad *Capitolinum*. Et dem nec ipſum puto ſeorſim ſeriem aliquam texuiſſe Tyrannorum à *Vulcatio* inchoatam.

a *Trig. Tyr. c.* 33. b Vopiſc. *Aurelian. c.* 2.

tam. Tyrannos quidem ſupponit, ut oſtendimus, *Nigrum* & *Albinum*. Nec tamen alterius Autoris opus ullum memorat de Tyrannis, cui novos illos Tyrannos jungendos eſſe cenſuit. Sed nec vitam aliam Tyranni priorem; nec vitam aliam à ſe ſcriptam ullam; nec in ea, qua verſatus eſt, collectione priorem aliquam *Severo*, vel alteri cuipiam Scriptori tribuendam. Et vero in rebus *Severi*, *Marium* ille *Maximum* ſæpius teſtem adducit quam collectam aliam è *Mario Maximo* vitam à Scriptore recentiore, aut coævo. Tantum abeſt ut *Lampridii* nomine uſquam uſus ſit, nedum *Vulcatii* aut *Spartiani*. Et ſane rationem ego nullam prorſus video, quæ quippiam commune fuiſſe ſuadeat *Capitolino*, qui ſub *Magno* ſcripſit, ut vidimus, *Conſtantino*, & prioribus aliis Scriptoribus illis, quos habemus, *Diocletianeis*. Nec tamen viceverſa video quid obſtet, quo minus commercium eſſe potuerit inter primos tres Scritores ævi *Diocletianei*. Quod vero ad cauſam noſtram ſeparati voluminis attinet, duos tantum complectetur, idque unum efficiet ut *Spartiani Ælium Verum* viderit fortaſſe *Vulcatius*. Sed qui *Spartiani Ælium Verum* & *Vulcatii Caſſium* cum *Capitolini* Tyrannis conjunxit, qui *Capitolini* etiam illos cum novis aliis commiſerit *Pollionis* & *Vopiſci*, eum certe non *Capitolinum* ipſum, non *Pollionem*, aut *Vopiſcum*, ſed recentiorem aliquem alium fuiſſe his omnibus luculenter, niſi fallor, oſtendimus.

IX. Eſt tamen illa partitio Codicibus *hodiernis* pleriſque antiquior.

Nec vero eſt propterea inutilis noſtra illa Obſervatio de novo *Cæſarum* & *Tyrannorum* volumine. Demus non fuiſſe ab ipſis *Autoribus* illam Codicis *Egnatiani* partitionem. Eſt

Eſt tamen admodum *antiqua.* Et quidem antiquior antiquiſſimo illo Codice olim *Palatino,* jam *Vaticano.* Antiquior nimirum illis omnibus, qui ordinem illum vitarum *perverſum* repræſentant, quem ex imperita illa partis utriuſque invicem permiſtione diximus oriundum. Sic antiquiſſimas conſervarit horum Autorum *Lectiones* Codex ille, quicunque demum fuerit, *Egnatianus,* & à mendis illis immunes, quaſcunque invexerint recentiores illi ordinis genuini perverſores. Et rari admodum ſunt hodierni Codices, ſiqui forſan ulli, quin Tyrannos illos locis diſponant alieniſſimis, illis proinde recentiores, qui hoc ipſo Codicis *Egnatiani* Codice Originali fuerint ipſi recentiores. Nec enim poterant illi ab omnium antiquiſſimis emanare Codicibus, hac ipſa nimirum partitione antiquioribus, qui ordinem proculdubio vitarum repræſentabant ſimpliciorem, & veris *temporum* rationibus longe convenientiorem. De ipſo certe vitarum *ordine* rationem reddendam cenſuit Autor *Veri Imperatoris,* & quidem illam Chronologicam. Cum enim *Verum Marco* præpoſuiſſent alii, quod prior *Verus* Imperare deſiiſſet, ſe tamen ait, quod prior *Marcus* Imperare cœpiſſet, deinde *Verus,* qui ſuperſtite periit *Marco,* priorem *Marcum,* dehinc *Verum,* crediddiſſe celebrandum. Similem de *Caracallæ Getæ*que ordine rationem legimus in vita [a] *Caracallæ.* Sic & *Macrinum Diadumeno* præpoſuiſſe Autorem vel inde conſtat, quod, ni obſtitiſſet ratio illa de colligendis *Antoninis,* dicat ſe [b] *Patris* illum *geſtis* alioqui fuiſſe juncturum. Plane ſupponens, nec in ſeparato volumine fuiſſe a Patre *Diadu-*

*a Carac. c.* 11. *b Diadum. c.* 6.

*menum*, & *Patris* geſta ante ſcripta, & loco ſuperiori diſpoſita. Et de *Heliogabalo* addit idem Autor *Diadumeni* : [c] *de quo quidem, quia multa ſunt dicenda, loco ſuo differam.* Differam (inquit) non *differui*. Quid hic manifeſtius quam, pro Autoris mente, tam poſt *Macrinum*, quam poſt *Diadumenum*, nec in alia tamen ſerie, ſequi oportuiſſe *Heliogabalum*? Et *temporis* ordinem, etiam à *Capitolino*, ſervatum eſſe ſatis accuratum? Plane hæc conveniunt cum conſilio illo, quod oſtendimus, *Trebellii Pollionis*, de Tyrannis, & quidem in eadem ſerie; cum legitimis *Auguſtis*, pro *temporum* ratione diſponendis.

X. Nequidem legitimos *Spartiani* & *Lampridii* Auguſtos continuavit, dedita opera, *Capitolinus*; ſed *Suetonium* potius & *Marium Maximum*.

Redeo jam ad legitimorum *Imperatorum* ſeriem, quam in vitis *Capitolini* ultimis, *Maximi* & *Balbini* abruperam. Et quidem ægre mihi ſuaderi patior horum, quos habemus, Autorum *Diocletianeorum* legitimos etiam Auguſtos *continuaſſe Capitolinum*. Illud ſane conſtat multos fuiſſe illis *Capitolini* temporibus præter *Spartianum*, *Vulcatium*, & *Lampridium*, qui *vitas* Principum enarraverant. Sed novum erat, ut oſtendimus, conſilium *Capitolini* ut *Græcis* à *Tatio Cyrillo* verſis, *Conſtantini* juſſu, Scriptoribus, *Latinos* adjungeret, ſeu potius ut utroſque defloraret. Hoc fecerant ex profeſſo nulli eorum, quos modo nominavimus, Autorum. Alios itaque Autores eum *continuaſſe* crediderim. Cœpiſſe quidem illum crediderim ubi deſiit *Tatius Cyrillus*, atque inde novas vitas tam è *Græcis*, quam è *Latinis* Scriptoribus exaraſſe. Ut tamen *Latinos*

c *Diad. fin.*

Scriptores

Scriptores *Græcis Cyrilli* pro vitis etiam ſuperioribus adjungeret, ſupplevit Autoribus illorum temporum celeberrimis *Latinis*, *Suetonio*, & *Mario Maximo*. Sic enim Hiſtoriam Auguſtam tam è *Græcis* quam è *Latinis* collectam à *Julio* uſque Dictatore ad *Græcorum* illorum tempora, quos *Latine* verterat *Tatius*, continuam perduxerit. Et quidem *Suetoninm* continuavit dedita, ni fallor, opera *Marius Maximus*, non certe Imperatorum ſeriem deduxit ab *Exordio*. Neminem legimus antiquiorem *Trajano*,cujus meminerit *Marius Maximus*. Facile enim fieri potuit ut breviculi *Nervæ* Imperii teſtimonium hodie nullum extet. Et tamen illud quoque ſcripſiſſe *Marium*, eſt quod ſuſpicemur ex *Ammiano Marcellino*, qui è *Mario* hoc pleraque, ni fallor, deſcripſit, quem ſuo tempore celeberrimum [d] agnoſcit. Se vero à principatu *Nervæ* [e] Cæſaris exorſum fatetur ipſe, qui proxime *Suetonii* ultimum exceperit *Domitianum*.

XI. *Suetonium*, ut videtur, in rebus *Nerva* ſuperioribus, non *Capitolinus* modo, verumetiam *Vopiſcus*.

Collectionem certe Tyrannorum his Autoribus ſcriptam *Suetonio*, *Mario Maximo* & *Trebellio Pollione* ob oculos habuiſſe videtur cum [f] IV. Tyrannos ſuos adderet *Vopiſcus*, nullum certe *Vulcatium*. Et tamen ei notum fuiſſe conſtat tam *Lampridium* [g] quam *Capitolinum*, cum nihilominus in Tyrannis ſeorſim explicandis ſolum nominet *Trebellium Pollionem*. Sed nullos Tyrannos ſcripſerat *Lampridius*, nec multos in unum Librum coegit *Capitolinus*, ut fecerat *Trebellius Pollio*. Et quidem *Suetonium* alibi accenſet *Vopiſcus* cum

*d* Amm. *L.* XXVIII. 4. *e* Amm. *L.* XXXI. 16. *f* Vopiſc. IV. *Tyrann.* c. 1. *g Prob. c.* 2.

*Mario Maximo*, illis, quos fuerit ipse imitatus & quidem, ne reliquos nominem, *Capitolino* & *Lampridio*. Et vero multa sunt, quæ suadeant ipsos illos, quos diximus, præcipue cogitasse *Capitolinum*. Ait *Vopiscus* [h] Tyrannos tacuisse *Suetonium*, nempe *Antonium* & *Vindicem*, quod tamen ita explicat, quod fuerit contentus eos cursim perstrinxisse. Recte nimirum ille: nam penitus tacuisse falsissimum erat. *Vindicis* meminit *Suetonius* in *Neron. c.* 40. *Antonii* in *Domitiano c.* 6. Sed plane hoc ipsum habuit in animo *Capitolinus*, dum queritur & ille latere *Vindicem*, & nesciri *Pisonem*. Quod scilicet nec *Pisonem*, nisi obiter, memorasset *Suetonius* in *Nerone* c. 36. Sic enim *Capitolinum* interpretari didicimus è *Vopisco*. Idem recitat alibi [i] Tyrannos ab *exercitu* factos, eosdem plane, quorum hoc in loco meminit *Vopiscus*, *Nigrum*, *Albinum*, *Cassium*, *Vindicem*, & *Antonium*, ex iisdem proculdubio fontibus, eademque de eorum obscuritate observatione, apud *Suetonium* & *Marium Maximum*, unde etiam *Vopiscus*. Itaque in rebus *Nervæ* superioribus *Suetonium* secutus est, ut videtur, *Capitolinus*.

XII. in rebus *Nervæ* recentioribus, *Marium Maximum*.

Sic in rebus *Nervæ* recentioribus testem sequitur *Marium Maximum*. Observaverat, ut modo vidimus, *Vopiscus* *Marium Maximum* non propriis Libris *Nigrum* & *Albinum*, sed *alienis*, innexuisse. Plane quasi ille in sua, quam ob oculos habebat, Collectione non alium harum vitarum haberet Autorem quam *Marium Maximum*. Et sane *Marium Maximum* testem in his rebus adducit, & fere solum *Capitolinus*, præsertim in

*h* Vopisc. IV. *Tyr. c.* 1. *i Alex. c.* 1.

rebus *Severi*, quem alterius fuiſſe diximus Scriptoris à *Capitolino*. *Marius* [k] (inquit) *Maximus dicit hunc animum Severo primum fuiſſe, ut ſiquid ei contingeret, Peſcennium Nigrum & Clodium Albinum ſibi ſubſtitueret.* Sic & in rebus ejuſdem *Severi*, ubi monet quanta ſeveritate factionem vel *Peſcennianam* vel *Clodianam* vindicarit *Severus*, illa ſubjungit: [l] *Quæ quidem omnia in vita ejus poſita ſunt; quæ qui diligentius ſcire velit, legat Marium Maximum de Latinis Scriptoribus.* Et in vita Getæ: [m] de *cujus* (inquit) *vita & moribus in vita Severi Marius Maximus primo ſeptenario ſatis copioſe retulit.* Pertinebant & hæc ad *Severum* ut de filii *Getæ* vita & moribus ageretur. Et in rebus *Albini*, cujus res geſtas *Severi* vitæ innexuerat *Marius*, ſic iterum Capitolinus: [n] *Denique quum ſolicitus Augures conſuleret, reſponſum illi eſt (ut dicit Marius Maximus) venturum quidem in poteſtatem ejus Albinum, ſed non vivum, nec mortuum, quod & factum eſt.* Rurſus: *Fuit Albino unus (ut aliqui dicunt) filius, Maximus dicit duos.* Solum hic nominat *Maximum*, quaſi nimirum illum, cujus Hiſtoriam ipſe vellet ad recentiora tempora perducere. *Suetonium* itaque & *Marium Maximum* continuavit *Capitolinus*. Qui autem in unum cum *Capitolino* corpus *Diocletianeos* etiam conjunxit Autores, *Spartianum*, *Vulcatium* & *Lampridium*, ille certe *Capitolino* ipſo junior erat, nec illo modo, ſed & *Trebellio* quoque *Pollione* & *Vopiſco*. Et tamen antiquior idem utraque hujus Corporis forma, tam illa nimirum, quæ duas ſeries complexa eſt, legitimorum *Auguſtorum* alteram, alteram *Cæſarum* & *Tyrannorum*; tam & alia quoque illa, quæ una eademque ſerie continua comple-

k *Albin. c.* 3. l *Albin. c.* 12. m *Get. c.* 2. n *Albin. c.* 9.

xa eſt tam *Cæſares* & *Tyrannos* quam ipſos etiam legitimos *Auguſtos*.

XIII. *Hiatus* inter *Maximum* & *Balbinum* & *Valerianos*, antiquior forma illa noſtri Corporis, in qua ſupplebatur ex *Eutropio*; & alia quoq; antiquior *Egnatiana*, in qua nullus legebatur *Eutropius*.

Sequitur jam poſt *Maximum* & *Balbinum* hiatus uſque ad *Valerianum*. Eum membranis Regiæ Bibliothecæ *Gallicæ* veteribus antiquiorem agnoſcit *Caſaubonus*, ut & illis quoque, quibus uſus fuerat in *Italia Puteanus*, & *Robertus Bononienſis*. Addimus & Nos antiquiorem eſſe forma hujus Corporis *Egnatiana*, quam Nos hodiernarum antiquiſſimam probavimus, vel ab antiquiſſimis Codicibus deſcriptam. Cum enim nullam vitarum harum haberet forma illa *Egnatiana*, nullam certe habere potuit, qui formam illam mutare auſus in illam, quam habemus, hodie mendoſiſſimam. Et tamen ex *Eutropio Robertum Bononienſem* & antiquas quoque membranas obſervavit ſupplere voluiſſe *Caſaubonus*. E forma nimirum illa hujus operis, quam tamen in *Flavio Blondo* non obſervavit *Caſaubonus*, qua ſcilicet junctus his Autoribus legebatur *Eutropius*. Quæ tamen forma, ut fuerit *Roberto* & *Blondo*, & membranis quoque illis veteribus antiquior, non tamen admodum antiqua eſſe potuit. Non ab ipſo certe fuit *Eutropio*, qui univerſam in Epitomen redegit Hiſtoriam *Romanam*, non unum aliquem continuavit Autorem, aut etiam Autorum corpus. Sed nec ante formam *Egnatianam*, in qua nullus comparebat *Eutropius*.

XIV. *Valerianorum* Autor *Trebellius Pollio*.

*Valerianos* duos unus tamen Liber idemque complectitur. Hoc ſcilicet pro exemplo *Capitolini*, qui plures Imperatores, quorum pauca eſſent geſta, uno com-

complecti Libro ſolitus eſt. Et quidem *Capitolino* tribuit *Robertus* de Porta. Tribuerunt etiam membranæ *Palatinæ*, & antiquiſſima Editio, teſte *Salmaſio.* Sed vel hinc experimentum capimus quam nullam mereantur in his Inſcriptionibus Codices etiam antiqui fidem. *Trebellium* [o] certe *Pollionem* à *duobus Philippis uſque ad Divum Claudium, & ejus fratrem Quintillum, Imperatores tam claros quam obſcuros* [Tyrannos ſcilicet] *memoriæ prodidiſſe* teſtem habemus diſertiſſimum *Vopiſcum.* Cur vero ille à *Philippis* inciperet niſi ante *Philippos* deſiiſſet *Capitolinus*? Et plane vitæ ipſæ oſtendunt eundem ſequentium Principum Autorem, *Valerianorum, Gallienorum, triginta Tyrannorum, Claudii* & *Quintilli.* Valerianum ſeniorem junioremque in unum coactos Librum oſtendunt Autoris verba in fine *Valeriani ſenioris* & in *juniore.* Ubi etiam ait *ad aliud* ſe *volumen tranſire de duobus Gallienis.* Ejuſdem itaque Autoris & ſequentes erant *Gallieni*, in unum quoque & illi Librum pro ſimili Autoris conſilio compingendi. Recte itaque *Trevelio* (ſic enim ſcribit) *Pollioni* hunc Librum tribuit Codex *Egnatianus.*

XV. Ea vita hodie mutila. Eſt tamen vita *Valerianorum* hæc, quam habemus, admodum mutila, & minima pars illius, quam ſcripſit *Capitolinus.* Quanta hic licentia uſi fuerint Librarii, è variis ejus formis intelligimus, quas repræſentarunt è Codicibus MSS^is. *Caſaubonus* & *Salmaſius.* Nos illud obſervamus, quod nondum obſervatum ab illis aliiſve vidimus, fuiſſe in hac vita, præter alia ipſius *Valeriani*, res quoque *Gallieni* omnes ante Patris *Captivitatem.* Fuiſſe cer-

o Vopiſc. *Aurel. c.* 2.

te multo quam habemus plura, vel illa Autoris verba demonſtrant, quibus ait ſe propterea *ad novum tranſire volumen*, quod [p] *vereretur ne modum voluminis tranſiret*; cum tamen multa deſint ad juſtum aliorum hujus Collectionis voluminum modum, Et quidem in illis multa fuiſſe [q] *Gallienum* ſpectantia, verba ejus etiam habemus diſertiſſima: *de quo* (inquit) *jam nobis multus ſermo fuit*. Cum tamen nulla *Gallieni* geſta legamus in volumine, quod habemus de *Valerianis*, hodierno. Denique res omnes *Gallieni* ante *Captivitatem* Patris in eo locum habuiſſe, exinde colligimus, quod *Gallieni* vitam in proximo volumine à [r] *capto Valeriano* ordiatur. Conſtat enim ſequentis Libri initium integrum eſſe ex illis Autoris verbis: *Enimvero unde incipienda eſt Gallieni vita, niſi ab eo præcipue malo quo ejus vita depreſſa eſt*. Inde manifeſtum eſt ejuſdem Autoris novum illud fuiſſe volumen de *Gallienis*. Manifeſtum eſt etiam, ſi quidem ulla primi *ſeptennii* geſta, quo imperavit cum Patre *Gallienus*, ſcripſerit Autor, in *Patris* vita utique fuiſſe quærenda. Ab eo enim Anno annos continuos per *COSS.* deſcribit Autor, (quod nunquam fecit *Capitolinus*) ſic quidem ille, ut nunquam fuerit ad *COSS. priores* regreſſus. Inde etiam veriſimile eſt & *Septennii* quoque illius geſta, quo imperavit *Valerianus*, noſtrum per *COSS.* ſimiliter prodidiſſe. Nec modo in *Valerianis*, ſed in aliis quoque ſuperioribus *Valeriano* Imperatoribus, ad *Philippos* uſque, eadem uſum methodo veriſimile eſt. Quo magis rei *Chronologicæ* publicæ cauſa dolendum tot intercidiſſe *Pollionis* noſtri prima volumina. Confirmat præterea, quod di-

*p Valer jun. c.* 1. *q ib. r Gallien. c.* 1.

xi,

xi, de *Gallieni* geſtis prioribus volumini priori de *Valerianis* inſertis, quod legimus in Libro de Gallienis: [f] *Gotthi & Clodius, de quo dictum eſt ſuperius, occupatis Thraciis Macedoniam vaſtarunt*, &c. Nuſpiam enim hoc dixerat Autor in illo ipſo *Gallienorum* volumine, ſed in ſuperiori hoc *Valerianorum*. Primi enim *Septennii* hoc fuiſſe geſtum vel inde colligimus, quod dicat poſtea [t] *Gotthos* illos oppugnaſſe *Macrianum*; ipſum nimirum *Macrianum* Tyrannum poſt captivitatem *Valeriani*, cujus etiam *filios* ſub [u] *Valeriano* Tribunos legimus, unde illum gratia *Valeriani* prolixiſſima floruiſſe facile colligimus. Imo ipſum legimus [x] *Valeriano* fuiſſe præfectum. Niſi forte *Marcianus* potius intelligendus ſit, cujus mentionem legimus in rebus geſtis *Gallieni*, poſt mortem quoque *Macriani* frequentiſſimam. Verba illa *& Clodius* è margine in Textum irrepſiſſe ſuſpicamur. Ea certe ſi omittantur, ſententia optime conſtabit, ſi tamen particulam relativam *quo* non ad *Clodium*, ſed ad ſententiam remque geſtam retulerimus. Et potuit quidem *Pollio* ſcribere *Gallieni* Annales, qui *Ephemeridas* etiam ejus vidit, Autore [y] *Palſurio Sura*. Nec enim id genus Tituli in Principum Hiſtoriis inuſitatum. Sic *Alexandri M.* legimus *Ephemeridas*, & in hac ipſa Hiſtoria *Auguſtâ*, præter *Gallieni* haſce, [z] *Aureliani* etiam & *Probi*. Sed & de [a] *Tyrannis* multa dixit noſter in vita *Valeriani*, de quibus ne unum quidem hodie verbum legimus.

XVI. Ejuſdem *Pollionis* Liber eſt de *duobus Gallienis*.

Sequitur Liber de *duobus Gallienis*, is etiam, pro Autoris mente, unicus. Patet hoc vel è prioris fine de *Valerianis*, ubi *Gallienum* cum hoc *Salonino*

*f Gall. c.* 5. *t ib.c.*6. *u Trig. Tyr. c.* 12. *x Trig. Tyr. c.* 10. 12. *y Gallien. c.* 18. *z Aurelian. c.* 1. *a Gallien. jun. c.* 1.

ſive

ſive *juniore Gallieno* in unum Librum incluſurum dixerat Autor, ni alioqui exceſſurus fuiſſet voluminis modum. Plane autem indicat eundem Autorem hujus Libri, ut diximus, *initium* ab eo nimirum loco ſumptum ubi deſiit prior, à *Captivitate* nempe *Valeriani*. Imo & *Valeriani* vitam ſuam agnoſcit, ubi de [b] *Tyrannis* ait, *Nam & multa in Valeriani vita.* Idem etiam ſequentem de [c] *triginta Tyrannis* Librum aliquoties pollicetur. Idem itaque trium horum Librorum Autor fuerit neceſſe eſt. *Capitolinum* illum rurſus faciunt *Robertus* de Porta, *Puteani* Codex alter, & membranæ *Salmaſii Palatinæ*, & quidem neſcio quo errore, Codex etiam *Egnatianus*, qui ita titulum repræſentat: *Ejuſdem Julii Capitolini Gallieni duo*, cum tamen non præceſſiſſet in priori Libro *Capitolinus*, ſed *Trebellius*, ut dixi, *Pollio.*

*b Gallien. jun. c.* 1. *c Gall. c.* 16. *& Gall. jun. c.* 1. 3.

*Præ-*

# *Prælectio Proœmialis* V.

NOV. 16. 1688.

*Transitio.* §. I. *De* xxx. Tyrannis *scripsit* Pollio. §. II. *Et de* Claudio *&* Quintillo. §. III. *Vitas* Constantino *inscriptas scribere non potuit aut continuare* Pollio, *qui scripsit ipse sub finem* Diocletiani. §. IV. Trebellium Pollionem *videtur continuasse* Vopiscus. §. V. Vopisci *vitæ omnes genuinæ.* §. VI. *Diversis* amicis, *diversisque adeo* ( *ut videtur* ) temporibus, *vitas suas scripsit* Vopiscus. §. VII. *Imperante* Diocletiano, *aut certe* Constantio Chloro. §. VIII. *Potius* ( *ut videtur* ) Constantio Augusto, *&* *vivo* Diocletiano. §. IX. *Non magno* temporis *spatio a Libro* primo postremum *etiam scripsit* Vopiscus. §. X. *Quem* Cæsarem *appellat* Vopiscus, Galerius *vere erat, cum scriberet* Vopiscus, Augustus. §. XI. *Initio autem* Galerii *scripsit, superstite adhuc* Constantio Chloro. §. XII.

I. Transitio.

DE nova Codicis *Egnatiani* partitione in duos Libros, de *Augustis* alium, alium de *Cæsaribus* & *Tyrannis*, superioribus, Academici, Prælectionibus egimus. Illam Nos Codicibus hodiernis plerisque antiquiorem esse probavimus. Tum deinde, quam occasionem novi separatique voluminis collector ex ipsis acceperit *Autoribus*, ostendimus; Illos nimirum ipsos *Augustos* summaque ac legitima Potestate præditos Principes à *Cæsaribus Tyrannisque* distinxisse; Illos *Cæsarum Tyrannorumque* vitas *singulis* enarrare separatisque decrevisse *voluminibus*; Eosdemque *illis* pro *Tyrannis* habitos, quos

quos pro Tyrannis habuerit ſecundi noſtri ſeparatique voluminis *Collector*. Sic tamen *vitas* Cæſarum Tyrannorumque ſingulis *Libris* tradere voluerunt noſtri Corporis Autores, ut nihilominus *Collectionem* illarum vitarum ( quod fecit junior ille Codicis *Egnatiani* diſtributor ) nullam deſignarent. Hoc Nos in *Vopiſco*, hoc in *Trebellio Pollione*, hoc etiam in *Capitolino*, idoneis, ni fallimur, Argumentis evicimus. Tum ad ſeriem Corporis noſtri tantiſper abruptam regreſſi ſumus, idque probare conati ſumus, tantum abeſſe ut ſeriem aliquam ſeparatam *Auguſtorum* & *Cæſarum Tyrannorum*que à prioribus Corporis noſtri Scriptoribus cœptam poſteriores ad ſua uſque tempora perduxerint, ut ne quidem priorum *Auguſtos*, *Spartiani* nimirum & *Lampridii*, continuarit *Capitolinus*, ſed *Suetonii* potius ad *Nervam*, inde *Marii Maximi*. Dein *hiatum* à *Maximo* & *Balbino* ad *Valerianos* antiquiſſimum oſtendimus, & librum de *Valerianis* valde quidem mutilum illum, *Trebellii* tamen fuiſſe *Pollionis*, idemque etiam de *duobus* dicendum eſſe *Gallienis*.

II. De XXX *Tyrannis*, ſcripſit *Pollio*.

Librum de XXX. Tyrannis ſequentem, propter diſertiſſimum *Vopiſci* teſtimonium *Trebellii Pollionis* agnoſcit eſſe *Salmaſius*. Et tamen Libros veteres Scriptos editoſque magno conſenſu idem ait *Capitolino* vendicare, in quibus & *Robertum Bononienſem*, & Regium quoque *Galliæ* Codicem recenſet *Caſaubonus*. *Spartiano* aſſerit Codex *Egnatianus*. Sed vero jam oſtendimus ſuperiores à *Valerianis* Libros ejuſdem eſſe Autoris, ut proinde ſi hic ſit *Pollionis*, priores illi ejuſdem ſint oporteat. Nec ſane magis luculentum eſt *Vopiſci* Teſtimonium hunc Librum eſſe *Pollionis*, quam

&

& alias quoque à *Philippis* vitas eidem eſſe tribuendas. Ait, in ipſo ſtatim *initio*, plures a ſe ſcriptos eſſe Libros, antequam *ad eam temporis deveniret ſeriem*, qua tenuerint Imperium *Valerianus* & *Gallienus*. Hos itaque ſcripſit, quos habemus, eorundem temporum Libros de *Valerianis* & *Gallienis*, & alios etiam antiquiores, à temporibus nempe *Philipporum*. *Valeriani* [a] autem & *Gallieni* vitam à ſe ſcriptam agnoſcit. Immo & multa utrobique eadem id palam facerent, etiamſi non agnoſceret. Denique & [b] *Claudii* vitam & *Quintilli* fratris pollicetur in fine. Ut & proximum quoque Librum ejuſdem quoque fuiſſe Autoris intelligamus. Cæterum hucuſque Autor rudiori ſtylo Hiſtoriam perſecutus eſt, [c] *non Hiſtorico, nec diſerto, ſed pedeſtri* ( inquit ) *eloquio*. Ait enim ſe *quod ad eloquentiam pertineret, nihil curare.* [d] *Rem enim ſe propoſuiſſe deferre, non verba.* Denique, *Libellum ſuum non tam diſerte quam fideliter ſcriptum.* [e] Neque, *ſe eloquentiam pollicitum eſſe, ſed rem.* Se enim, *hos libellos, quos de vita Principum ediderat, non ſcribere, ſed dictare ; & cum ea feſtinatione dictare, quam, ſiquid* ( inquit ad Amicum ) *vel ipſe promiſero, vel tu petieris, ſic perurges, ut reſpirandi non habeam facultatem.* Nempe inde natum innuit ſtyli neglectum.

III. Et de *Claudio* & *Quintillo.*

Proximum tamen Principem *Claudium*, intuitu *Conſtantii* Cæſaris, cum *cura* ait in literas digerendum. Non ſcilicet feſtinanter, nec *dictando*, ſed ſcribendo. Et plane omnes hic intendit ingenii nervos, omnem oſtentat Rhetoricæ copiam, ut, ſicut

*a Trig. Tyr. c.* 1. *b Ibid. c.* 33. *c Trig. Tyr. c.* 1. *d Ibid. c.* 10. *e Ibid. c.* 33.

*Euſe-*

*Eusebius Constantini*, sic ille *Claudii* Panegyricum scribat verius quam Historiam. Nec unam modo hujus *Editionem*, sed *duplicem* emisit. Ea scilicet erat cura, nequid *Cæsare* suo, in stirpis suæ *Augusteæ* Historia, indignum admitteret. Et tamen hac ipsa laude spoliare illum volebant membranæ *Salmasii* & *Robertus Bononiensis*. Sed cum *Editis* consentit Codex *Egnatianus*, & verum *Pollioni* fœtum asserit. Et quidem ejusdem sit oportet cujus & vitæ priores. [f] *Ventum est* (inquit) *ad principem Claudium*. Innuit itaque & *alias* præcessisse vitas, quibus quasi gradibus quibusdam esset tandem eousque ventum. Et Librum de Tyrannis pro suo agnoscit, ut promiserat in eo Libro hunc etiam de *Claudio*. Ut proinde si vel *unum* de Libris hisce scripserit *Pollio*, omnes illum scripsisse necesse sit. Sed & *Quintillum Claudio* fratri se adjuncturum, id quoque fuerat in superiori Libro pollicitus, ut illum hoc in Libro fecisse videmus. Desunt tamen alii *Pollionis* nostri Libri, quos scribere decreverat, si tamen unquam scripserit. Statuerat *Aurelianum* scribere, & *Tacitum*, & fortasse reliquos Principes usque ad *Diocletianum*, ut è Libro ejus discimus de *triginta Tyrannis*. Sed quo minus illum promissis satis fecisse credamus, obstat [g] *Vopiscus*, qui & *Pollionis* opus vidit, nec ultra tamen illum pertigisse memorat, quam ad *Claudium* cum fratre *Quintillo*. Idem, *Aurelianum* qui descripsisset, neminem ait fuisse [h] *Latinorum* à se *lectitatorum*. Inde factum ut quasi novum opus ipse susceperit *Latinis* suis tanti Principis gesta enarrandi, homo nimirum ipse *Latinus*. Non itaque intercidisse vitas illas

*f Claud. c.* 1. *g Aurelian. c.* 2. *h Ibid. c.* 1.

alias

alias existimandum est, sed nunquam potius fuisse scriptas, quæcunque tandem illum occasio à scriptione impedierit.

IV. Vitas *Constantino* inscriptas scribere non potuit aut continuare *Pollio*, qui scripsit ipse sub finem *Diocletiani*.

Sed sane ratio ipsa *temporis* quo vixit harum vitarum Autor *Pollio*, obstat quo minus idem esse potuerit, qui vitas superiores scripserit inscriptas *Constantino*. Quod sane mirum est nondum observasse viros alioqui eruditissimos. Illudunt nobis fateor, in *Cæsaris* nomine, quem aliquoties nominat ut coævum [i] *Pollio*, Codices MSS[i]; eumque nunc *Constantinum* appellant, nunc vero *Constantium*. Sed *res* ipsa certior quibuscunque *Librariis*, non patitur ut alium intellexerit *Cæsarem Pollio* quam *Constantium*, & quidem illum non *filium Constantini*, sed *Patrem Constantium Chlorum*. Illum enim voluit *Pollio Constantium* qui *nepos* [k] erat *Claudii*; sic enim eum verbis disertissimis appellat in *Claudio*. Sic autem fuit *Chlorus*, eodem teste [l] *Pollione*, ex *Eutropio* genitus, & *Claudia Crispi Claudii* fratris filia. Illum inquam [m] *Constantium*, qui *Galerii* erat [in *Cæsarea* nempe dignitate, & *Augustorum* adoptione] *frater*; Quem hinc probat *Augustæ* esse *familiæ*, nondum scilicet *Augustum*; Quem ait *Augustos multos de se daturum, salvis Diocletiano & Maximiano Augustis*, qui proinde purpuram nondum exuerant. Tunc enim non *Augusti Diocletianus* & *Maximianus*, sed *parentes Augustorum* appellari solebant. Sic illum ante depositam à *Diocletiano Maximiano*que purpuram scripsisse necesse erit. Nempe ante Kal. *Apriles*, vel *Maias* potius, ut vult Autor certior, *Lactantius*, anni Æræ vulg. CCCV[i]. Nec tamen *diu* antequam deponerent

*i Gallien. c.* 7. 14. *k Claud. c.* 9. *l ib. c.* 13. *m ib. c.* 10.

rent

rent ſenes purpuram, ſcribere potuit *Pollio*. Ait enim ſtatuam [n] *Piſonis* XX[i] Tyranni *in his locis fuiſſe in quibus thermæ Diocletianeæ ſunt ædificatæ, tam æterni nominis quam ſacrati*. Abſolutæ quidem ſunt *thermæ* illæ *Diocletianeæ* Imperante *Diocletiano*, ornatæ dedicatæque *Conſtantio* demum *Maximino*que [Galerio] *Auguſtis*, *Severo* & *Maximino* Cæſaribus, ut è marmore colligimus ex illis ipſis thermis [o] effoſſo. Diu autem ante exitum *Diocletiani* abſolvi *thermæ* illæ non poterant, quæ erant à *Conſtantio* dedicandæ. Vix aliter conveniet quod ait in *Tetrico* juniore: [p] *Narraſſe avum ſuum, hunc ſibi familiarem fuiſſe, neque quenquam illi ab Aureliano, aut poſtea ab aliis Principibus, fuiſſe prælatum.* Tempora *Aureliani*, recentiorumque *Aureliano* Principum *avi* ſui memoriæ temporibuſque attribuit *Pollio*, triginta nimirum, aut circiter, annorum ſpatium ante finem *Diocletiani*. Ut *juvenem* admodum fuiſſe demus, cum hæc ſcripſit, *Pollionem*, ſatis vel ita arctum ſpatium videbitur ad *avi* ejus memoriam repetendam. Melius tamen illa conſtabunt, quo propius illum admoveamus ad finem Diocletiani. Conveniet & illud, quod ait, [q] *multos de ſe Auguſtos daturum* eſſe Conſtantium. Scripſit hoc, cum è nuptiis *Theodoræ Maximiani Herculii* privignæ jam *liberos* aliquot *mares* ſuſcepiſſet *Conſtantius*, quos *ſex* habuit in univerſum, ut diſcimus ex [r] *Eutropio*. Hinc enim illas fuiſſe puto de *ſucceſſione Auguſtea* gratulationes tam *Claudio* quam *Conſtantio*, quas adeo frequentes legimus in his præſertim Autoribus. Decollaverat enim *ſenioribus Auguſtis* ſpes omnis ſucceſſionis, præterquam è *filiabus*. Sed

*n Trig. Tyr. c.* 21. *o Ap.* Scalig. *num.* Euſ. 2318. *p Trig. Tyr. c.* 25. *q Claud. c.* 10. *r* Eutrop. *L. IX.*

nec

nec ullam legimus *Maximiani Galerii* prolem è *Diocletiani* filia *Valeria.* Ita *ſucceſſionis* ſpes omnis in *Conſtantio* etiam *Cæſare* repoſita eſt, quem cum multiplici *prole* etiam *maſcula* auctum videret noſter, tum demum gratulari poterat *multos* illum de ſe *Auguſtos* eſſe daturum. Habuit itaque jam in matrimonio *Theodoram*, & jam aliquot ex ea *filios*. Nec enim de prioris matrimonii filio *Conſtantino* hoc potuit augurari noſter, cum nec fuerit *hæreditarium* Imperium *Romanum*, & *Conſtantino* infenſi eſſent *Auguſti*, qui Succeſſorum nominandorum habebant poteſtatem. At *Theodoram* anno CCXCII°. cum *Cæſar* nominaretur, uxorem duxit *Conſtantius*. Huic certe anno conveniunt *Legum* Inſcriptiones quas in Codice, AA. duntaxat, ab hoc deinde anno AA. & CC. attribui videmus. Inde præterea anni aliquot effluxerint oportet ad experimentum illius, quam celebrant hi Autores, fœcunditatis. Ita ante annum CCC^m^. *diu* ne quidem potuerit noſter ſcribere *Trebellius Pollio.* Quod vero ad *Capitolinum* attinet, [f] *Cornelium* ille *Capitolinum* teſtem advocat. Cur nullam hic legimus obſervationem, ſi *cognominem* Autorem laudaſſet *Julius* ipſe *Capitolinus*?

V. *Trebellium Pollionem* videtur continuaſſe *Vopiſcus.*

Progredimur jam ad ultimum hujus Corporis Autorem *Vopiſcum.* Et quidem illi in animo fuiſſe crediderim, ut *Trebellii Pollionis* Hiſtoriam qua defecerat, ad ſua uſque tempora, produceret. Meminit enim ille ſtatim initio *Pollionis*, & ab eo uſque tempore quo *Pollionem* defiiſſe dixerat, ſuam deinceps Hiſtoriam exorſus eſt. *Claudio* enim & *Quintillo* proximus, in Im-

f *Trig. Tyr. c.* 15.

peratorum ſerie, erat *Aurelianus.* Nempe id tum verum eſſe puto, cum, præter *Aurelianum*, alios quoque ſcribere decreviſſet Imperatores. De ſolo enim, cum primum manus Operi admoveret, cogitavit *Aureliano.* Illum enim ſolum rogaverat, qui ab [t] *Aureliano* ſtirpem duxerat, Junius Tiberianus. [u] *Illumque ſolum* ab initio *expetitum* agnoſcit ipſe *Vopiſcus. Tacitum* deinde propria ſponte addidit & *Florianum.* Tum & *Probum*, quouſque cum fuiſſet progreſſus, jam reliquos quoque ſe [x] ad *Diocletianum Maximianumque Principes* dicturum pollicetur. Itaque, cum de continuandis ad ſua tempora Principibus ſtatuiſſet, jam *Pollionem* ita ob oculos habuit, ut illum vellet ſupplere atque continuare. Id etiam colligimus è Libro ejus de 4 *Tyrannis.* [y] *Pollionis* enim ibi quoque probat exemplum de *obſcuris* quoque Principibus & *Tyrannis* ſeorſim enarrandis, & in *unum* colligendis *pluribus* eundemque *Librum.* Quo etiam exemplo & ſuum ipſe Librum ſcripſit de 4 *Tyrannis.*

VI. *Vopiſci* vitæ omnes genuinæ.

Et quidem hæc ipſa Obſervatio ſatis oſtendit alium eſſe harum vitarum Autorem atque præcedentium. Et tamen antiquum obtinet bonus iſte *Robertus Bononienſis*, ut *Aurelianum* etiam tribuat *Capitolino*, ut *Pollioni* etiam *Vopiſci* 4 *Tyrannos* tribuit Codex *Egnatianus.* Indigni illi prorſus qui operoſe refutentur. Ultimi nimirum Autoris nomen, qui præceſſerat, ſequentibus tribuunt vitis, cum defuiſſet Librario Calligrapho minium ad titulos ſequentium vitarum explendos. Sic certe hærent invicem hæ vitæ, ut & prima alterius nullius, cum ſola de-

*t Aurelian. c.* 1. *u Prob. c.* 1. *x ib.* *y* 4 *Tyran. c.* 1.

ſignaretur,

ſignaretur, eſſe potuerit; nec reliquæ etiam alteri aſſignandæ ſint quam, qui primam ſcripſerit, Autori. Primum itaque miſit, ut dixi, rogatus *Aurelianum*, in quo tamen [z] *Tacitum* pollicetur. Tunc *Tacitum* miſit & *Florianum* uno illos eodemque volumine. Epiſtolas enim de Senatus Juribus redintegratis gratulatorias, in *Taciti* vita ait in fine [a] *Libri* poſitas, quas tamen legimus in fine *Floriani.* Idque etiam oſtendunt in [b] *Floriano* verba illa: [c] *Hæc ſunt quæ de vita Taciti atque Floriani digna memoratu comperiſſe memini.* Hæc ille etiam pro exemplo *Pollionis*, qui & ipſe vitas *plurium* Principum *unis* tamen iiſdemque Libris complexus eſt. Sic autem nectitur hæc vita *Taciti*, ut & ſuperiorem agnoſcat vitam [d] *Aureliani*, & ſequentem *Probi* etiam promittat. [e] Tertium deinde emiſit *Probum*, in quo & ſuperiores agnoſcit Libros de [f] *Aureliano, Tacito*, & *Floriano*; & ſequentes promittit uſque ad *Diocletianum*, nominatim vero illum de [g] *Tyrannis*, quos fuerit omnes *unico Libro* incluſurus; tum & de *Caro* alium ejuſque liberis. Quartum deinde emiſit Librum de *Tyrannis*, ipſum quoque præcedentibus per omnia convenientem. [h] Hic etiam repetit Libros ſuperiores, quos dixi, omnes; emendat etiam jam melius edoctus errorem ſuum in vita [i] *Aureliani* de *Firmo*, quem purpuratis non accenſuerat; recolit agnoſcitque de hujus Libri [k] *brevitate* in ſuperiori promiſſum; in fine denique promittit, ut ſolitus eſt, *Carum, Carinum* & *Numerianum*, [l] & fortaſſe *Diocletianum* cum ſequentibus, ſed *majori* tamen *Stylo dicendos*.

*z Aurelian. c.* 41. *a Tacit. c.* 12. *b Florian. c.* 5, 6. *c Florian. c.* 3. *d Tacit. c.* 2. *e Florian. c.* 3. *f Prob. c.* 1. *g ib. c.* 18. 23. *h Tyran. c.* 1, 2. *i ib. c.* 2. *k ib. c.* 3. *l ib. c.* 15.

Ultimum demum omnium edidit Librum de *Caro* & liberis ejus, ubi etiam ſe excuſat ne [m] *Diocletiani* ſociorumque *Diocletiano* Principum vitas ab eo expectaremus, neve *ſtylum* illum, cujus ſuperiori vita meminerat, *ſuum* eſſe ſuſpicemur. Et quidem hic, quod & alibi dixerat, agnoſcit, ſuperiores vitas non *eloquentiæ* [n] cauſa ſe, ſed *curioſitatis*, conſignaſſe, *id* (inquit) *præcipue agens ut, ſiquis eloquens vellet facta Principum reſerare, materiam non requireret.* Id etiam monet [o] *minima* quæque ſe connectere nolle, & quæ apud *alios* potuerant inveniri. Ut ergo hic *materiam* collegit *Hiſtoricam*, ſic tamen ille cum *delectu*, ut non obvia quæque aut minime neceſſaria complecteretur. Hæc tamen obiter. Ex hac autem ſerie illud certe conſtat, vitas haſce invicem divelli non poſſe, ſed uni certe eidemque, quicunque tandem fuerit, Autori eſſe tribuendas.

VII. Diverſis *Amicis*, diverſiſque adeo, ut videtur, *temporibus* Vitas ſuas ſcripſit *Vopiſcus*.

Venimus jam ad Quæſtionem omnium difficillimam de tempore *Vopiſci*. Non uno certe tempore ſcripſiſſe vitas omnes, jam oſtendimus. Jam videmus ut errorem in vita *Aureliani* de *Firmo* emendarit ex ſecundis obſervationibus in Libro de *Tyrannis*. Idem etiam è diverſis colligimus Amicis, quibus vitas ille diverſas dedicarit. Amici nomen, cui *Aurelianum* dicavit, obſcurum fecere Codices. Locus in vulgatis Editionibus ita legitur c. 1. *Parui ipſe quidem præceptis.* Nec melius Codex Egnatianus: *Parui ipſe præceptis.* Nullum utrobique comparet *Amici* nomen. Ut nec in Editione principe *Mediolanenſi*, quæ ita habet: *Parum ipſe qui me*

*m Car. &c. c.* 18. *n ib. c.* 21. *o ib. c.* 7.

*præceptis*

*præceptis.* Inde Codice *Palatino,* ſi *Salmaſium* audiamus; *Parrumipiane præceptis*; ſin *Gruterum,* ita: *parum ipiane præceptis.* Sed veteris Codicis lectionem, ſi tamen *Palatinus* ſit, lectionem aliam alibi repræſentat [p] *Salmaſius* ita: *Parui mi Piane præceptis.* Inde nomen Amici aliud atque aliud exculpſit Salmaſius. Nunc enim *Pianum* putat aut *Piarium,* nomine à *Pio* oriundo. Alibi *Rianum.* Sed nominis *Piani* aut *Piarii* nullum puto exemplum extare apud *Romanos.* Erant quidem *Pinarii* Herculis Sacerdotes, ſed ab origine *Græca* illi & *voce* etiam *Græca* πειvῶν, nec quicquam habentes cum *Pii* nomine commune. Erat, fateor, & nomen Poetæ *Rhianus,* ſed *Græcum* illud, non *Romanum,* à *Rhio* fortaſſe ſinus *Naupactiaci* portu ſatis celebri. Et tamen veſtigium veræ Lectionis in ea voce ſupereſſe cenſeo. Sic enim legendum: *Parui, mi Tiberiane, præceptis.* Rogatu enim *Junii Tiberiani* ex initio conſtat, vitam illam ſcribendam ſuſcepiſſe *Vopiſcum.* Sed *Probi* vitam alteri Amico inſcripſit *Celſino.* Sic enim recte locum emendarit è Codice *Palatino Salmaſius,* pro vulgatis illis: [q] *Quorſum hæc pertineant, mi Celſe, ne fortaſſis requiras.* Et *Baſſo Tyrannos* ſuos idem inſcripſit *Vopiſcus.* Diverſis itaque *Amicis* inſcriptas vitas, diverſis itidem & diſſitis fortaſſe *temporibus,* ſcriptas fuiſſe veriſimile eſt.

VIII. Imperante *Diocletiano,* aut certe *Conſtantio Chloro.*

Et tamen omnes *Diocletiano* Imperante, aut certe *Conſtantio Chloro,* ſcripſiſſe ſuadent pleraque quæ in Codicibus legimus hodiernis. Suadet imprimis ipſius *Diocletiani* laus; *Virum* enim appellat *Reip. neceſſarium* in [r] *Caro.* Suadet quòd *Cæſares* ad *Diocletianum Maximianumque* de-

p Salmaſ. *in* 4. *Tyr. c.* 2. q *Prob. c.* 1. r *Car. c.* 10.

ducat in [s] *Aureliano*, quaſi *citimam* periodum ab *Auguſto*. Suadet quòd & *Cæſarum* vitas ipſe ſcripturus, eandem etiam periodum *citimam* agnoſcat *Diocletiani* atque *Maximiani*, in [t] *Probo*. Suadet quòd *Diocletiani* &, qui *ſequerentur*, Principum vitas *majori* reſervet *Stylo* enarrandas, ſi tamen *ſequentium* nomine *Maximianum* intelligat *Herculium*, & *Cæſares*, *Conſtantium* & *Galerium*. Ita certe Imperium, quo ſcripſit, *Trajani* uberiorem ſecurioremque materiam *ſenectuti* ſepoſuit [v] *Cornelius Tacitus*. Suadet quòd *proxime* dicat miſſos à *Diocletiano* confectores ad ſandicem [x] *Indicam* inveſtigandam in *Aureliano*. Et ſane ſpatio illo, quod interceſſit à prima *Aureliani* vita ad ultimum de *Caro* liberiſque Librum, exuiſſe purpuram videtur *Diocletianus*, & ſucceſſiſſe cum *Galerio Conſtantius*. Primum certe Librum de *Aureliano*, jam Imperante videtur ſcripſiſſe *Diocletiano*. Dediſſe illi videtur occaſionem *Junius*, ut dixi, *Tiberianus*, Præfectus Urbis, ipſoque *Aureliano* prognatus. Duplicem autem legimus *Junii Tiberiani*, & quidem ſub *Diocletiano*, Urbis Præfecturam in eximio illo *Præfectorum* Urbis Catalogo, quem publicavit primum *Cuſpinianus*; priorem aliam à *Febr.* XVIII°. *Tiberiano* II. & *Dione COSS.* Anni nimirum Æræ noſtræ vulgaris CCXCI[i]. recentiorem aliam à *Septembr.* XII°. *Diocletiano* VIII. & *Maximiano* VII. *COSS.* Anni nimirum CCCIII[i]. De priori intellexit, quam & ſolam animadverterat, doctiſſimus alioqui, ſed in rebus tamen Chronologicis minus accuratus, *Caſaubonus*. Sed *Trebellii* meminit *Pollionis* in ſuo illo cum *Vopiſco* colloquio *Tiberianus*, cujus jam prodierant Libri à *Philippis*

ſ *Aurel. c.* 42. t *Prob. c.* 1. u *Hiſt.* l. 1. x *Aurelian. c.* 29.

ad

ad *Claudium* & *Quintillum*, quem quidem nos *Pollionem* ſcripſiſſe probavimus multis poſt nuptias *Theodoræ* cum *Conſtantio* annis, multiſque adeo poſt priorem illam *Tiberiani* Præfecturam. Poſteriori itaque ejus Præfectura colloquium illud contigiſſe neceſſe eſt, ſi quidem contigerit ſub *Diocletiano.* Nec ſane alium legimus Præfectum Urbi *Tiberianum* uſque ad finem illius Catalogi, qui anno deficit Æræ noſtræ CCCLIV°. Sed nec in aliis ſub *Conſtantio* Urbis Præfectis, quorum meminit ſeu *Ammianus,* ſeu *Codex* etiam *Theodoſianus.* Eſt & alia nota *temporis* in hoc colloquio *Vopiſci* cum *Tiberiano,* quod fuerit ipſis *Hilaribus.* Erant & autem illa duplicia, alia [y] *Hilaria matris Deum,* quorum mentio in vita *Alexandri Severi,* quæ *Martii* XXV°. celebrari ſolita teſtis eſt [z] *Macrobius.* Hæc nulla poterant in hanc, de qua agimus, Tiberiani Præfecturum incidere. Ut enim cœpit illa à *Sept.* XII°. anni CCCIII^tii^ ſic ſucceſſorem cepit in ea Præfectura *Tiberianus Januarii* IV°. anni ſequentis *Aradium Rufinum,* ut ex eodem diſcimus præſtantiſſimo Catalogo. Sed vero alia legimus *Hilaria* in Kalendario *Conſtantii Nov.* III°. de quibus intelligendus erit neceſſario *Vopiſcus,* ſi quidem hanc intellexerit *Tiberiani* ſui Præfecturam. Ita primum ſcribendi *Aureliani* conſilium poſt illa tandem ſuſceperit *Hilaria.* Ut proinde ante annum ſequentem CCCIV^m^. vix potuerit abſolvere. Erant enim prius evolvendi *Libri* illi *lintei Ephemeridum,* quorum meminit *Tiberianus.* Tum & alii quoque Libri, qui ad vitam illam pertinerent. Sic nimirum inſtruendus erat *Vopiſcus* ad penſum quod rogaverat *Tiberianus.*

y *Alex. c.* 37. z Macrob. *Sat.* I. 21.

Ante

IX.
Potius, ut videtur, *Constantio Augusto*, & vivo *Diocletiano*.

Ante ultima hæc, quæ dixi, *Diocletiani* tempora, fieri vix poteſt ut ſcripſerit *Vopiſcus*. Alia tamen ſunt quæ ſuadeant, *vivo* quidem *Diocletiano* ſcripſiſſe & *Maximiano*, Imperante tamen *Conſtantio* & *Galerio*. Et quidem brevi illo ſpatio, quo Imperium *Auguſteum* tenuit *Conſtantius*, vitas omnes conſcripſiſſe. In prima enim vita *Aureliani* ait conſultos ab *Aureliano Gallicanos Druidas* reſpondiſſe, Nullum clarius in Rep. nomen quam [a] *Claudii poſterorum* futurum. *Eſt eſt quidem* ( inquit ) *jam Conſtantius Imperator, ejuſdem vir ſanguinis, cujus puto poſteros ad eam gloriam, quæ à Druidibus prænunciata ſit, perventuros.* Nomen certe *Imperatoris* pluſquam *Cæſareum* indicat gradum. Neque enim *Cæſares* non-*Auguſtos* unquam legimus *Imperatores*, nedum in illa *Diocletianeæ*,quæ tunc viguit,diſpoſitionis diſciplina. Multa *Cæſarum* geſta legimus, dum adhuc eſſent duntaxat *Cæſares* ; immo multa horum, de quibus agimus, *Conſtantii* & *Galerii*. Nec tamen *Cæſares* unquam *triumphaſſe* legimus, nec victarum gentium *titulis* ornatos, nec *Regum datorum*; ſed ne quidem *titulo*, ut ſolebant *Auguſti*, auctos *Imperatorio*. Cæſares *iterum tertiove Imperatores* nulli appellant *Numi*, nullæ *Inſcriptiones*, ne quidem *Tribunitia Poteſtate* donatos, his ( inquam ) de quibus agimus temporibus *Diocletiani*. Antea, fateor, *Tribunitiam Poteſtatem* habebant ſub *Auguſto Tiberius*, ſub *Tiberio Germanicus*, ſub *Pio Marcus*, ſub *Marco Commodus*, etiam nondum *Auguſti*, liberæ nimirum Reip. veſtigiis nondum penitus extinctis. Non item poſtea cum

a *Aurelian.* c. 44.

liber-

libertatis omnes vel ſcintillas extinxiſſent abſolutiſſimi Monarchæ. *Imperatoris* enim nomen, ut & reliqua fere *Auguſtorum* omnia, à *libera Republica* exemplum habebat. In illa autem *Imperator* nemo cenſebatur, niſi qui *propriis*, non *alienis*, pugnaret *auſpiciis*. Sic *Tremellius Licinii Nervæ* Quæſtor in *Macedonia* exercitui præfectus, dum Prætor rediret, rei bene gerendæ occaſionem nactus, hoſtes ita fudit ac fugavit, ut *Nerva Prætor* (inquit [b] *Varro*) *Imperator ſit appellatus.* Sic & *Soſſii* nomine, qui *Judæos*, & *Ventidii* qui *Parthos* vicerat, ſolus tamen triumphavit *Antonius.* Quare *Imperator* ille *Conſtantius Auguſtus* fuerit oportet. Erant enim in illa Diſciplina *Cæſares Auguſtorum* duntaxat *legati*, non ipſi *Imperatores*. Qui certe *Diocletiano* ſcripſit Imperante, *Pollio*, *Cæſarem* quidem eundem *Conſtantium* appellat, nuſpiam *Imperatorem.* Nec vero de *Conſtantio Conſtantini* filio intelligi poteſt locus ille *Vopiſci.* Ille poſteros *Maſculos* nullos habuit, cum fuerit *Conſtantius* noſter *Chlorus*, *maſculæ* etiam (ut vidimus) prolis nomine celebratiſſimus.

X.
Non magno *temporis ſpatio à Libro primo poſtremum* etiam ſcripſit *Vopiſcus.*

Sic ille nimirum in Libro primo. Nec aliter in ultimo, ne nimis magnum exiſtimemus inter vitas haſce interceſſiſſe ſpatium. Sic autem ſcribit ille in Libro *ultimo* de *Caro* ejuſque liberis: [c] *Quorum vitam* (quatuor ſcilicet, quos antea nominaverat, Principum, Diocletiani, Maximiani, Conſtantii, & Galerii) *ſingulis Libris Claudius Euſthenius, qui Diocletiano ab Epiſtolis fuit, ſcripſit: quod idcirco* (inquit) *dixi, ne quis à me tantam rem quæreret.*

[b] *Varr. de Re Ruſt. L. II. c.* 4. [c] *Car. c.* 18.

Ratio-

Rationem autem adjungit illam: *maxime quum vel vivorum Principum vita non ſine reprehenſione dicatur.* Ex his verbis elicit doctiſſimus *Gerardus Voſſius*, non utique in *vivis*, cum hæc ſcriberet *Vopiſcus*, fuiſſe *Conſtantium.* Miram vero illam ſequelam! Ego contrariam potius inde eliciendam exiſtimo. Id enim innuit ſe illud quoque cavere velle, quod eſſet in hominum communi uſu rariſſimum, non illud modo periculum, quod ſoleret eſſe frequentiſſimum. Supponit itaque in *mortuorum* vitis morem eſſe Hiſtoricorum ut eorum vitia liberrime carperent atque reprehenderent; a *vivis* eſſe *metum*, qui illos facere ſoleret in eorum reprehenſione remiſſiores atque cautiores. Utcunque tamen fieri non poſſe, quin de re geſta ſententiam ſuam interponat aliquoties Hiſtoricus, quam illi male ſibi conſcii, quorum geſta narrarentur, in ſui contumeliam dictam eſſent interpretaturi. Eſt itaque *vel* illud Emphaticum, idemque valet *Salmaſio* quod *et*, quo pacto ſæpe particulam illam hi uſurpant Autores. Quaſi diceret, ne *quidem vivorum* Principum vitam dici ſine reprehenſione potuiſſe. Sic ſecuriorem materiam *Tacitus Trajani* vitam ſenectuti reſervavit, quod nempe tunc ſecurius eſſet *Trajani* vitam ſcribere cum nullus immineret a *Trajano* metus. Sic & in *mortuos* invehitur *Juvenalis*, propterea quod nulli gravis eſſet *percuſſus Achilles*. Et tamen Imperante *Diocletiano* res maximas geſſerant *Conſtantius* & *Galerius*, uberrimum *Euſthenio*, etiam in temporibus *Diocletiani* enarrandis, ſingulorum *Conſtantio Galerio*que dicandorum Librorum Argumentum. Sed nova erat (inquietis) ſub *Auguſto Conſtantio* Principum terras, cum in *Diocletiani Maximini*que locum *Con-*

*ſtantius*

*stantius* successisset & *Galerius*; in *Galerii* autem & *Constantii*, *Severus* atque *Maximinus*. Erat, fateor. Sed *primum* novæ recentisque dispositionis exemplum, celebrandum credidit tam *Eusthenius* quam *Vopiscus*. Obiter etiam illud observandum, cum ait *Diocletiano* ab *Epistolis* fuisse *Eusthenium*, jam certe innuere non esse, cum illa scriberet *Vopiscus*, quem tamen benevolum *Diocletiano*, nec injuria aliqua affectum ipsa illa arguit Historia. Desierat itaque *Imperator* esse *Diocletianus*.

XI. Quem *Cæsarem* appellat *Vopiscus*, *Galerius* vere erat, cum scriberet *Vopiscus*, *Augustus*.

Conveniunt & verba illa superius observata in fine Tyrannorum, *& qui sequuntur*. Longe certe rectius verisimiliusque verba illa interpretabimur de secutis *Diocletianum* temporibus, quam de *junioribus*, ejusdem tamen Imperii, *Augustis* & *Cæsaribus*. Ita secuti *Diocletianum* fuerint, qui exeuntem officio *Imperatorio* secuti fuissent. Et cum ait *sequuntur*, jam certe innuit fuisse, qui *Diocletiano* successerant, nec alios fuisse medios, qui antea successerant. Nec certe recentiora tempora denotant illa in ultimo quoque Libro de [d] *Caro* & filiis, ubi refellens receptum errorem de morte *Cari*, quasi propterea esset extinctus fulmine, quod fatales Imperii terminos esset transgressus, ait tamen non obstare *terminorum fatalitatem* quo minus progredi posset in victoria ultra illos quoque terminos *Maximianus*. Quæ ille his prosequitur verbis: *Licet plane ac licebit per sacratissimum Cæsarem Maximianum Persas vincere, atque ultra eos progredi: & futurum reor, si à nostris non deseratur promissus numinum favor.* Sic loquitur ille quasi jam in ipso

d *Vit. Cari c.* 9.

Expe-

Expeditionis *Persicæ* progressu fuisset *Maximianus*; quasi à primis victoriæ successibus *promissum* deinde interpretaretur in reliquis, ni desereretur, *numinis favorem*; quasi adhuc *Cæsar*, ut in illa fuit Expeditione, fuisset *Maximianus*. Quid ergo hic dicemus? An *Daiam* intelligi *Maximinum*, quem ipsi in *Lactantio*, & vetustissima Inscriptione *Maximianum* appellari observavimus, dum viveret *Constantius*, vere *Cæsarem*? & Expeditionem ejus illam in *Armenios*, cujus meminit [e] *Eusebius*? Sed Belli *Persici* fama *Galerium Cæsarem* constat fuisse celeberrimum. An itaque vere duntaxat *Cæsarem*, & in ipso Expeditionis progressu, cum scriberet *Vopiscus*, fuisse *Galerium*? Atqui certum è *Lactantio* jam ante *Persecutionem*, illamque adeo *Junii Tiberiani* Urbanam Præfecturam, & colloquium illud cum eo *Vopisci*, quod primam dedit his Scriptis occasionem, reversum ab Expeditione illa *Persica* fuisse *Galerium*. Quod etiam agnovit hoc eodem Libro postea ipse *Vopiscus*, cum dicit natum, qui acceptam ignominiam [f] *Valeriani* captivitate deleret. Non hic certe ominatur tantummodo, sed verum dat encomium rerum hactenus gestarum à *Galerio*. Non itaque de primi impetus progressibus, qui jam præterierant, sed de novis aliis intelligendus est à *Galerio* jam *Augusto* suscipiendis. Colligit ille quidem à prioribus promissum, ni desereretur, numinis favorem. Colligit, non obstante *Cari* fato, licere tamen *Galerio* per numina ut *Persas* vinceret. Sed tamen deseruisse *Galerium* numinis favorem innuit, cum primi impetus progressus in cursu secundissimo abrupit, & tamdiu deserere, dum novam suscipe-

[e] Eus. *H. E.* IX. 8. [f] *Vit. Carin.* c. 18.

ret

ret in *Perſas* Expeditionem, quam quidem faciliorem innuit, *Auguſto* jam, ſuique juris, *Galerio*, quam cum à *Diocletiani* juſſu nutibuſque penderet. Eum ſi ſuſciperet, *licebit* (inquit *Vopiſcus*) *non modo terminos Euphratis fatales* ſuperare, quod fecerat antea dum *Perſas* vinceret, ſed *ultra* eos progredi; *Perſas* nimirum, alioſque quoſvis, ſiqui crederentur, terminos fatales, cum tamen in prioribus ſuis victoriis de progrediendo ultra *Perſas* ne quidem cogitarit ipſe *Galerius*. Sed *Cæſarem* illum (inquietis) appellat *Maximianum*. Atqui vere ille de geſtis *Maximiani* tantum *Cæſaris* loquitur, de gerendis ab *Auguſto* duntaxat *ominatur*. Sic tamen ille, ut à geſtis *Cæſareis* capiat *augurium*, ſi victi eſſent à *Maximiano Cæſare Perſæ*, non utique eſſe dubitandum, quin & alii quoque *ultra* illos ab *Auguſto* forent ſuperandi. Sic itaque de *Auguſto* jam *Galerio* ſcripſerit illa *Vopiſcus*, in primis potius *Auguſteæ* Poteſtatis initiis, cum ſocium haberet in *Auguſtea* dignitate *Conſtantium Chlorum*. Sic enim opportuniſſime novæ illius Expeditionis conſilium ſuggeſſerit, dum & recens erat prioris victoriæ memoria, nec in deſuetudinem abiiſſent illæ Perſicorum negotiorum curæ.

XII. Initio autem *Galerii ſcripſit*, ſuperſtite adhuc *Conſtantio Chloro*.

Nullam certe hic mentionem habemus *Conſtantini*, qui tamen præteriri non poterat in tot laudibus *Claudii* & *Conſtantii* Patris; non certe in ipſis Imperii *auſpiciis*, nedum ſi & ipſe *Francos* ſuperaſſet, quo nomine Patri gratulatur ipſe [g] *Vopiſcus*. Nullum *Maximiani Herculii*, & reſumptæ ab eo purpuræ, nullum *Severi*, aut *Maxentii*, aut victoriæ in *Maxentium*

g *Carin. c.* 18.

*Conſtantini.* Et tamen *Vrbem* ipſam geſta illa ſpectabant, ditionemque Urbis, *Siciliam*, qua noſter egit *Vopiſcus.* Sed nec fugati ab Urbis obſidione *Galerii*, quæ certe ſi præterita fuiſſet fuga, importuniſſimum fuiſſet Expeditionis *Perſicæ* tot malis domeſticis fracto conſilium in recenti præſertim injuriæ memoria; importuniſſima gratulatio illa ſublatæ ignominiæ cladis *Valeriani* in nova illa cladis propriæ ignominia. Sed *Pacem* ſupponit noſter altiſſimam domi novis Expeditionibus idoneam, qualis erat Imperante *Conſtantio.* Laudat præterea novam illam diſpoſitionem *Diocletiani* de *quatuor* Principibus, duobus *Auguſtis* duobuſque *Cæſaribus.* Potuit illam laudare ſuperſtite *Conſtantio.* Fruſtra poſtea. Poſt mortem enim ejus violata eſt, tandemque penitus intercidit. *Auguſtos* ſe ferebant *Maximianus*, reſumpta purpura, *Herculius*, & *Galerius* ipſe, & *Maxentius*, & *Conſtantinus*, & *Licinius*, & *Maximinus.* Victis reliquis aut extinctis, duo erant Auguſti ſoli, *Conſtantinus* & *Licinius*, *Cæſares* autem tres, *Conſtantini* filii duo, *Criſpus*, & *Conſtantinus* junior, & *Licinii* quoque filius, *Licinius.* Cæſo tandem *Licinio*, unicus *Auguſtus Conſtantinus*, tres autem ejus filii *Cæſares*, ut locum deinde prorſus nullum habuerit diſpoſitio illa nova *Diocletiani.*

# *Prælectio Procemialis* VI.

## Nov. 23. 1688.

*Transitio.* §. I. *Mortis in prospectu erat, cum hæc scriberet,* Vopiscus. §. II. Juvenis *tamen.* §. III. *Ætas* Vopisci *proxima ætati* Pollionis. §. IV. *Ut potuerit* Capitolini, *qui sub* Constantino *scripsit, meminisse* Vopiscus, *qui scripsit ipse sub* Constantio Chloro. §. V. *Addidit, ut videtur, nomen* Capitolini Vopiscus *recentiori aliqua Librorum jam editorum retractatione.* §. VI. *Dictum* Diocletiani *multis, a* Vopisco, *annis post primam horum Librorum Editionem, insertum.* §. VII. *Aliud recentioris temporis exemplum.* §. VIII. *Aliud.* §. IX. *Novorum etiam* Amicorum *nomina additititia.* §. X. *Alia secundæ horum Librorum Editioni inserta.* §. XI. *Cur* Diocletiani *& sequentium Principum vitas pollicitus, non tamen scripserit,* Vopiscus. §. XII. Pollionis & Vopisci *vitas vitis* Capitolini *subjunxere, non* Pollio *ipse, aut* Vopiscus, *sed* juniores. §. XIII. *Non certe ante* Victorem Schotti, *qui* Capitolinum *non vidit.* §. XIV. *nec* Pollionem. §. XV. *nec* Vopiscum. §. XVI. *Sed nec ante* Eutropium, Rufum Festum, Orosium. §. XVII.

I. Transitio. DEfuncti hactenus, Academici, quæ ad primos *quatuor* spectare viderentur nostri Corporis Autores; tandem ad ultimos devenimus, in quibus minorem observavimus, seu *ordinis*, seu *Inscriptionum*, confusionem. Et *Trebellium* quidem *Pollionem* orsum ostendimus à *Philippis*, cujus tamen reliqui

reliqui priores Libri omnes exciderint uſque ad illum, quem de *duobus* ſcripſit *Valerianis*, & ipſum quoque, ut multis evicimus Argumentis, admodum *mutilum*. Tum & reliquos de *duobus Gallienis*, de XXX *Tyrannis*, de *Claudio* & *Quintillo*, (utcunque pugnent *Editiones* & *Librarii*) uni tamen eidemque Autori *Pollioni* aſſeruimus, quem etiam *Cæſari Conſtantio Chloro*, non *Auguſto*, & *Diocletiano* proinde Imperante, ſua nuncupaſſe probavimus, poſtremis tamen *Diocletiani* temporibus. Continuavit deinde *Vopiſcus Pollionem*, ab eo nimirum exorſus fine, quo deſiit ipſe *Pollio*. Hujus vitas omnes uni eidemque Autori vindicavimus, & quidem, cujus nomen ferunt, *Vopiſco*. Tum deinde Quæſtionem, de Autoris *tempore*, longe, quam habetur, difficiliorem aggreſſi ſumus; probavimuſque *diverſis* quidem *temporibus* Libros, quos habemus, exaraſſe *Vopiſcum*, ſic tamen ut omnes aut exeunte *Diocletiani* Imperio ſcripſerit, aut Imperante *Conſtantio Chloro*. Primi certe omnium *Aureliani* ſcribendi ne quidem conſilium iniit ante *Hilaria* Nov. III. Anni CCCIII[i]. Scribere autem vix potuit ante annum CCCIV[m]. utcunque ſcripſerit tumultuarie. Reliquos, *Conſtantio* potius & *Galerio Auguſtis*, poſt *Maium* anni CCCV[i]. & ante *Auguſtum* anni CCCVI[i]. ſcripſiſſe veriſimilius oſtendimus.

II. Mortis in proſpectu erat, cum hæc ſcriberet, *Vopiſcus*.

Et quidem ut *Spatium* aliquod interceſſiſſe jam probavimus, non tamen potuit eſſe *magnum* inter primum *Vopiſci* poſtremumque Librum. Sic enim ſcribit ille, non ut *Hiſtoriam* ipſe conderet, cura utique accurateque diſponendam, ſed ut *materiam* aliis accuratioribus congereret *Hiſtoricam*. Libris itaque *ſingulis* ſcribendis tempus impen-

impenderit non admodum *diutinum.* Sed nec *diutinum* eſse potuit inter ſingulos *Spatium.* Sic enim ſcribit quaſi *mortis* fuiſſet in proſpectu, metueretque ne ſuſceptum ad *Diocletianum* uſque penſum abſolveret. Sic in Libro de Tacito & Floriano. [a] *Hæc Ego in aliorum vita de Probo idcirco indidi, ne dies, hora, momentum, aliquid ſibi vindicaret, ne fatali neceſſitate abſumptus, Probo indicto, deperirem.* Sic & in *Probo* pollicetur quidem reliquos, ut oſtendi, ad *Diocletianum* uſque omnes Imperatores, ea tamen conditione, [b] *ſi vita ſuppetet.* Et rurſus in fine : [c] *Poſt deinde, ſi vita ſuppetit, Carum incipiemus propagare cum liberis.* Atque ea ipſa fortaſſe cauſa erat *tumultuariæ* ſcriptionis. Melius enim *potuiſſe* dicit ipſo in fine. Qui itaque *diem, horam,* etiam *momentum* metuebat, non eſt quod *moras* nexurum ſuſpicemur minime neceſſarias. Satis itaque commode brevi quoque illo tempore *Conſtantii* Libros hoſce omnes ſcripſerit *Vopiſcus,* inter Kalendas *Maias* anni CCCV[i]. & *Julii* XXV. anni CCCVI[i]. Ait ille quidem in *Probo Aurelianum* à ſe *dudum* fuiſſe expetitum, quod nempe *diutius* fuiſſet ſpatium à ſcripto *Aureliano,* antequam vitas alias ſcribendas ſuſcepiſſet. Sed nec illud veriſimile eſt fuiſſe *admodum* diutinum.

III. *Juvenis tamen.*

Conveniunt præterea & notæ *generationis* qua vixit ſcripſitque *Vopiſcus.* Sic tamen illæ, ut *ætatem* ejus, cum hæc ſcriberet, arguant *juvenilem.* Ut proinde miremur quæ illa fuerit fatalis neceſſitas, qua pereundum ſibi, *Probo* indicto, metuebat. Ait in vita omnium prima [d] *Aureliani,* nepotem *Aureliani* Imperatoris alium *Aurelianum,* in *Sicilia* vi-

*a Florian. c.* 3. *b Prob. c.* 1. *c ib. c.* 23. *d Aurelian. c.* 42.

xiſſe, patria nimirum ipſius *Vopiſci*, eodem tempore quo illa exarabat. Sic fuerit (quod ad *generationes* attinet) æqualis *Pollioni*, cujus nimirum avus *Tetrico* juniori familiaris fuerat, Imperante eodem *Aureliano*. Sed quod ait illum *Proconſulem* fuiſſe *Ciliciæ*, & *Senatorem*, jam autem functum *Conſulatu* & *Proconſulatu*, in *Sicilia*, in otio vixiſſe, *quadragenario* minor eſſe non potuit, potuit eſſe aliquanto major. Sic fuerit *decennis* ad minimum cum interficeretur avus. *Aureliani* ætatem nullibi, quod ſciam, habemus. Sed res geſtæ ejus & vigor animi non admodum ſenem videntur arguere. Et ſane primos ejus, quos legimus, *honores* geſſit ſub *Valeriano*. Sed tunc legioni præfectus eſt, ut minores proinde honores antea obierit. Demus fuiſſe *quinquagenarium*. Sic fuerit *Aureliano* nepote *quadragenario* major, & *matre* ejus, (erat enim nepos ex filia) *vicennio* & quod excurrit. Multum ſane in hac ſupputatione erraſſe vix poſſumus. Unde conſtat augenda potius quam minuenda eſſe hujus *Vopiſci* Scripta, minoriſque *Aureliani*, tempora.

IV. Ætas *Vopiſci* proxima ætati *Pollionis*.

Convenit & *ætas* ipſius *Vopiſci*. Ait *Patres* ſuos miratos eſſe duces è diſciplina [e] *Probi*, qui tamen periit ipſe anno CCLXXXII°. Sed *duces* illi plerique vixerunt ſub *Diocletiano*. His enim accenſet *Diocletianum* ipſum, *Maximianum Herculium*, *Aſclepiodotum* (qui *Allectum* vicit in *Britannia*, poſt media ſaltem *Diocletiani* tempora) *Conſtantium* ipſum *Auguſtum*, cujus res geſtæ pleræque erant eodem Imperio *Diocletiani*. Nec ſane quicquam repetit ille geſtum ſub *Diocletiano*, quod non habuerit vel è *Libris*, vel è *Patrum* Traditionibus. Dictum

[e] *Prob. c.* 22.

*Diocletiani*

*Diocletiani* de *Aureliano*, [f] *ducem* illum magis esse debuisse quam *Principem* à *Verconio Herenniano* Præfecto Prætorio *Diocletiani* accepit *Asclepiodotus*, ab *Asclepiodoto* teste *Vopiscus*. Et quidem *Imperantem* jam ita dixisse vel inde constat, quod eo dicto *Maximiani Herculii* nimiam asperitatem *Diocletianus* reprehenderit, & quod *Præfectum Prætorio* dicti testem adduxerit *Asclepiodotus*. Res autem initio *Diocletiani* gestas aut paulo etiam antea, ne quidem è *Patris*, sed ex *Avi* arcessit Traditionibus. Ab [g] *Avo* suo accepit dixisse *Diocletianum*, cum *Aprum Numeriani* interfectorem occideret, nullam sibi aliam fuisse causam cur ita fecerit, nisi ut impleret *Druidis* dictum, quæ illum Imperatorem fore prædixerat cum *Aprum* occidisset, & suum ita firmaret Imperium. Quæ quidem jam *Imperatorem* oportet dixisse *Diocletianum*. Idem [h] *Avus* retulit, se interfuisse concioni quum *Diocletiani* manu *Aper* esset occisus, & quid dixerit ea occasione *Diocletianus*. Eundem [i] *Avum* dicentem audivit *Vopiscus*, se interfuisse cum adoraretur *Saturninus Probi* temporibus Tyrannus. Idem [k] *Avus* de *Bonosi* uxore meminit, qui etiam ipse Tyrannus erat iisdem temporibus *Probi*. Nec vero ille quicquam *Probi* temporibus antiquius etiam ex *Avi* illius arcessit Traditionibus. Audivit tamen etiam [l] *Vopiscus graves*, quos appellat, *viros* de temporibus *Aureliani*. Imo [m] *multos* de triumpho *Aureliani* memoriæ tradidisse dicit *Vopiscus*. An vero *scriptis* tradiderint, an *ore* tenus, illud fateor non dicit aperte. Potius tamen de *Orali* Traditione intelligendum puto *Vopiscum*. Scriptores enim *multos* agnoscere non potuit, qui ipso

*f Aurelian. c.* 44. *g Numerian. c.* 14, 15. *h ib. c.* 13. *i de* 4 *Tyran. c.* 9. *k ib. c.* 15. *l Aurelian. c.* 24. *m ib. c.* 35.

ſtatim vitæ initio dixerat, [n] *Latinorum* neminem, *Græcorum* aliquos (non *multos*) de rebus *Aureliani* à ſe lectitatos. Nec ſane eſt quod miremur *multos* fuiſse qui rem geſtam meminiſſent *triginta*, aut paulo forte plurium, annorum. Sed *Avum* ſuum in eo numero non ponit certe *Vopiſcus*. Sic fuerit ille paulo junior *Trebellio Pollione*, qui *Avi* Traditiones deducit à temporibus *Aureliani*; & prima, ut videtur, *Adoleſcentia*, temporibus illis, quibus ſcripſit, *Conſtantii Chlori*. Et tamen temporibus illis *proximum* fuiſſe neceſſe eſt qui & *Aſclepiodotum* vidit audivitque ducem è diſciplina *Probi*, & *Avum* illum audivit ipſe, non è *Patris* duntaxat Traditione, *Vopiſcus*. Sic illi tempori quod aſſignavimus convenient notæ illæ, ſi tamen dextre illas & perite interpretemur.

V. Ut potuerit *Capitolini*, qui ſub *Conſtantino* ſcripſit, meminiſſe *Vopiſcus*, qui ſcripſit ipſe ſub *Conſtantio Chloro*.

Sed oritur inde graviſſima difficultas, quam tamen miror intactam præteriiſſe, quotquot viderim, horum Autorum enarratores, etiam perſpicaciſſimos. Sed neſcio quo tandem fato res *Chronologicas* pleraſque reliquerint intactas, ut proinde earum Nos non *ſpicilegium* duntaxat, ſed *meſſem* fere integram, ſimus habituri. Jam ſupra vidimus, vitas poſtremas ante *Pollionem Capitolini Conſtantino M.* inſcriptas eſſe, victo tandem *Maxentio* & *Licinio*, cum unicus *Romanum* orbem univerſum moderaretur *Auguſtus Conſtantinus*; imo, niſi nos fefellerint conjecturæ noſtræ, ſub *Canſtantini* etiam *finem*. *Lampridio* certe aut *Capitolino* vitas illas tribuunt Codices omnes Editioneſque, quæ quidem fide aliqua dignæ videantur. Subleſtam enim illorum fidem oſtendi-

n *ib. c.* 1.

mus

mus qui tribuant *Spartiano*, quem *Diocletiano* Imperante ſcripſiſſe conſtat. Et tamen meminit *Lampridii* & *Capitolini* noſter, quem ſub [o] *Conſtantio Conſtantini* Patre ſcripſiſſe jam oſtendimus; quem & Viri illi docti omnes agnoſcunt ſub *Diocletiano* ſcripſiſſe, aut *Conſtantio*. Nec *meminit* modo, ſed antiquioribus etiam illis accenſet quos noſter *imitari* ſeſe profitetur. Quomodo autem *mentionem* facere illorum potuit qui nondum ſcripſerant cum opus ſuum noſter in publicum emitteret? Aut quomodo *imitari* Scriptores ſeſe *juniores*? Quo tandem Nos, Auditores, hoc in loco vertemus?

VI. Addidit, ut videtur, nomen *Capitolini Vopiſcus* recentiori aliqua Librorum jam editorum retractatione.

*Lampridio*ne vitas illas aut *Capitolino Conſtantinianas* abnegabimus? Sed aut alterutri tribuendæ ſunt, aut alius quærendus eſt Autor à nominibus, quæ retinent Inſcriptiones, hodiernis. Alios enim omnes ante *Conſtantinum* ſcripſiſſe probavimus, ſub *Diocletiano Spartianum* & *Vulcatium* & *Pollionem*, ſub *Conſtantio Vopiſcum*. Ut etiam fuerit quidem facillimum vera Autorum nomina *omittere*, aut repetita à vitis prioribus nomina, loco non ſuo, vitis nempe poſterioribus, inſerere; ſed nova comminiſci, nec quicquam habentia commune cum vitis etiam ſuperioribus intrudere, hoc non adeo facile fuiſſe oportet fateamur. Ergo *inſerta* ſuſpicabimur *Vopiſco* à Librario? Sed nulli ſunt *Vopiſci* Codices qui non nomina illa agnoſcant, nullæ item Editiones. Nec facile fuit, etiam *Librariis*, nomina illa, vel in marginibus annotare, quorum genuina Opera nulla prorſus habuit ob oculos, ni illa vere ſint, quæ habemus, genui-

o *Prob. c.* 2.

na. Rationem ego, quam ſequamur, nullam prorſus video, niſi alterutro in loco inſerta illa ſuſpicemur *Conſtantinianorum* temporum Additamenta, ſeu in *Capitolino*, ſeu in noſtro, de quo agimus, *Vopiſco*; & ab ipſo inſerta primario Operis *Autore*. Et quidem de *Vopiſco* faciunt ea quæ dixi ſatis veriſimile. Jam enim ſatis, ut exiſtimo, probavi primo illum ſcripſiſſe ætatis flore. Multis itaque potuit annis ſcriptioni primæ ſupereſſe, multa emendare, addere, & in aliam formam pro re nata, ut ferebant tempora, mutare. Præſertim cum nulla alia legimus illius Scripta, ne quidem illam quam promiſit vitam *Tyanei* Impoſtoris *Apollonii*, quæ hujus Operis, quod unicum Edidit, *recenſendi* otium adimerent. In his itaque recentiorum temporum *Vopiſci* ipſius Additamentis, illud etiam fuiſſe ſuſpicor, de quo agimus, nomen *Capitolini*; cum nempe ſuas vitas *Conſtantino* dicaſſet ipſe *Capitolinus*.

VII. Dictum *Diocletiani* multis à *Vopiſco*, annis, poſt primam horum Librorum Editionem, inſertum.

Nec vero abſurdam eſſe noſtram illam ſuſpicionem, multæ produnt in his ipſis *Vopiſci* vitis diverſorum temporum notæ. Non illos urgeo locos quibus *Cæſares* illos fuiſſe innuit, qui tamen erant, cum ſcriberet ipſe, ut probavimus, *Auguſti*. Non aliam forſitan ob cauſam, quam quod novorum *Auguſtorum* titulis nondum aſſueverat *Vopiſcus*. Loci enim illi, ſiquid probarent, antiquiores vitas haſce probarent quam volumus. Noſtrum vero eſt *recentioris* potius temporis notas indagare, cum & nomen *Capitolini* recentius à *Vopiſco* Libris jam diu editis inſertum exiſtimemus. Nec ſane *recentioris* temporis notæ deſunt. Talem

inprimis

inprimis illam exiſtimo quæ in prima omnium vita occurrit Aureliani. [p] *Sed Ego à Patre meo* (inquit) *audivi, Diocletianum principem, jam privatum, dixiſſe, nihil eſſe difficilius quam bene Imperare.* Tum ubi ſubjunxiſset nonnulla de adulatorum artibus, quibus miſeros fallunt, & bene alioqui ſentientes Principes; ſic deinde ſequitur: *Quid multa? Ut Diocletianus ipſe dicebat, bonus, cautus, optimus venditur Imperator. Hæc Diocletiani* (inquit) *verba ſunt, quæ idcirco inſerui, ut prudentia tua ſciret nihil eſſe difficilius bono Principe.* Plane *experti* Imperium ſunt verba illa *Diocletiani,* nec ſane niſi *experti* Imperium teſtimonium erat à *Vopiſco,* in hac cauſa, de boni *Principis* difficultate, proferendum. Ut proinde de *privata* ille *Diocletiani* vita, quam purpura depoſita, non de illa, quam, nondum aſsumpta, egerat, locus *Vopiſci* omnino ſit intelligendus. Nec ſolet *Vopiſcus* res *Diocletiani* remotiores, è *Patris,* ſed *Avi* teſtimonio, ut vidimus, referre. Et quidem verba illa de *boni Principis* difficultate dixit, ni fallor, anno CCCVIII°. *Diocletianus,* quo tempore ipſum ad reſumendam [q] purpuram hortati ſunt *Maximianus* uterque, tam *Herculius* quam *Galerius,* & quo illum COS. X. quanquam refragantem, quaſi pro novi Imperii auſpiciis, repræſentant Faſti plurimi, minime ſane ſpernendi. Nos itaque ſi ſcopum hic attigerimus, dixerit iſta *Diocletianus,* duobus ſaltem annis à morte *Conſtantii,* quo tamen Imperante hæc probavimus ſcripſiſse *Vopiſcum.* Fruſtra enim alioqui *Diocletianum* à *Salonis* ad *Carnuntum* evocaſsent duo *Maximiani,* ſi mentem ejus è privatis *colloquiis* exploratam habuiſ-

*p. Aurelian. c.* 43. *q* Lact. *mort. Perſ. c.* 29. Vict. *Epitom.* Eutrop. *L. X.* Zoſim. *L. II.*

ſent, de difficultate Imperii. Dixerit & *quinque* annis poſt ſupremam illam *Tiberiani* Urbanam Præfecturam. Et tamen ita *Tiberianum* alloquitur quaſi prima illa ſub *Conſtantio* ſcriptione hæc inſeruiſſet. Tamdiu nimirum poſt primam Operis Editionem dixerit illa *Diocletianus*. Sed ſpatio præterea diutino, poſtquam hæc dixiſſet Imperator, videtur repetiſſe *Vopiſcus*. Sic enim loquitur ille quaſi non amplius fuiſſet in *vivis* ipſe *Diocletianus*. Aliter fuiſſet, poterat *Diocletianum* ipſum conſulere per literas, jam privatum, *Ex-præfectus* ipſe *Tiberianus*. Poterat & alios conſulere viros primarios, qui colloquio illi trium Imperatorum ipſi adfuiſſent. Sed ita loquitur quaſi admodum longinquum à dicto illo *Diocletiani* fluxiſſet ſpatium, quod è *Patris* Traditione eſſet recolendum. Potuit itaque hæc addidiſſe poſtquam prodiiſſent in lucem vitæ illæ, de quibus agimus, *Capitolini*.

VIII. Aliud recentioris temporis exemplum.

Talis eſt & locus ille in vita *Probi*, quo uſum ſe agnoſcit, præcipue Libris ex Bibliotheca Ulpia [a] *Ætate* (inquit) *Mea thermis Diocletianis*. Bibliothecæ templi *Trajani* meminit [b] *Gellius*, ejuſdem proculdubio quam hic noſter *Ulpiam* appellat, uti etiam in [c] *Aureliano* ab *Ulpio Trajano* tam *Templi* quam etiam *Bibliothecæ* conditore. Ea poſtea tranſlata eſt in *thermas Diocletiani* a ſequentibus proculdubio Principibus. Jam enim oſtendimus *thermas* illas ſub *Conſtantio* & *Galerio Auguſtis* fuiſſe dedicatas. Nec vero probabile eſt *Bibliothecam* eo, ante dedicationem, fuiſſe transferendam. Hoc ſua factum inquit *Ætate*. Ita

*a Prob. c.* 2. *b* Gell. *Noct. Att.* XVII. 17. *c Aurelian. c.* 1.

loquitur

loquitur quaſi jam *diu* antea facta fuiſſet illa tranſlatio, non quidem ea, qua hæc ſcripſit, ætate, nec *juniorum*, qui tunc vixere, *hominum*; ſed ſua tamen quaſi ſenis vulgaremque ætatem egreſſi. De *tranſlatione* ejus ne verbum quidem legimus in colloquio ejus cum *Tiberiano* in vita *Aureliani*, cum recens eſſet, ſi tamen facta adhuc, illa tranſlatio, cum omnibus nuper factam eſſe conſtaret. Jam vero innuit non *omnibus* notum fuiſſe tranſlationis tempus quam *ſua* dicit factam *ætate*. Niſi forte *ſuam* illam *ætatem majorum ætati* oppoſuerit, illorumque qui propiori intervallo vixerant à temporibus *Trajani*. Sed *noſtram* potius quam *meam* dixerat *ætatem* illam, ſi ſibi fuiſſet cum ætatis illius, qua hæc ſcripſit, hominibus communis; ſi non *illorum* ætati ſed *majorum* tantummodo, *ætatem* illam *ſuam* oppoſuiſſet. Jam eum oſtendimus *adoleſcentem* fuiſſe, cum primam ſcriptioni manum admoveret. *Senem* tamen arguunt, aut ætate aliquatenus provectum verba ejus illa addititia.

IX. Aliud.

Sic iterum in vita omnium prima *Aureliani* hæc habemus verba, ni fallor, addititia: [d] *Vidimus* (inquit) *proxime Conſulatum Furii Placidi tanto ambitu in Circo editum, ut non præmia dari aurigis, ſed patrimonia viderentur*. Habemus quidem ſub *Conſtantino Magno Placidi* cujuſdam, quem *Titum Annæum Placidum* appellat, in Inſcriptione quadam [e] *Gruteriana* mentionem. Sed *COS. Ordinario* alio *Anicio Paulino* juniore, qui fuerit etiam *Præfectus Urbis*, & *Index Sacrarum Conſtitutionum*. Sed vero *Anicius* ille *Paulinus* qui idem fuerit *Præfectus Urbi*, non

d *Aurelian*. c. 15. e Grut. 282. 3.

potuit

potuit Consulatum designare, anni cccxxv[i]. sed anni cccxxxiv[i]. quo *Anicium Paulinnm* V. Kal. *Maias Præf. Vrb.* pariter ac *COS. Ordinarium* exhibet præstantissimus Urbicorum Præfectorum *Catalogus* à *Bucherio* editus. Sed nec *COS.* illum ipsa illa appellat Inscriptio; & si vel maxime *COS.* fuisset, alius tamen fuerit oportet à *Tito Annæo Placido Furius* Vopisci *Placidus.* Is *Consul*, si quidem fuit *ordinarius*, alius esse vix potuit, quam *Placidus* ille quem repræsentant Fasti anno Ær. vulg. cccxliii°. cum collega *Romulo.* Illum certe *M. Mæcium Monmium Furium Balburium Cæcilianum Placidum*, appellat vetus Inscriptio apud *Onuphrium.* Eundem etiam *Placidum Præfectum Vrbis* annis cccxlvi° & cccxlvii°. exhibet præstantissimus Libellus ille modo laudatus de *Præfectis Vrbis* scriptus Imperante *Constantio.* Unde illum talem fuisse intelligimus qualem describit *Vopiscus*, hominem nimirum ambitiosissimum, honorumque avidissimum. Solent enim istiusmodi homines *sumptuum* etiam esse prodigissimi.

X. Novorum etiam *Amicorum* nomina addititia.

Sed & nova quoque illa *Amicorum* nomina *Celsini* & *Bassi* Ego *addititia* fuisse suspicor. Nihil est certe cur primam vitarum omnium Editionem alteri quam *Tiberiano* dicatam suspicemur. Nullas legimus *Præfationes*, sed ne quidem *digressiones* novi consilii indices. Obiter duntaxat novos illos Patronos nominat, nunquam ex professo, quod sane fuerat in instituta Operis dedicatione faciendum. Existimo itaque vitas hasce ab Autore recognitas, tum demum novis Amicis esse missas, defuncto forte *Junio Tiberiano*, cum novis illis Additamentis. Ut fecit in *Tyrannis Pollio*; ita

ita factum ut eorum niſi obiter non meminerit, quod vitas non novas, ſed veteres miſiſſet tantummodo recognitas. Sic ſane congruunt invicem vitæ,ut uno eodemque Orationis filo ſcriptæ, uni eidemque Amico primum inſcriptæ videantur. Et quidem diverſa indicare tempora videntur à primæ ſcriptionis tempore ipſa hæc novorum *Amicorum* nomina. Quidni *Celſinus* ille idem fuerit cum eo quem legimus *Præfectum Urbis* annis Ær. vulg. CCCXLI°. & CCCLI°. in eximio *Præfectorum* Libello? Quidni & *Baſſus* idem cujus meminit [f] *Ammianus Marcellinus*, & *Inſcriptio* vetus in arca ejus ſepulchrali à *Sirmondo* primum in notis ad *Enodium* edita, tum & à *Valeſio* ad locum *Ammiani*? Eum in ipſa *Præfectura Urbis* mortuum teſtantur tam *Ammianus*,quam *Inſcriptio*; & quidem Conſulatu *Euſebii* & *Hypatii* fratrum, anno CCCLIX°. Æræ noſtræ, *Auguſti* XXV°. teſte Inſcriptione. Non certe longe abierint etiam illi à Conſulatu *Placidi* & ſenectute *Vopiſci*, pro illis,quas modo dedimus,rationibus. Scio quidem & *Rufum* fuiſſe *Celſum Vopiſci* noſtri pariter & *Baſſi* Amicum, de quo noſter in [g] *Tyrannis.* Sed jam oſtendimus in *Probo* non *Celſum* eſſe legendum, ſed *Celſinum.* Scio fuiſſe & *Celſinum Aſclepiodoti* conſiliarium, quique adeo vixerit ſub *Diocletiano*, à noſtro etiam memoratum in [h] *Aureliano.* Sed familiaritatem nullam agnoſcit *Vopiſcus* quæ cum illo ſibi intereſſerit *Celſino*; ne illud quidem memorat, unquamne illum viderit, aut aliunde quam ex aliorum fama cognoverit. Ego melius de *Celſino* illo & *Baſſo* qui *Præfecti fuerint Urbis*, quam de aliis quibuſcunque crediderim

*f* Amm. *L. XVII.* 11. *h* 4 *Tyrann. c.* 2. *i Aurelian. c.* 44.

in-

intelligendum eſſe *Vopiſcum.* Primus enim qui *Vopiſcum* ad hoc opus hortatus eſt *Tiberianus* in eo honore fuit, ut vidimus. Et quidem ſubſidia ea ſcripturo *Vopiſco* pollicitus, quæ ipſe penes ſe habebat, aut quæ ipſum oportebat recludere. [i] *Ephemeridas* (inquit Tiberianus) *illius viri ſcriptas habemus, etiam bella charactere Hiſtorico digeſta, quæ velim accipias.* Et poſtea: *Curabo autem ut tibi ex Vlpia Bibliotheca & Libri lintei proferantur.* Jus enim habebat *Præfectus urbis* in publicis illis Urbis *Bibliothecis.* Aliter non opus erat ut polliceretur *Tiberianus* ſe curaturum ut libri illi lintei è *Bibliotheca Vlpia* proferantur, ſi poſſet ipſe hoc à Bibliothecæ cuſtodibus, per ſe impetrare *Vopiſcus.* Et plane agnoſcit etiam *Vopiſcus* obnoxiam *Tiberiano* illam fuiſſe Bibliothecam. *Linteos* (inquit) *Libros requiras, quos Vlpia tibi Bibliotheca, quum volueris, miniſtrabit.* Sed & alii quoque Libri quibus uſus eſt *Vopiſcus,* Urbanæ erant obnoxii Præfecturæ. *Vſus ſum* (inquit ad *Celſinum* ſuum in [k] Probo) *ne in aliquo fallam chariſſimam mihi familiaritatem tuam, præcipue Libris ex Bibliotheca Vlpia ætate mea thermis Diocletianis, item ex domo Tiberiana.* Ego domum illam *Tiberianam Junii* noſtri *Tiberiani* domum fuiſſe ſuſpicarer, niſi diu ante *Tiberianum* Bibliothecæ in domo *Tiberiana* meminiſſet [l] *Gellius,* publicæ nimirum illius, & proinde *Præfecto Vrbano* obnoxiæ. Pergit Vopiſcus: *Vſus etiam ex Regeſtis ſcribarum porticus Porphyreticæ, Actis etiam Senatus & Populi.* Profecto ſiqua propria ſcrinia habuit *Præfectus Vrbanus,*(& quidem multorum officiorum *ſcrinia* ipſa inſignia fuiſſe videmus in *Notitia veteris Imperii* à *Pancirollo* illuſtrata) vix

*i Aurelian. c.* 1. *k Prob. c.* 2. *l* Gell. *Noct, Attic.* XIII. 19.

eſt

eſt quod dubitemus quin *Regeſta* illa *Scribarum* & *Acta Senatus* & *Populi* ad ſcrinia *Urbanæ Præfecturæ* pertinuerint. *Præfectis* itaque *Urbanis* Tiberiani ſui *ſucceſſoribus* æquum erat ut Opus *Tiberiani* hortatu cœptum inſcriberet *Vopiſcus*, tot præſertim aliis eorum beneficiis in materia operi quærenda nixus & adjutus.

XI. Alia ſecundæ horum Librorum Editioni inſerta.

Eſt & alius in vita *Probi* locus, ni fallor, addititius, ubi de conatu *Probi*, de tollendo militum uſu, ita loquitur Vopiſcus: [m] *populus iſte militantium, qui nunc bellis civilibus rempub. vexat, araret, ſtudiis incumberet, erudiretur artibus, navigaret.* Ait nimirum jam tum vexare Remp. *bellis civilibus* milites. Quod etiam repetit, paucis interpoſitis: *Eant nunc* (inquit) *qui ad civilia bella milites parant, in germanorum necem arment dexteras fratrum, hortentur in Patrum vulnera liberos, & dignitatem Probo derogent, quam Imperatores noſtri prudenter & conſecrandam vultibus, & ornandam templis & celebrandam ludis Circenſibus judicarunt.* Atqui nulla erant *bella civilia* cum primum Libros hoſce ſcriberet, Imperante *Conſtantio*; nulla etiam in poſtremis recentioribuſque *Tiberiani* urbana Præfectura temporibus *Diocletiani*; nullæ certe domi turbæ cum *Galerium*, ut vidimus, hortaretur ad bellum *Perſis* inferendum, ne deeſſet promiſſo numinis favori. Credideram fere de concitando in *Conſtantium* fratre *Conſtante* ab *Athanaſio* intellexiſſe *Vopiſcum*, deque negata à Chriſtianis *Probi* illa divina dignitate. Duo erant illo quoque tempore Imperatores; & permiſſos *Probo* illis quoque temporibus honores illos pluſquam humanos ab Imperatoribus, è *Cæſarum Natalibus*

m *Prob. c.* 23.

colli-

colligimus, & *Kalendario* ſcripto ætate *Conſtantii*. Utrobique enim locum habet natalis *D. Probi* ad XIV[m]. Kal. *Sept.* quod illo nimirum die Natalem illum celebrarent *Flamines* Divorum *Auguſtorum*. Conſtat enim è *Zoſimo* & *Symmacho* pertinaciſſimos fuiſſe etiam ad tempora *Theodoſii* in illis *Gentiliſmi* reliquiis *Romanos*. Cur enim *Probo* honores illos inviderent, qui *Chriſtiano* etiam *Principi* dederunt *Conſtantino*, cujus etiam *Natalem* in iiſdem legimus *Cæſarum Natalibus* & *Kalendario*? Incidit etiam motus ille *Athanaſii* poſt *Placidi* quidem *Conſulatum*, ſed tamen ante *Baſſi Præfecturam Urbanam*. Sed intra minas ſtetit motus ille *Conſtantis* occaſione *Athanaſii*, cum tamen ultra minas progreſſus fuerit alius ille motus cujus meminit *Vopiſcus*. *Vexare* enim *nunc Remp. bellis civilibus* ait populum iſtum militantium. Potius itaque de tumultibus *Maxentii* ſub finem anni CCCVI[i]. ortis *Vopiſcum* intellexerim. Hac enim occaſione cæſus eſt *Severus*, fugatus *Maximianus Herculius*, fugatus etiam *Maximianus* alius *Galerius*, importune admodum, hoc tempore, de Expeditione *Perſica*, aut numinis favore, monendus. Non itaque *Chriſtiani* erant qui *Probo* hos honores invidebant, ſed viri militares qui *Probum* militibus infenſum exiſtimabant. *Probo* enim *ſoli* negabant illi quibuſcum diſputabat *Vopiſcus* honores illos quos *Auguſtis Divis* omnibus, quantumvis *bonis*, negabant *Chriſtiani*. Utcunque tamen alterius temporis nota hæc eſt, quam quo Libros hoſce ſcripſerit *Vopiſcus*. Mitto præterea notas fortaſſe alias, ſed temporis nobis incerti. Ait *Daciam Aureliani* eam fuiſſe [n] *quæ nunc* (inquit) *duas Mæſias dividit*. Ait præterea [o] *Ale-*

n *Aurelian. c.* 39. o 4 *Tyr. c.* 13.

*mannos*

*mannos* ſuo, qui *Proculi* tempore *Germani* dicebantur, appellatos. Sed nondum exploratum apud Eruditos, quis *Princeps* fuerit qui *Mæſiam* ſecundam Provinciam fecerit; ſed nec illud quo tandem tempore accurate *Alemanni Germanis* univerſis nomen dederint. Sed miſſis his, ſatis, ni fallor, dedimus abunde exemplorum, non eſſe utique quod miremur, quî tot alia *aliorum temporum* ſcriptis jam antea vitis *Vopiſcus* inſeruerit, ſi & illud quoque inſeruerit, quod feciſſe illum contendimus, nomen *Capitolini*.

XII. Cur *Diocletiani* & ſequentium Principum vitas pollicitus, non tamen ſcripſerit *Vopiſcus*.

Nec porro eſt quòd miremur ſuperſtitem tot annis poſt primam vitarum Editionem *Vopiſcum*, nunquam tamen *Diocletiani*, aut ſequentium principum, vitas ſcripſiſſe, quas ille *majori Stylo* dicendas reſervaverat. Se fateor illum in *Carini* vita aliquatenus excuſaſſe, quod *Claudius Euſthenius* illum antevertiſſet; fateor & *Carini* vitam ab illo ita concludi ut vitas ſequentes ne quidem polliceatur, quod tamen illum in præcedentibus, unico *Aureliano* excepto, omnibus feciſſe videmus. Non tamen, ut exiſtimo, vitarum ſequentium ſcribendarum conſilium omne penitus abjeciſſe putandus eſt. Noluit autem Lectori ſpem facere dum Principes illi in *vivis* eſſent quorum Hiſtoria maximam partem in *Diocletianeis* etiam temporibus eſſet inſerenda. Hanc enim dilati quoque conſilii rationem dedit, ut ſupra vidimus. Itaque *Conſtantii Maximiani*que *Galerii* obitus antea expectandi erant quam *Diocletianeorum* temporum Hiſtoria à *Vopiſco* eſſet expectanda. Cum vero illi obiiſſent, jam penitus mutata eſt, ut oſtendimus, Imperii diſpoſitio *Diocletianea*; jam nullo

nullo erant in honore *Diocletiani Maximiani*que *Herculii* vel nomina, ſed *Conſtantino* ſecutiſque principibus odioſa & ingrata. *Herculium* nemo, quod quidem ſcimus, vel in *Divos* retulit; non certe *Conſtantinus* à quo occiſus eſt, quem ipſe prior inſidiis impetiverat, & qui *memoriam* ejus, dejectis ſtatuis, etiam damnaverat. Non *Galerius*, cui etiam inſidias ſtruxerat *Herculius*. Vix etiam filius *Maxentius*, vivo etiam infenſſimus. *Diocletiano* quidem illud contigiſſe, quod [p] *nulli poſt natos homines*, ut cum *privatus* obiiſſet, inter *Divos* tamen referretur, narrat *Eutropius*. Non meminit ille *Nervæ*, ſi tamen verum ſit *Nervam* obiiſſe *privatum*, qnod agnoſcit in [q] *Lactantio Diocletianus*. *Diocletiano* ipſi honorem illum decreverunt *Maximianus Galerius*, & *Maximianus* junior *Daia*, quem vulgo appellant *Maximinum*, qui ambo Imperium debebant *Diocletiano*, nullis præterea novis cum eo obortis ſimultatibus. Qui illum *Divum* in *Occidente*, ubi egit *Vopiſcus*, ſeu agnoverit, ſeu agnoſcere potuerit, neminem legimus. Non certe *Conſtantinus*, ab eo, cum Imperium deponeret, à *Cæſarea* quoque dignitate excluſus, obſervante *Lactantio*; & qui literas ad illum dederat, de favore in *Maxentium*, minaces, teſte *Aurelio Victore* in Epitome; & qui *Statuas* etiam ejus revelli permiſerat ſaltem, cum ſtatuis *Herculii*. Poſtea rerum potito *Conſtantino*, locum in *Divis* nullum prorſus habuit vel *Diocletianus*. *Divum* illum nuſpiam agnoſcunt ſeu *Codex*, ſeu *Pandectæ*. Sed nec *Natalium Catalogus* aut *Kalendarium* ſub *Conſtantini* filio *Conſtantio*. Quæ certe cum ita ſe haberent, importune admodum, poſt obitum *Galerii*, vitas ſcripſiſſet *Diocletiani* aut ſequentium principum

*p* Eutrop. *L. IX.* *q* Lact. *mort. Perſ. c.* 18.

*Vopiſcus.*

*Vopiſcus.* Eſt etiam quod ſuſpicemur, proſperis *Chriſtianorum* rebus infenſum invidumque, ut fuit *Zoſimus*, ſic etiam fuiſſe *Vopiſcum.* Vix certe aliud ab eo expectandum erat qui *Chriſti* æmulum tantopere laudarit *Apollonium*, & quem nuper *Chriſtianis* objecerat *Judex*, non Philoſophus, *Hierocles.* Nec ſane, qui tam multa inſeruit recentiora temporibus *Conſtantini*, ipſius tamen laudandi aliquam captavit occaſionem, ut captat ſæpe laudandi *Conſtantii Chlori*, cum tamen adeo amplum dederint res geſtæ *Conſtantini* laudis Argumentum. Sed nec ullum laudavit ille è *Conſtantini* ſucceſſoribus liberis, ipſis ſimiliter *Chriſtianis.* *Juliani* autem tempora attigiſſe notæ illæ recentiorum temporum nullæ, quas dedimus, oſtendunt.

XIII. *Pollionis* & *Vopiſci* vitas vitis *Capitolini* ſubjunxere, non *Pollio* ipſe, aut *Vopiſcus*, ſed *juniores.*

Quæ porro diximus de *Pollionis* & *Vopiſci* temporibus, ea clariſſime oſtendunt, ne quidem potuiſſe illos, data opera, continuare *Capitolinum*, aut ſupremum illum vitarum ſuperiorum, quicunque demum fuerit, Autorem qui vitas inſcripſit *Conſtantino.* Diu nempe poſtea, quam ipſi vitas à ſe ſcriptas in publicum emiſiſſent. Et ſuperius oſtendimus, ne quidem *ſuperiores* vitas continuaſſe *Capitolinum.* Qua itaque licentia uſi ſunt *juniores* inferciendo hiſce vitis *Eutropio*, eadem etiam antiquiores uſos fuiſſe veriſimile eſt, dum diverſorum *temporum* Autores invicem ſine arte aut judicio committerent, præmiſſis quidem, ut oportuit, vitis omnium antiquiſſimis, proximas deinde illis ſubjungentes recentiſſimas, & medio tempore ſcriptas poſtremo tandem in loco diſponentes, pro *Principum* nimirum, non *Scriptorum*, temporibus. Recte quidem

dem illi, si hoc *Præfatione* aliqua posteris significassent, & quo demum spatio post Autores facta esset hæc novatio. Id quia non fecere, difficile admodum est conjecturis assequi, quo tandem *tempore*, in hanc formam, quam habemus, hodiernam vitæ hæ fuerint collectæ. De Corpore *Latino* mentionem frustra apud *Græcos* Historicos quæremus. Sed ne quidem *Latinos* aliquos habemus, qui meminerint, paulo vetustiores. Non meminisse *nominatim* id fortasse parum est. Ne quidem *vidisse* colligere possumus è notis hodiernis.

XIV. Non certe ante *Victorem Schotti*, qui *Capitolinum* non vidit.

Proximus *Vopisci* temporibus vixit scripsitque *Aurelius Victor* editus à *Schotto*, qui vitas *Cæsarum* collegit ad an. Ær. vulg. CCCLX^m^. Imperante *Constantio*, X nimirum ejus Consulatu, & III°. *Juliani*. Locum quidem [r] *Severi* hodierni, de *Caracalla* ab exercitu *Augusto* facto, totidem expressit verbis hic *Victor*. Non tamen inde colligere possumus, videritne *Lampridium*, cum etiam è *Lampridii* Autore accipere potuerit *Mario Maximo*; nedum an viderit hodiernam, quam habemus, horum omnium Autorum collectionem. Habet ille quidem alibi quoque nostri *Severi verba*. Habet & [s] *errores*. Exacta ait mortuum ætate *Severum*, ut noster anno 89. *Novercam* etiam facit, ut noster, *Caracallæ Juliam*. Et *Abgarum* etiam *Edessæ* Toparcham, pro *Rege* habet, ut noster, *Persarum*. Sed ut excerpserit ille *Lampridium*, non alios tamen hujus Corporis excerpsisse videtur Autores. Rationem probat illam *Victor* cur *Pium* adoptarit *Hadrianus*, quod senis

r *Sever. c.* 18. s *ib. c.* 17.

ſoceri aut genitoris greſſus anxios levarit. Sed *genitoris* mentionem nullam fecit ſeu in *Adriani* vita ſeu *Pii Spartianus*, & in [t] *Pio* non ſatis magnæ *pietatis* eſſe ait Argumentum, *quum impius ſit magis* (inquit) *qui iſta non facit, quam pius qui debitum reddat.* Et quidem defectionis *Caſſianæ* nuſpiam meminit vel in *Marco Victor*; unde merito eſt quod ſuſpicemur ne quidem vidiſſe *Vulcatium.* Sed nec quartum noſtræ collectionis autorem, qui Imperante ſcripſit *Conſtantino*, ab eo viſum eſſe veriſimile eſt. Nullam legimus in *Victore* diſputationem de nomine *Antonini* omnium Imperatorum communi faciendo, aut de *Antoninorum* numero, quæ tamen eſt, ut vidimus, in *Capitolino* frequentiſſima. Nullam de *Maximo* & *Pupieno*, idemne fuerit Imperator. Imo *Maximum* illum nuſpiam appellat *Victor*, pro more, ut ait [v] *Capitolinus*, *Latinorum.* Ut proinde *Latinos* duntaxat Scriptores excerpſerit *Victor*, non item *Græcos*, ut fecit *Capitolinus.* Denique imperitorum ſententiam dicit *Capitolinus* quæ [x] *duos* tantummodo, non *tres*, faceret *Gordianos.* His tamen imperitis ipſe accenſendus eſt *Victor* qui *Græcos* illos non viderit *Arrianum* & *Dexippum*, contrariæ ſententiæ Autores locupletiſſimos. *Duos* ille duntaxat *Gordianos*, utrumque in *Africa*, ſic etiam ut *filius* fuerit in *Africa* Patri ſuperſtes. Quæ omnia veræ *Capitolini* Hiſtoriæ adverſiſſima ſunt.

XV. Nec *Pollionem.*

Sed nec *Trebellium* excerpſit *Pollionem.* Id utique ſi fecifset, non prætermiſiſset *Valerianum* juniorem, non *Cyriadem*, non juniores tam *Poſthumium* quam

*t Pio. c.* 2. *u Maxim.* & *Balb. c.* 1. 16. *Maximin. duob. c.* 4. *x Gordian. c.* 2.

*Victorinum*, non cum filiis *Macrianum*, non *Balistam*, *Valentem* & *Pisonem*, non *Æmilianum Ægyptium* & *Saturninum*, non *Trebellianum*, nedum omnium insignissimum cum suis *Odenatum*. Mitto enim illos quos coegit in *triginta Tyrannorum* censum alieni temporis volentes nolentesque *Vopiscus*. Sed nec victum dixisset à *Posthumio Lollianum* cum *Pollio* contra cæsum dicat à *Lolliano* fuisse *Posthumium*. *Marium* porro *triduo* imperasse dicit *Pollio*, quem *Victor* dicit post *biduum* jugulatum. Non dico hæc pugnare. Id unum dico, alterum ab altero non esse desumptum. Sed quod ita *Victor* de morte *Claudii*, id certe necesse est ignorasse *Pollionem*, necesse adeo non utique è *Pollione* accepisse *Victorem*. Quod tamen ait secure narrat *Victor* quasi neminem nosset qui in alia fuisset, quam ipse, sententia. Ait *Victor Claudium*, *Deciorum* more, & Librorum *Sibyllinorum* Oraculo, se pro exercitu devovisse. Ita factum, ut nullo exercitus detrimento fusi essent Barbari summotique, postquam Imperator vitam Reip. dono dedisset. *Pollio* morbo *Claudium* mortales reliquisse tradit, non certe tam egregiam *Claudii* laudem tam frigide prætermissurus, qui *Claudii* laudandi tam frequentes, tamque avide, occasiones captat atque aucupatur. Sed sane *sententiæ* apud *Victorem* semper eædem, etiam ubi aliunde constat Scriptores invicem *diversa* sensisse, unicum certe faciunt ut existimemus à *Victore* Autorem esse excerptum, optimum quidem illum, & plerunque accuratissimum; non tamen è nostris aliquem, etiamsi jam antea *Latinum* fuisse, ni fallor, ostenderimus.

Nec

XVI. Nec Vopiſcum.

Nec *Vopiſcum* ille vidit, ut opinor, aut exſcripſit. Res geſtas *Aureliani* alio tamen narravit plerunque *ordine* quam narraverat *Vopiſcus.* De *Proculo Vopiſci* Tyranno, & quidem tempore *Aureliani*, nihil *Victor.* De *Probo* multa prætermittit *Victor* quæ legimus in *Vopiſco. Carum* ait Victor fulmine conflagraſſe, ne quidem ulla prorſus memorata ſententiarum diverſitate. Negat *Vopiſcus*, & e *Junii Calphurnii* qui *Cari* morti interfuit, Epiſtola refellit. Tribuit *Victor* ſuperatæ *Cteſiphonti Romani* Imperii termino ex Oraculis fatali. Eam *terminorum fatalitatem* rejicit *Vopiſcus*, exemploque refutat quod *Victoris* ſeu cognitionem fugerat, ſeu memoriam, *Maximiani Galerii*, qui terminos illos ſuperaverat. Sed par fuit, ut videtur, (quod non animadverſum à doctis) *Pollioni*, *Vopiſco* & *Capitolino*, quamvis poſt illos ſcripſerit. Hoc Ego è verbis ejus illis colligo in Diocletiano. [y] *Hinc* (inquit) *Marius Patrum memoria, hinc iſte noſtra, communem habitum ſupergreſſi. Marius* ſub *Gallieno* Tyrannus, quo tempore *Patres* natos ponit ille *Victor*, *Diocletianus* ſua, quod ita intelligo ut tunc fuerit natus *Victor*, cum Imperaret *Diocletianus.* Scripſit enim multis poſt *Diocletianum* annis, Imperante, ut dixi *Conſtantio.* Sic fuerit *Vopiſco* par, quem dixi tempora etiam attigiſſe *Conſtantii*, nec tempora *Diocletiani* è *ſua*, ſed è *majorum*, fide narrare. Niſi forte *Victoris Afri* iſta verba fuerint à juniore *Victore* in Epitomen redacti, qui etiam idem fuerit cognomento *primus* à noſtro *Capitolino* memoratus in vita [z] *Macrini.* Fieri id poteſt, licet verba illa *Victoris* de *Macrino* nulla in *Victore*

*y* Victor. *Cæſ.* *z Macrin. c.* 4.

legamus hodierno, omiſſa nimirum à *juniore Victore* Epitomatore. Solum itaque *Severum* excerpſit hic *Victor*, ſi quidem illum excerpſerit, & non potius *Marium Maximum*: ſed & illum ipſum ſeorſim, nec in Corpore hodierno noſtrorum Hiſtoricorum.

XVII. Sed nec ante *Eutropium*, *Rufum Feſtum*, Oroſium.

Longum eſſet ire per omnes; nec abutar, Auditores, veſtra patientia. Proximus Hiſtoriæ *Auguſtæ* Breviator eſt *Eutropius*, & coævus ei *Rufus Feſtus* ſub *Valentiniano* ſeniori. *Eutropium* excerpſit in *Euſebiani* Chronici continuatione *Hieronymus* & *Victor* alius ſub *Theodoſio*. Illos ſecutus eſt *Oroſius* ſub *Honorio*. Nec enim opus eſt ad inferiores deſcendere, horum Excerptores, nec alium ullum primarium Autorem ob oculos habentes. Sed nulla ſunt in his Hiſtoricis indicia quod noſtri Corporis Hiſtoricos viderint, ut aliquos forte ſeorſim viderint. Nulla apud illos cura, præter *legitimos Auguſtos*, tradendi etiam ſeorſim *Cæſares* & *Tyrannos*. Nulla ſeorſim recenſendi *Antoninos*. Nulla *Græcos* Hiſtoricos *Latinoſ*que diverſa ſentientes invicem conferendi. Imo raram admodum in illis *Græci* Autoris vel mentionem inveneris. Raram admodum *Actorum publicorum*, ſeu *Reſcriptorum* Imperialium, ſeu *Actorum Urbis*, ſeu *Populi* ſeu *Senatus*, ſeu *Epiſtolarum* coævarum, quæ tamen hujus Corporis maximam partem conficiunt. Nulli hi obſervant duplex ejuſdem Imperatoris fuiſſe nomen *Maximi* & *Pupieni*. Rari, ſi forte ulli, præter ſecundum *Victorem*, *tres* fuiſſe *Gordianos*. Sed & hic, ut reliqui, *Carum* agnoſcit à *fulmine* interemptum. Nec obſervavit fuiſſe ſaltem qui aliter ſentirent. Imo neminem obſervavi, de cujus

ætate

ætate conſtat, qui Corpus hoc excerpſerit ante annum à Chriſto nato milleſimum. Et tamen antea fuiſſe neceſſe eſt, ſi quidem vere ſecundæ, ut oſtendimus, formæ Codicem *Palatinum* antiquiſſimum pronunciarit *Salmaſius*. Primæ enim formæ Codices pro vera temporum ratione diſpoſitos antiquiores eſſe monuimus.

Et quidem hactenus, Academici, de noſtri Corporis Autoribus egimus in univerſum; ſequenti Prælectione ipſum *Spartiani* Contextum aggreſſuri.

# PRÆLECTIO I.

## Ad Spartiani HADRIANUM.

*Quam fidem mereantur proditi a Veteribus* dies *Principum privatorumque* Natalitii.

DEC. 7. 1688.

---

*Natalis* Hadriani *Januar.* XXIV. §. I. *Cur* Hadriani *nomen inter* DIVOS *retinuerint Kalendaria, ejuſdemque* Natalem. §. II. *Non* Natales *duntaxat, ſed res etiam* geſtas *inſigniſſimas vetuſtiſſima complecti ſolebant* Kalendaria. §. III. Kalendariorum *curam ſuſcipiebant* Imperatores, *qua* Pontifices Maximi. §. IV. Sacra *in honorem* Divorum *Principum procurabant* Sodales, *primo in* Familiæ Auguſtæ *honorem inſtituti, tandem in* ſingulorum *ſingulares Familiæ Auguſtæ* Principum. §. V. *Præter Sodales*, Flamines *etiam &* Salii *illis decerni ſolebant.* §. VI. Sodales *illi* Salii, *&* Flamines, *non unius, pro primo inſtituto, ætatis. Tandem a* Tacito *Imp. unum* Divis *Principibus omnibus* Templum *inſtitutum, unumque adeo Sacerdotum* Sodalitium. §. VII. *Nec erat, in* Taciti *Templo, cultus ille Principum* Divinus, *ſed duntaxat* Heroicus. §. VIII. Natalis, *quoties* ſimpliciter *uſurpatur, pro* Genituræ *natali plerunque accipiendus.* §. IX.

*Spartian.* Adrian. *c.* 1.

I. *Natalis* Hadriani *Januar.* XXIV.

N*Atus eſt Romæ* IX. *Kal. Feb. Veſpaſiano ſepties & Tito quinquies COSS.*] Hi COSS. anno Ær. *Chriſtianæ* vulg. LXXVI. Mortuus eſt VI°. Iduum *Juliarum Hadrianus*, eodem teſte *Spartiano* hac eadem vita cap. 25. Sic vixerit accura-

curatiſſime annos LXII. menſes V. dies XVII. *Majorem* obiiſſe *ſexagenario* teſtatur *Eutropius*. Sic etiam ex eo *Hieronymus* in Chronico *Euſebiano*. Se enim nova inſeruiſſe in eo Chronico, maximè in *Romana* Hiſtoria, ipſe agnoſcit *Hieronymus*; & quidem frequentiſſime ex *Eutropio*, ut conſtat. Sic & *Proſper* Chronici *Euſebiani*, poſt *Hieronymum*, continuator antiquiſſimus. Verum hi numerum duntaxat expreſſere rotundum. Paulo accuratius *Victor* Epitomator qui annos ejus numerat LXII. Omnium vero accuratiſſime *Spartianus*, ſi tamen unam demas *decadem*, qui error erat in notis *Romanis* facillimus. Is enim ejus annos numerat LXXII. menſes V. dies XVII. c. 26. Nec multum diſcrepat *Dio* Scriptor in Hiſtoria accuratiſſimus. Annos ille recenſet *Hadriani* LXII. menſes V. In *dierum* autem numero diſcrepat à *Spartiano*, quos tribuit *Hadriano* XIX. Sed numerat, ni fallor, *Spartianus* menſes V. à XXIV°. *Januarii* ad *Junii* etiam XXIV^m^. Sic tamen ille ut XXIV^m^. *Junii* pro primo novi menſis die habuerit. Numeravit autem *Dio* à IX°. Kal. *Feb.* qui quidem erat dies *Januarii* vere XXIV^us^. ad IX^m^. ſimiliter Kalendas *Julias*, qui *Junii* erat dies duntaxat XXIII. quo quidem calculo, ſi & dies ille XXIII. pro primo novi menſis die numeretur *Julii* X. ab illo erat XVIII. Et quidem utramque numerandi rationem in illorum temporum Autoribus obſervavimus. Non tamen eſt quod propterea dubitemus quin verus ſit, quem dedit *Spartianus*, *Hadriani* Natalis. Præſertim cum adeo accurate cum aliis *Spartiani* calculis conveniat, ſi tamen unicum illum excipias *denarii* numeri facillimum errorem. Immo *Natalem* illum *Hadriani* firmat Catalogus *Natalium*

a *Bucherio*

a *Bucherio* editus una cum annexo *Kalendario.* Sic *Julii* X. anni Æræ Chriſtianæ CXXXVIII[i]. deceſſerit *Hadrianus.* Major itaque eſt quam ut ferri poſſit error Chronici *Alexandrini* quo annos ejus legimus LXXVII. Sed errores illos inde natos crediderim, quod *Pium* confuderint cum *Hadriano* imperiti illi Chronologi, quem etiam ipſum *Ælium Hadrianum Antoninum* appellant numi Inſcriptioneſque. Sunt enim qui *Pio*, quanquam falſo, annos tribuunt LXXII. quos noſter habuit in animo fortaſſe qui corrupit *Spartianum*. Et numerum illum eundem annorum LXXVII. *Pio* tribuit *Malela*, quem ſequitur in quamplurimis Autor ille Chronici *Alexandrini*. Id quoque falſo, ut falſo annos *Pii Hadriano* tribuit Autor illius Chronici. Non eſt tamen inde quod de *anno*, quem diximus, & *die* natali *Hadriani* ullatenus dubitemus. Hic itaque certiſſimum habemus Chronologiæ *Hadrianeæ* fundamentum.

II. Cur *Hadriani* nomen inter *Divos* retinuerint Kalendaria, ejuſdemque *Natalem*.

Nam certe, quod ad *Natalem* illum attinet, multa eum inſignem faciebant, ne poſſet ullus in illum irrepere error, etiam ætate *Spartiani*. Quotannis enim celebrari ſolebant *Natales* illi a Flaminibus *Divorum* Auguſtorum; & in illis locum habuiſſe etiam nomen *Hadriani*, etiam poſt *Spartianum*, ex illo diſcimus Kalendario, quod dixi, ſub *Conſtantini* filio *Conſtantio*. Exinde etiam quod *Divum* illum appellent *Juriſperiti* etiam recentiſſimi, quorum habemus mentionem in Pandectis. Et tamen illorum *Divorum* (quos aliunde *Divos* fuiſſe ſcimus) *Natales* ibi nullos legimus, non *Divi Commodi*, quem fecit Divum *Severus*, & quem *Divum* appellant illorum temporum *Juriſperiti*, qui

ſub

ſub *Severo* vixerunt atque *Caracalla*; non *Divi Getæ* quem *Divum* fecit frater parricida *Caracalla*; non *Divi Antonini Magni*, ſic etiam *Caracallam* vocant paulo juniores *Juriſprudentes*, relatum ſcilicet in numerum *Divorum* ab interfectore *Macrino*; non *Divi Diocletiani*, quem etiam conſecratum tradit *Eutropius*. Illos tamen recentiores a Flaminum *Kalendariis* excluſerant, cum nihilominus retinerent nomen *Hadriani*. Mirum id fortaſſe, quod honorem illum *Divi* difficillime, precibuſque *Pii* importuniſſimis a *Senatu* conſecutus fuerit; alioqui fuiſſet ut & *memoriam* ejus damnaſſent, & *Acta* ejus omnia reſcidiſſent. Sed nec poſteriorum omnium ſuffragia tulit ut *bonis* illum potius *Principibus*, quam *malis*, accenſerent. Bonis, fateor, accenſet *Vopiſcus* in duplici, quem contexuit, *bonorum* Principum Catalogo, in [a] *Aureliano* altero, altero in [b] *Caro*. Sed malis accenſet *Victor* Epitomator, & qui noſtri Corporis vitam ſcripſit [c] *Severi*. Sed quo minus excluderetur fecit, ni fallor, honor ille omnium eximius in memoriam *Antoninorum*. Eo enim Argumento uſus eſt ipſe *Pius*, ut ſi *Acta Hadriani* damnaſſet *Senatus*, id quoque damnandum eſſet quo *Pium* fecerat hæredem in Imperio. Cum itaque nomen *Antoninorum* poſteris longe eſſet chariſſimum, proinde nomini etiam *Hadriani* peperciſſe videntur, quod primus *Hadrianus* nomen illud omnium ſanctiſſimum in Imperium intuliſſet. Præſertim cum a *Pio Hadriani* filio *adoptivo* cœperit illud nomen, & verum nomen *Antonini Pius* ſolus habuerit, *Marcus* autem habuerit duntaxat adſcititium, ut obſervavit Autor [d] *Diadumeni*.

*a Aurelian. c.* 42. *b Car. c.* 3. *c Sever. c.* 21. *d Diadum. c.* 6.

Certe

III. Non *Natales* duntaxat, ſed res etiam *geſtas* inſigniſſimas, vetuſtiſſima complecti ſolebant *Kalendaria.*

Certe ſi ex illis quæ habemus *Kalendariis*, de aliis liceat ſtatuere quæ non habemus; ſolebant proximi Imperatorum Succeſſores deceſſorum, non *Natales* duntaxat *genituræ*, ſed & *Imperii*, ſed & dies *geſtorum* præcipuorum nomine celebres obſervare. Ita *Cæſaris* Patris Adoptitii *geſta* habet *Kalendarium* antiquiſſimum *Auguſti.* Prid. Non. Mart. *Cæſarem Pontificem Max. Imperatorem* factum; VI. Kal. April. *Alexandriam recepiſſe*; XIII. Kal. Auguſti ejuſdem *Cæſaris victoriam*; V. Idus ejuſdem menſis Auguſti *Hiſpalin viciſſe.* V. Kal. Septembr. *Aram victoriæ in Curia dedicatam*; VIII. Kal. Octobris *Auguſti Natalem*; cujus tempore conditum exiſtimant Eruditi hoc Kalendarium. Eodem exemplo & *Conſtantini* res geſtas geſtorumque dies in *Licinium Maxentium*que exhibuit Kalendarium illud aliud recentius ſub *Conſtantini* filio *Conſtantio.* Sic tamen illud ut & ipſius aliorumque *Divorum* non res *geſtas* repræſentet, ſed tantummodo *Natales*, nec *Imperii* illos, ſed *genituræ.* Sic itaque fuiſſe veriſimile eſt & aliorum quoque *Divorum* Imperatorum Kalendaria, *geſtis* quibuſque *Divorum* præcipuis, geſtorumque *diebus* inſignita. Non aliunde, ut exiſtimo, res geſtas *Commodi*, menſibus, menſiumque diebus conſignatas dedit Autor vitæ [e] *Commodi*, præclaro ſane rei *Chronologiæ* beneficio, ſeu *Kalendarium* illud confecerit, qui *Divum* dixit *Commodum*, *Severus*; ſeu *Divorum* mortuorum honores *Commodus* ipſe etiam vivus affectarit.

[e] *Commod. c. 2. 12.*

In-

Indutus eſt *toga* virili Nonis *Juliis*; *Imperator* appellatus V. Kal. *Decembres*; nominatus inter *Cæſares* IV. Id. *Octobr.* appellatus *Germanicus* Idib. *Herculeis*, menſis nimirum *Octobris*; aſſumptus in omnia Collegia *Sacerdotalia* XIII. Kal. *Invictas* nempe *Februarii*; profectus in *Germaniam* XIV. Kal. *Ælias*, i. e. *Junii*; *triumphavit* X. Kal. *Amazonias*, *Januarii* ſcilicet; iterum *profectus* III. Non. *Commodias*, *Auguſti* nimirum, pro veteri *Romanorum* appellatione; datus in perpetuum ab *exercitu* & *Senatu* in domo Palatina Commodiana conſervandus, XI. Kal. *Romanas*, *Novembris*; *Vota* pro eo facta Nonis *Piis*, *Aprilis*. Et ſane novas illas *menſium* ſingulorum appellationes recepta jam ante Commodum *Divorum* Principum Kalendaria, quæ in *Sodalium* Sacerdotalium uſu erant, immutaſſe conſentaneum erat. Ut proinde non ſit quod miremur ſi, cum novis menſium *nominibus*, & novi quoque illi *faſti* in menſes irrepſerint. Additi præterea in Kalendario Commodi *COSS.* annorum Ordinarii, quibus nimirum annis res ipſæ geſtæ menſeſque convenerint, quos tamen nullos in antiquiſſimo illo *Julii*, aut recentiori illo alio *Conſtantini*, Kalendario deprehendimus.

IV. *Kalendariorum* curam ſuſcipiebant *Imperatores* qua *Pontifices Maximi.*

*Kalendaria* autem illa ad curam Imperatoris pertinuiſſe videntur, quà *ſummus* erat *Pontifex*, qui etiam curam *Kalendarii* in libera quoque habebat Republica. Itaque *Pontificum vitio* factum ait [f] *Suetonius*, perque nimiam intercalandi licentiam, qua illi fuerant

*f* Suet. *Jul.* 40.

uſi,

usi, ut *Fasti* fuerint a *Julio* corrigendi. Et novo rursus errore lapsi *Pontifices*, cum trienniis Bissextos intercalassent, qui erant tamen quadrieniis intercalandi, novam *Augusto* Kalendarii emendandi occasionem ministrabant. Sic enim apud alias quoque gentes *Kalendarii* cura *Sacrorum* præsidibus commissa est, ne aliter foret ut *Sacra publica* annua alieno tempore celebrarentur, quod gravi numinis offensa, & damno Reip. luendum metuebant. Multum tamen potuit, fateor, in hac ipsa *intercalationis* causa, etiam Magistratus alius qui *Pontificatum* ipse nullum gesserat, *supremus* tamen, aut *Pontificatu* saltem ipso superior. Ita enim *mensem* integrum *intercalari* jussit *Siciliæ* Prætor *Verres*, teste in *Verrinis Cicerone*. Sed longe, ut existimo, licentiùs Sacra *Provincialium* administrabant Provinciarum Præsides *Romani* quam Sacra *Romanorum* propria. Horum certe violatorum cum periculum ad ipsos spectarit *Romanos*, proinde quam sanctissime a *Romanis* gesta fuisse consentaneum est. Tam enim imminebat à *Populo*, quam etiam a *numine*, metus, si qua *Sacrorum* Jura temerasset *Potestas* alia quam *legitima*. Nec alio fine tot illos liberæ Reip. *Magistratus* affectabant Imperatores, quam ut *Jure* omnia, tam *humano* quam etiam *Divino* administrare viderentur. Nec alio proinde fine *Pontificatum* ipsum ambiebant quam ut ea gererent, quæ per Leges *Sacrorum* non essent utique ab alio, quam Pontifice gerenda. Curam itaque *Kalendarii* Pontificis propriam non alio quam *Pontificum* titulo in se suscipiebant.

V. *Sacra* in honorem *Divorum* Principum procurabant *Sodales*, primo in *familiæ Augustæ* honorem instituti, tandem in *singulorum* singulares Familiæ Augustæ *Principum*.

Sed *dierum* ipsorum observatio ad *Salios* pertinebat & *Sacerdotes* & *Flaminem*, quos decreverat *Senatus* cum *Augustis Divis* posthumos illos honores decerneret. Quamvis etiam culti fuerint *Divi*, pro suo cujusque placito, etiam a *privatis*. Privata autem lararia procurabat privatus ipse Dominus lararii. Sed ad rem nostram non spectant impræsentiarum *privata* illa, etiam *Imperatorum*, lararia. Sed vero *Sacris* illis Principum publicis præficiebantur publica illa *Saliorum Sacerdotum*que Sodalitia. Sic [g] *Sodales* legimus *Augustales*, in honorem quidem *Augusti*, sed *Juliæ* tamen genti universæ à *Tiberio* sacratos, [h] ad eandem plane formam qua etiam Sodales *Titii* Tatii quidem Sabinorum Regis in honorem instituti *Sabinorum* tamen universorum memoriam conservabant. Legimus & *Sodales* alios *Antoninianos*, *Helvianos*, *Alexandrinos*, sic Imperatoribus quorum nomina ferebant, proprios, ut singulis etiam *Antoninis*, proprii tamen fuerint *Sodales Antoniniani*, alii nimirum *Pii*, alii *Lucii*, alii *Marci*, & *Commodi* quoque, ut videtur, alii, certe alii *Caracallæ*. Cœpit nimirum, ut existimo, mos ille novus à *Nerva*, vel à *Nervæ* fortasse Successore *Trajano*. Antea enim, ut *privatis Familiis* sua erant cuique Sacra; sic etiam *Familiis Augustis*. *Juliæ* Familiæ *Sacerdotes* non tamen *Julii*, sed *Augustales*, ut vidimus, appellati sunt. Propterea nimirum, ut videtur, quod in *Augustorum* omnium præcipue honorem fuerint a *Tiberio* instituti. Inde factum

g Suet. *Claud.* 6. *Galb.* 8. *h* Tacit. *Hist.* II.

existimo

existimo ut Epocham *Augustorum* memorarit *Censorinus*, ab eo usque anno deductam quo primus nomen *Augusti* a Senatu consecutus fuerit *Octavianus*. Epochas a victoria *Actiaca*, & a recepta *Alexandria* a Senatu decretas legimus ex *Dione*. Nullas autem a Titulo *Augusti*. Itaque *Sodalibus Augustalibus* hanc Epocham deberi suspicor. *Augustalia* a Senatu pro *reditu Augusti* decreta testis est *Dio* anno DCCXXXV. Idem *Augustalia* alia decreta tradit anno DCCXLIII. sed a *Prætoribus* celebrata, nondum à *Tiberio* institutis *Sodalibus Augustalibus*. Sed & *diem* ipsum tituli *Augustei* solennem fuisse, ex *Ovidio* discimus in *Fastis*. Et multas alias in *Augusti* honorem celebritates in marmore habemus *Ancyrano*, nec modo *aras*, sed & *annos* rerum gestarum & *COSS*. in *Sodalium* Fastis designatos fuisse, jam vidimus, ni fallor, in *Kalendario Commodi*. Recte utique à certa Sodalium *Epocha* arcessendos. Sic in Familia *Julia*. Idem, ni fallor, exemplum ad gentem etiam transiit *Flaviam*. Nec alio retulerim Epocham illam νέȣ ἱερȣ̃ in illius Familiæ numis celeberrimam, a primi gentis illius Imperatoris initio repetitam, nempe *Vespasiani*. Epocham illam *Sodalium* puto fuisse *Flavialium*, ut fuit prior illa, cujus mentionem modo fecimus, *Augustalium*. *Collegium* certe *Flavialium* memorat in *Domitiani* vita [i] *Suetonius*. Nec certe unius è gente Flavia *Principis*, sed plane *Flaviorum* omnium, ut fuerat antiquius illud *Sodalium Augustalium* Collegium commune omnium Familiæ *Juliæ Augustorum*. Id sane discimus è *Collegii* vel ipso nomine. Nec enim è nomine *Principis* proprio ap-

*i* Suet. *Domit*. 4.

pellatur, vel *Vespasianalium* vel *Titialium*; sed è gentili *Flavialium.* Imo genti *Flaviæ* sacratum illud fuisse *Collegium* è disertissimis intelligimus *Papinii Statii Martialis*que testimoniis qui ipsa illa *Flaviâ* gente Imperante scripserant. Cœpit deinde *Nerva* aliam, sed suæ tamen gentis, & sui adeo Imperii, Epocham. Numerantur enim rursus in hujus numis anni νέȣ ἱερȣ͂, quos deinde nullos in sequentium Principum legimus Numismatibus. Inde *singulorum* Principum *singularia* memorantur Sodalitia, etiam Principum cognominum *Antoninorum.* Nec illud modo in *Imperatoribus*, verumetiam in [k] *fœminis Augustis.* Ita *puellas* legimus *Faustinianas* Divæ *Faustinæ* sacras, & *puellas* itidem *Mammæanas*, & pueros ejusdem *Mammææ.* Erant illi quidem *pueri puellæque* in *vivarum* honorem, pro *Trajani* exemplo, *alimentarii.* Sed poterant iidem inservire *canendis* in *defunctarum* laudem *hymnis* cui usui deligi solitos constat sexus utriusque liberos patrimos & matrimos. Sic itaque *Sacerdotes* illi in *Hadriani* honorem instituti *Hadrianales* appellandi fuerint. *Flamines* illos *Sodalesque* noster alibi memorat [l] *Spartianus.* Et *Flamines Sodalesque Hadrianales* memorant Inscriptiones. Sed vero *dies* alii à *Natali* rebus gestis insignes nulli erant, quod quidem scimus, in Sodalium *Hadrianalium* Kalendariis. *Pium* deinde *Fastis*, & nova *Epocha* coluerunt *Sacerdotes*, ut alibi [m] ostendimus, *Ægyptii.* Sed nulla moris illius, quod quidem scimus, vestigia his nempe, quæ tractamus, temporibus apud *Romanos.*

*k Vit. Pii c.* 8. *Alexandr. c.* 57. *l* Spart. *Adr. c.* 27. *m Proleg. App. ad Diss.* Cypr. *n.* 17.

Erant

VI. Præter Sodales, *Flamines* etiam & *Salii* illis decerni ſolebant.

Erant porro inter *Divorum* Principum miniſtros, præter *Sodales* illos, *Flamines* etiam & *Salii*. *Sodalitia* illa intelligo quæ in *Græcis* Inſcriptionibus Athleticis appellantur Σιώνοδοι, Θιασῶται, Σύσιτοι, in Legibus Romaniſque Scriptoribus *Collegia*, *Sacerdotum* nimirum qui *Sacris faciundis* vacabant. *Flamen* ille fuit qui univerſo præerat *Sodalitio*, quem *Græci* συνόδου ἀρχιερέα nuncupant. Hos enim *ſingulos* legimus Deo cujus ferebant nomen conſecratos, licio nimirum in apice velatos (emendante apud [n] *Varronem* magno *Scaligero*) à *filo*, quo caput cinctum habebant, *Flamines*, quaſi *filamines*, appellatos. Sic equidem apud veteres, quamvis non ſum neſcius apud juniores, & *Flamines* legi & *Archiflamines*. Sed fluxerunt illa, ni fallor, è diſciplina Principum Ethnicorum, *Chriſtianos* tamen æmulantium, *Maximiani Daiæ*, & *Juliani* Apoſtatæ. *Salios* ab Origine *Marti* proprios fuiſſe teſtis eſt *Macrobius*, nec *Herculi* ipſi aliter à *Virgilio* attributos, niſi qua *Mars* cum *Hercule* pro eodem numine habebatur, ut probat idem [o] *Macrobius*. Sed cum *Divinos* honores affectarent *Romani* Imperatores; cum *pro tribunali tenſas*, cum *ferculum Circenſi pompa*, cum *templa*, *aras*, *ſimulacra*, *juxta Deos*, cum *pulvinaria*, *Flamines* & *Lupercos*, *quæ omnia in ipſo Cæſare* notat tanquam *humano faſtigio ampliora* [p] *Suetonius*; cum & illa hominum animos inceſſiſſet opinio de *Diis* invicem *confundendis*, nec aliquem fuiſſe unquam ſine Numine virum magnum, ut placuit *Ciceroni*; tandem eo deventum ut cum

*n* Varr. *L. IV. Ling. Lat. p.* 22, 23. *o* Macrob. *Sat. L. III. c.* 12. *p* Suet. *Cæſ. c.* 76.

Deorum *honoribus* & *nomina* ipſa Deorum induerent Imperatores. Sic voluit *Auguſtus* haberi pro *Apolline*, *Hercules* videri *Commodus* & *Maximianus Herculius*, *Jupiter Diocletianus*, *Sol Elagabalus*, *Mars* ipſe *Maximianus Galerius*. Et ſane *Martis Herculiſ*que nomina affectare conſentaneum erat Principes alioqui *bellicæ* gloriæ appetentiſſimos. Inde pronum erat ut affectarint *Sacerdotes* etiam communes cum *Marte Salios*. Certe *Saliari* carmini nomen filii *Veri* inſeruit Princeps etiam alioqui modeſtiſſimus [q] *Marcus*. Nec aliunde fortaſſe fluxerit honor ille Principibus decerni ſolitus *Clypei aurei* in quo picta erat Principis cujus nomen tulit, *imago*, quotannis certo die à *Collegiis Sacerdotum* in *Capitolium* ferendi, *Senatu proſequente*, *nobilibuſque pueris ac puellis modulato carmine laudes virtutum ejus canentibus*, teſte in *Caligulæ* vita [r] *Suetonio*. Plane ad eandem formam qua & *Salii Martis ancilia* in *Capitolium* cantantes ſaltanteſque ſolenni ritu portabant. Et ſane *decurſum* illum in *armis* πύῤῥιχον, qui *Romanorum* erat *Saliorum*, in antiquiſſimis legimus *Heroum*, etiam *Græcorum*, inferiis. Ut proinde mirum ſit potius tamdiu *proprios* fuiſſe apud *Romanos* Marti *Salios*, quam tandem *hominibus* etiam *Heroibus* attributos. Habebantque *Salii* in utroque officio collegii ſui *præſidem*, in ſaltu *præſulem*, in cantu *vatem*, ut in *Marci* vita docuit [ſ] *Spartianus*. Addit Spartianus *Saliorum Magiſtros*, non tertium in Saliatu *munus*, ut credidit *Salmaſius*; ſed in utroque munere prædicto præſides tyronibus inſtituendis deſignatos. Sic enim in *Veſtalibus* etiam legimus *Virginibus*, poſtremum illius Sacer-

*q Antonin. c.* 21. *r* Suet. *Calig. c.* 16. *ſ Vit. Marc. c.* 4.

dotii

dotii *decennium* quo maturæ juniores inſtituerint, quod in aliis quoque Sacerdotiis omnibus factum veriſimile eſt. Sed & [t] *Liviam Auguſti* Sacerdotem factam legimus. *Flaminicam*, ut videtur. *Lictore* enim uti in *Sacrificiis* eodem Senatuſconſulto permiſſum eſt. Atqui rarum illud erat exemplum *fœminei* in *Viri* honorem *Sacerdotii*. Erant tamen ſatis uſitatæ etiam in *virorum* inferiis, *virginum* κανηφόρων non quidem *Sacrificia*, ſed *oblationes*. Erat etiam in *Virorum* Natalitiis uſus κανηφορῶν, ut ex *Hadriani* Epiſtola conſtat apud Scriptorem (quem habemus) ineditum *Doſitheum*; quam tamen Epiſtolam edidit [v] *Caſaubonus*. Sed ad *Sodalitia* revertamur.

VII. *Sodales illi Salii & Flamines* non unius, pro primo inſtituto, ætatis, Tandem à *Tacito* Imperatore unum *Divis* Principibus omnibus *Templum* inſtitutum, unumque adeo Sacerdotum *Sodalitium*.

Certe *Sodalitia* illa non unius fuiſſe duntaxat ætatis, ſed *perpetua*, è vita colligimus [x] *Caracallæ* à noſtro ſcripta *Capitolino*, cujus hæc ſunt verba: *Habet templum, habet Salios, habet ſodales Antoninianos*. Suo nimirum, quo ſcripſit, tempore *Sodales* illos fuiſſe indicat, nempe Imperante *Conſtantino*, poſt Sæculum ex quo obierat *Caracalla*. Et quidem *Templa* in *Divorum* honorem condita *perpetua* etiam poſtulabant, qui Sacra eorum cultumque procurarent, hominum ſacrorum *Sodalitia*. Sed vero in immenſum creviſſent dies illi ſacri ſi *Divorum* omnium *dies* omnes rebus *geſtis* inſignes fuiſſent in æternum obſervandi. *Divorum* itaque ſub proximis ſucceſſoribus, res *geſtæ* omnes, & *dies* geſtis inſignes, ni fallor, celebratæ ſunt.

*t* Dio. *l.* 56. *fin.* *u* Caſaubon. *not. ad* Spartian. *Hadrian. c.* 26. *x* *Carac. c.* II.

Id enim verisimile apparet è *proximorum* Successorum illis, quæ dedimus, *Kalendariis*. Sed ubi jam inveteraverant, solos deinde *Divorum Natales* observatos fuisse verisimillimum est. Nec enim alios habemus superiorum *Constantino Divorum* dies, in illo *Constantii* Kalendario, præterquam *Natales*. Et tamen res etiam *gestas* perpetua nonnunquam celebritate colebant Veteres. Ita versionem *Græcam* sacrorum Codicum cum *Navali*, quæ in eundem inciderat diem, victoria anniversaria celebritate cultam ait *Aristeas*, & cultum illum *Gentilium* pariter ac *Judæorum* frequentia, ad sua usque tempora insignem fuisse testis est *Philo*. Sed aliunde fortasse mos ille *Natales* duntaxat superiorum *Divorum* colendi deducendus est. Nempe à temporibus *Taciti*. Sic enim de illo scribit Vopiscus: [y] *Divorum templum fieri jussit, in quo essent statuæ principum bonorum, ita ut iisdem Natalibus suis, & parilibus, & Calendis Januariis, & votis, libamina ponerentur*. Meminit quidem sub *Pio* A. D. 153. Templi *Divorum*, Inscriptio *Sponiana* Misc. 52. in quo fuerint singulis *Divis Augustis*, exempli gratia Divo *Tito*, suæ tamen separatæque ædes. Sed aliud erat illud ab hoc nostri *Taciti* Divorum *omnium*. Nempe, ut *Agrippa* Templum condidit omnium *Deorum* Pantheon, sic *Divorum omnium*, unum struxit & commune Templum *Tacitus*, quo res *gestæ* eorum nullæ sed *Natales* duntaxat, colerentur. Ita separatorum *Romæ* Templorum *Divis* Principibus dedicatorum, usus omnis, ut opinor, intercidit. Sic etiam *Sodalitiorum* separatorum atque *Flaminum*. Quos enim memorat *Sodales Antoninianos*,

y *Tacit. vit. c.* 9.

&

& *Salios*, & cum *Templo* etiam ſeparato, [z] *Capitolinus*, in honorem *Caracallæ*, temporibus *Conſtantini*, non *Romæ* tamen, ſed in *Tauri* radicibus fuiſſe certum eſt. *Romæ* certe nullam deinde legimus Templi ſeparati, aut *Sodalitiorum*, aut *Saliorum* aut *Flaminum*, in *Divorum* cultu mentionem; non in *Vrbis Notitiis* quas habemus antiquiſſimis, *Chriſtianorum* quidem fateor temporum, illis, ſed *Paganicæ* Superſtitionis monumentis tum quoque refertiſſimis, cujus retinentiſſimos tum quoque fuiſſe *Romanos*, è *Zoſimo* diſcimus & *Symmacho*; ſed ne quidem in aliis quibuſcunque *Ethnicorum* Scriptis atque monumentis. Nullos deinde legimus *Romæ* ſodales *Antoninianos*, aut *Alexandrinos*. Sic itaque cum uno eodemque *Templo*, ab uno eodemque *Sodalitio* & *Flamine* Divi Principes omnes colerentur, jam cultus ſingulorum *proprius* nullus erat, præterquam *Natalium*.

VIII. Nec erat, in *Taciti* Templo, cultus ille Principum *Divinus*, ſed duntaxat *Heroicus*.

Sed nec *dies* duntaxat rerum *geſtarum* è *Divorum* Principum cultu puto excluſiſſe *Tacitum*, ſed & *cultum* ipſum minuiſſe, ut *Herôum* potius quam *Templum* illud, quo omnes colebantur, fuerit appellandum. Nulla hic legimus majoris generis *Sacrificia*, quæ *Diis* omnium ſupremis deberentur, ſed *libamina* duntaxat, ſeu χοὰς, quæ *manibus* omnibus, ſeu *Diis inferis* etiam è plebe poterant, pro Gentilium ritu ſolvi. Et plane *Divos* ſic coluit, etiam ante *Probum*, [a] *Alexander Severus*, ut quidem *animabus* illos *ſanctioribus*, hominum nimirum, accenſuerit. Coluit ille quidem in *larario majori*: ſed in *la-*

z *Carac. c. II.* a *Alex. c. 29.*

*rario* utique, non in *Templo*, nec *Jovi* illos adjunxit aut *majorum* gentium *Diis*, ſed *hominum animabus*, pro illorum temporum moribus, in cœlites aſcriptis. *Inferiæ* certe, ſeu ἐναγίσματα, humanis *manibus*, pro *Gentium* diſciplina, debebantur, qui tamen diſcrimen in *humanarum animarum* cultu primorumque *Deorum* Maximum agnoſcerent. Hic ne *Circenſes* quidem legimus è *Taciti* juſſu in eorum honorem celebratos. Et tamen illos omnino ſentio fuiſſe, ſeu juſsu *Taciti*, ſeu juniorum *Tacito* Principum. Facit ut ita ſentiam *Conſtantii* illud, quod dixi, Kalendarium. *Natalibus* enim ſemper aſcribit C. M. ſeu *Conſulis Mappam*, per illas notas, ſeu *Miſſus*, intellexerit. Utrovis modo *Ludos* illos *Circenſes* denotabunt qui edi ſolebant in Principum *Natalibus*. Sed nec honor ille *Ludorum* erat pluſquam *Heroicus*. Curſu, Palæſtra, pugilatu *Heroum* funera celebrari videmus in *Homero* & *Virgilio*, & curribus illis quos *Troicos* appellat in *Cyri* Inſtitutione *Xenophon*. Sed *gladiatorum* cæde conſtabant (inquietis) *Ludi* illi *Circenſes*. Nec *cæde* vacuus ſemper erat cultus ille *Heroicus*. *Troas* juvenes *Patroclo* inferias obtuliſſe legimus *Achillem*, & mactatam in *Achillis* tumulo *Polyxenam*. *Templi* itaque à *Tacito* conditi uſibus inſerviebat illud *Conſtantii* Kalendarium, quod ſuperiorum *Conſtantino* Divorum ſolos complectebatur *Natales*. Verum cultus ille *publicus* erat, & nomine Populi *Romani*. Inſerviebat etiam *privatis*, ſiqui *Divorum* Principum memoriam vellent in *privatis* colere *larariis*.

Conſtat

IX. *Natalis* quoties *ſimpliciter* uſurpatur pro *genituræ* Natali plerunque accipiendus.

Conſtat interim *genituræ Natalem* ad poſteros tranſmitti ſolitum, *Natalem Imperii* tamdiu duntaxat celebratum dum ipſi fuiſſent in *vivis* Divi Imperatores. Hinc itaque colligemus quoties de *Natali* ſimpliciter loquuntur Autores, nec addunt unde colligi poſſit *quem* intelligant *Natalem*, rectius illos, pro more ſæculi, de *genituræ*, quàm *Imperii*, Natali eſſe intelligendos. Præſertim ſi de *defunctis* Principibus ſit ſermo. Sic itaque & *Herodis* Natalem intellexerim apud *Perſium* de *Herodis* Magni *Natali genituræ*. Morem enim ipſum celebrandi *Natales Romani* à *Græcis*, gentibuſque *Orientalibus* videntur accepiſſe. Et quidem *Natalem* ita obſervandum exiſtimabant, ut inde *Auguria* pleraque facta ſint de ipſo etiam *Imperio*. Sic fere in pleriſque noſtræ hujuſce collectionis vitis, atque etiam in *Suetonio*. Semper enim in pretio erant artes illæ ſuperſtitioſæ, ut non apud ipſos *Imperatores*, at ſaltem apud illos qui ambirent *Imperium*. Sic ex *Horoſcopo Ælii Veri Cæſaris* collegit *Hadrianus* ſe [b] *Divum* adoptaſſe non *filium*. Sic *Juliam* uxorem duxit *Severus*, quæ id [c] *genituræ* haberet ut *Regi* jungeretur. Sic & de *Geta* filio idem Severus, [d] *Mirum* (inquit) *mihi videtur Geta noſter Divus futurus, cujus nihil Imperiale in genitura video.* Proinde conſentaneum erat ut natalis *genituræ* rationem potiorem haberent, cum ab eo *Natalem* illum alterum *Imperii* pendere arbitrarentur. Non certe *Imperii*, ſed *genituræ* Natalis menſis [e] *Julii* nomen accepit, quamquam [f] *Auguſtus honorum* potiorem habuerit

*b Æl. Ver. c.* 4. *c Sever. c.* 3. *d Get. c.* 2. *e Dio l.* 44. *p.* 242. *f* Suet. *Aug. c.* 31.

quam

quam *genituræ* rationem. *Julii* tamen exemplum ſecuti ſunt *juniores* Auguſto Principes, qui *menſibus* nomina dederunt, *Domitianus* & *Commodus*, non aliis utique quam *genitalibus*. Sed veſtra, Academici, patientia nimium fatiganda non eſt. Quapropter alia quæ de his iiſdem *Natalitiis* dicenda habemus ad ſecuturam Prælectionem reſervabimus.

Præle-

# *Prælectio* II. *ad Spart.* Hadrian.

APRIL. 19. 1689.

*Transitio.* §. I. *De* Fortuna *Imperii.* §. II. Fortuna *illa eadem cum* Genio *Principis tutelari.* §. III. Genius *ille tutelaris* Natalibus *præfectus.* Fortunam *a* Genio *ut invicem distinxerit* Isaias. §. IV. Natalibus *Principum non* libamina *dari solita duntaxat, verumetiam* Sacrificia. §. V. Genius *ille coli solebat Sacris* Natalitiis. §. VI. Natales Principum *omnibus oportet fuisse exploratissimos.* §. VII. *Etiam* privatorum *hominum insignium* Natales *erant notissimi.* §. VIII. Inscriptionibus *Sepulcralibus, celebritatibusque* perpetuis *conservari solita* Natalitiorum *memoria, etiam* privatorum. §. IX. Natalium *memoriam conservavit disciplina Veterum de ingenuorum* liberis *in* matriculas *referendis.* §. X. *Mos ille liberos ingenuos in* matriculas *referendi antiquissimus.* §. XI. *Eandem* Natalium *conservationem postulabant multæ in* Jure *disceptationes.* §. XII.

I. Transitio.

EGimus, Academici, in hæc verba *Spartiani*, de die Hadriani *Natalitio*, eaque occasione de Veterum disciplina in memoria *Natalium* conservanda. Illam conservatam ostendimus in *Divorum* Principum *Kalendariis*; utque factum sit, cum *Divorum* aliorum nomina inde expuncta fuerint, locum tamen in illis tenuerit nomen *Hadriani.* Tum de illis ipsis agere cœpimus *Kalendariis*, eorumque disciplinam, qualis fuerit sub *Imperatoribus*, explicavimus. Primo nimirum non dies

dies *Natales* ſolos, verum & alios eorundem *dies* rebus *geſtis* præcipuis inſignes locum in iiſdem habuiſſe *Kalendariis*. Multa deinde in *Kalendariis* juniores novaſſe Principes, *curam* nimirum *juſque* Kalendariorum habentes qua *Pontifices* erant *Maximi*. Sacra illa *Natalium* aliorumque iſtiuſmodi Feſtorum procuraſſe docuimus *Sodales* in *Divorum* honorem inſtitutos, primo *Familiæ*, quæ rerum potiebatur, *Auguſtæ*; dein *ſingulorum* ſingulares Familiæ ejuſdem *Divorum* Principum. Sodalibus *Flamines Salioſque* iiſdem Senatuſconſultis additos obſervavimus, & quæ ſingulorum munera fuerint explicuimus. Deinde *perpetua* eſſe diximus, pro inſtitutorum conſilio, illa *Sodalitia*, Divorumque memoriam ad omnia *poſterorum* Sæcula traditura. Tandem coactos in *unum* Templum *Divos* omnes à *Tacito* Imperatore, uniſque adeo & iiſdem *Sodalibus* Sacra eorum omnia commiſſa, qui & *cultum* etiam mutaverit, & pro *Divino Heroicum* repoſuerit. Denique *Natalem* oſtendimus, quoties *ſimpliciter* uſurpatur, non pro *Imperii*, ſed *genituræ* Natali eſſe intelligendum.

II.
De *Fortuna* Imperii.

Invaluerat nimirum illis temporibus opinio quædam, falſa quidem illa, ſed vulgo admodum recepta, *Fortunam* fuiſſe potius quam ſagacitatem ducum quæ bona illis procuraret Auſpicia, & felicem conſiliorum exitum. Scripſit in illos ex profeſſo *Plutarchus* Librum de *Fortuna Alexandri*. Celeberrimus erat hoc nomine apud [a] *Græcos Timotheus*, cujus res geſtas ita *Fortunæ* tribuebant ut dormientem pingerent cum reti in quod Urbes Exercituſque propria ſponte convolarent. Apud *Romanos Sylla* de *Fortuna* ſua gloriatus eſt, dixitque

[a] *Scholiaſt.* Ariſtoph. *in Plut.*

con-

consilia illa optime processisse, quæ minus ipse habuisset explorata. Inde & cognomen accepit *Felicis.* Sic & *Cæsaris* Imperatorum primi dictum illud memoratur, in periculo naufragii ad navis gubernatorem, [b] Καίσαρα φέρεις καὶ τὴν Καίσαρος Τύχην συμπλέουσαν. Nec aliunde factum, in *Romanorum* disciplina militari, ut si *Legatus*, etiam absente Imperatore victoriam de hostibus reportasset, non tamen ipsi, sed *Imperatori*, triumphus decerneretur. Plus illi nimirum tribuebant *Imperatoris* solis auspiciis, quam *Legati*, qui rem gesserat, industriæ, aut prudentiæ militari. Et quidem libera Rep. siquis, refragantibus auspiciis, Magistratum suscepisset, vitio facta erat electio, ipsumque oportebat abdicare, aliusque erat in ejus locum sufficiendus. Sic *Reip.* erat illa, non *privatorum* duntaxat hominum, opinio. Inde legimus in Persecutionibus *Fortunam Cæsaris* Juramenti loco *Christianis* proponi solitam. Locum nimirum habuisse videtur inter *Signa* castrensia, & *Cæsarum* ipsorum *imagines imago* quoque illa Τύχης seu *Fortunæ Cæsareæ.* Erat certe inter insignia Imperii *Fortuna* quoque *aurea* penes illum qui potestatem *Augusteam* primam haberet atque omnium absolutissimam; nunquam autem concessa *Cæsaribus*, aut potestatis etiam *Augusteæ* participibus *secundariis.* Ita *Fortunam auream* moribundus [c] *Pius*, quæ in cubiculo Principum poni solebat, ad *Marcum* transferri jussit. Sic & *Severus*, cum duos filios pares vellet in potestate *Augustea* omnium summa, etiam *Fortunam* quam *Regiam* appellat hujus vitæ Autor, [d] *quæ comitari* (inquit) *Principes, & in cubiculis poni solebat, geminare statuerat. Sed quum videret se perurgeri*

*b* Plutarch. *Cæs.* *c Pio c.* 12. *Marc. c.* 7. *d Sever. c.* 23.

*sub*

*ſub hora mortis, juſſiſſe fertur ut alternis diebus apud filios Imperatores in cubiculis Fortuna poneretur.* Jam diu antea per aliquot annos *Auguſti* erant filii, nec tamen ante mortem *Fortunam* illam credebat illis pater *Severus*, ut intelligamus illam propriam fuiſſe poteſtatis etiam *Auguſtæ* omnium, ut dixi, ſupremæ. unde etiam mirifice confirmantur quæ alibi [e] tradidimus de *primi Auguſti* prærogativis præ reliquis etiam *Auguſtis*. Id ſcilicet voluerunt, non aliis utique quam *primi Auguſti* auſpiciis de ſumma Reip. eſſe periclitandum. Ita nulla, aut parva admodum, eorum poteſtas fuerit in exercitus. Sic recte obſervarit [f] *Lactantius*, cum vellet *Diocletianus Galerii Maximiani* ambitionem eludere concedendo titulo Auguſti, *nihil inde* Galerio, *aut* [non] *multum, acceſſurum.* Atque ab hac Imperii *Fortuna* titulus *Felicis*, à Τύχῃ Ἐυτυχȣ̃ς, in titulis *Auguſtorum* recentiorum, præſertim à temporibus *Commodi*, ſatis frequentem legimus.

III. *Fortuna* illa eadem cum *Genio* Principis *tutelari.*

Cæterum *Fortunæ* nomine *Dæmonem* intelligebant illi, ſeu *Genium* Cæſaris *tutelarem.* Id enim rogatum à *Chriſtianis* ut per *Genium* Cæſaris *jurarent*, atque *illum* colerent ſaltem *Dæmonem*, cum contra illi *Dæmonas* ad unum *omnes* malos dicerent, bonum autem nullum prorſus agnoſcerent. Sic enim, ut Heroibus *Homericis* ſuos aſſignat Poeta, ſed *primi* plerunque ordinis, *Deos*, *Vlyſſi Minervam*, *Achilli Thetidem*, *Paridi Venerem*, *Hectori Apollinem*, Et ſic de aliis; ita etiam *Imperatoribus*, quos *Heroas* cenſebant, ſuos quoque tribuebant *Romani dæmonas.* Dæmonas enim, quoties eſſent à majorum gentium *Diis* accurate

e *Diſſ. Sing. ad fin.* Ceſtrienſ. f *Mort. Perſ. c.* 18.

diſtin-

diſtinguendi, illos præcipue appellabant, quibus hominum *tutelam* atque cuſtodiam creditam exiſtimabant. φύλακας ἀνθρώπων vocat *Heſiodus* qui 30000 hujuſmodi *Dæmonum* recenſet. Agnoſcit etiam, illorumque præcipue *animas*, qui mortui fuiſſent in *Bello*, huic muneri aſſignat [g] *Plato*. Imo ſummos quoque Deos quoties hoc munere fungerentur, δαίμονας appellat *Homerus*. Et quidem unicuique homini talem *dæmonem* tribuunt *Platonici*. Et ſæpe nomen δαίμονος abſolute ſumpti pro *Fortuna* uſurpant optimi Autores, præcipue Poetæ, & *felicem* εὐδαίμονα, *infelicem* κακοδαίμονα nuncupant, quod ſcilicet conſiliorum proſperos aut adverſos ſucceſſus potentiæ horum *Dæmonum* aut imbecillitati acceptos ferrent. Ita *felicem* illum exiſtimabant cui datus fuerat magna præditus potentia *Dæmon*; infelicem contra cui imbecillus, & ab alterius cujuſcunque hominis *Dæmone* ſuperabilis. Pugnare enim credebant pro *tutelis* ſuis præfectos hominibus *Dæmonas*, ut in Scripturis legimus pugnare *Angelos* Judæorum atque Perſarum, & in *Homero Deos* Græcorum Trojanorumque *tutelares*. Sic ad *M. Antonium Ægyptius* Aſtrologus, de *Dæmonibus* Antonii & Auguſti: [h] ὁ σὸς δαίμων τὸν τούτου φοβεῖται· καὶ γαυρὸς ὢν καὶ ὑψηλὸς ὅταν ᾖ καθ' αὑτὸν ὑπ' ἐκείνου γίνεται ταπεινότερος ἐγγίσαντος καὶ ἀγεννέστερος. *Dæmonem* itaque illius qui ad *Imperium* perveniſſet potentiſſimum credidiſſe conſentaneum erat. Dum præſertim non *hæreditarius* eſſet locus Imperatorius, ſed *electitius*, & ſuo adeo cujuſque proprio, ne quidem *familiæ* genio tribuendus.

g Plat. *Polit. v. Leg. V. Phædon.* h *Plutarch. Anton.*

Atque

IV.
*Genius* ille tutelaris *Natalibus* præfectus.

Atque hunc *tutelarem* dæmonem *Natalibus* ipſis præfectum arbitrabantur, & quidem *geniture* Natalibus, non Imperii. Inde *genii* manavit ipſum vel nomen. Longe enim veriſimilior eſt illa Etymologia ab antiquo verbo *geno*, quam alia illa quæ aſſignatur à nonnullis Grammaticis, qui *Genii* nomen à rebus *gerendis* deducendum putant. Inde etiam *geniales Dii*, genituræ Præſides; & *Genialis torus*, geniture nimirum deſtinatus. Ut itaque erat in *Natali* ſortitio *animarum* ſecundum *Platonicos*, ſic etiam *dæmonum* erat ſortitio ſecundum eoſdem *Platonicos*. Sorte nimirum delectam exiſtimabant quæ in corpus immitteretur *animam*, & ſorte etiam, qui animæ præficiendus erat, *Dæmonem*. Sic enim *tutelas* Urbium Provinciarumque præſidibus *Dæmonibus* commiſſas arbitrabantur, quas proinde μοίρας & λήξεις appellabant. Hanc *ſortem* Τύχην appellabant, ut proinde idem fere valeant Τύχη & Δαίμων apud Aſtrologos. Ita certe vocem *Gad* quaſi Technicam *Aſtrologorum*, nunc Τύχην vertunt LXXII. Interpretes Gen. XXX. 11. quaſi bonum exoptaſſet filio *Lea* felicemque *genium*, nunc autem Δαίμονα Iſ. LXV. 11. quo tamen in loco בני Τύχην vertunt, & Δαιμονίῳ contradiſtinctam faciunt. Contrarium ordinem ſequitur *Hieronymus*, & in loci Interpretatione *Procopius*, quaſi nimirum Τύχῃ τράπεζαν, Δαιμονίῳ autem κέρασμα illi obtuliſſent Idololatræ. Sed Textus ille vetuſtiſſimus quem cum *Procopio* ex *Origeniano* Codice edidit *Curterius*, ordinem eundem retinet cum vulgatis, quem etiam confirmat Codex vetuſtiſſimus *Vaticanus*, & noſter quoque Bibliothecæ *Jacobeæ Alexandrinus*.

*Fortunam* à *Genio* ut invicem diſtinxerit *Iſaias*.

*xandrinus.* Et ſane melius convenit recepta Lectio cum receptis illorum temporum dogmatibus. Δάιμονα etiam *Soli,* Τύχlω *Lunæ* גדה tribuebant Aſtrologi, non melius utique intelligendi quam è *Platonicis* qui ab *Orientalium* plerunque Traditionibus ſuam hauſere Philoſophiam. Duos itaque κρατῆρας fuiſſe docet *Plato,* alium νȣ̃ in *Sole,* alium ψυχῆς in *Luna.* Nȣ̃ς ille idem eſt, quem δάιμονα vocant Aſtrologi, & ψυχὴ eadem quam illi Τύχην cenſent potius appellandam. Sic itaq; cultus ille, cujus meminit *Iſaias,* Idololatricus tam *Solis* fuerit quam etiam *Lunæ.* Et quidem locos duos idem memorat Propheta quibus cultum ſuum illi peregerint Apòſtatæ. Alios enim dicit in *Sepulchris,* alios in *ſpeluncis* prophanos ritus ſuos exercuiſſe. v. 4. Et quidem in *ſpeluncis* conſtat cultum eſſe *Mithram,*quo nomine *Solem* coluere *Perſæ,* teſte *Juſtino* Martyre & *Porphyrio.* Horum itaque Idololatrarum erat, ni fallor, τράπεζα, *edulibus* nimirum Sacrificiis deſtinata. *Solem* enim & *Lunam* duntaxat à *Perſis* cultum, teſtis eſt [g] *Herodotus,* & quidem *edulibus* maxime Sacrificiis, & feſto illo longe omnium præcipuo die qui fuerat cujuſque *Natalis.* *Perſarum* nempe nomine illas etiam gentes intelligens quæ ſub Perſarum erant *ditione* quo tempore ſcripſit *Herodotus,* quas tamen ante *Perſarum* victorias noſter memorat *Iſaias.* Et vero alias quoque gentes *Orientales* in illo *Solis Lunæque* cultu conſenſiſſe docuit doctiſſimus [h] *Huetius.* Et vero *menſam* aliam *Solis* apud *Æthiopas* idem memorat *Herodotus,* ut intelligamus apud gentes illas *menſarum* uſum in *Solis* cultu fuiſſe frequentiſſimum. Τύχη vero ſeu ψυχῆ, cujus *Luna* ſedes erat, non τράπεζαν,

*g* Herodot. *l.* 131, 132, 133. *h* Huet *Not. in* Orig. *p.* 108, 109, 110.

ſed κέρασμα, *libamen* potius, recte aſſignavit *Iſaias*. Sic enim etiam *Romani Natalitiis* fundebant [i] *Merum Genio*. *Libum* etiam apponebant, accenſo etiam *thure*. *Sacrificium* nullum vulgo obtulerunt, excepto *porco* cujus meminit *Horatius*. *Græci* in inferiis non *merum* duntaxat, ſed & *mel* & *lac* adhibebant, quorum uſus etiam maximus erat in ψυχαγωγίαις & νεκυομαντείαις quibus non delectandas duntaxat animas, verumetiam [k] paſcendas, exiſtimabant. Hoc illud erat fortaſſe κέρασμα cujus meminit *Iſaias*, quod in *Sepulchris* obtulerunt, quæ loca erant propria *Necyomantiων*. Ita expreſſerit *Iſaias* cultum *Natalium* antiquiſſimum.

V. *Natalibus Principum* non *libamina* dari ſolita duntaxat, verum etiam *Sacrificia*.

Erant autem illa, quæ dixi, *meri* libamina *vulgarium* duntaxat *Geniorum*. Sed in *Imperatorum* Natalitiis etiam *Sacrificia* erant, etiam *Ludi Gladiatorii*, quos multi putant à *Sacrificiis* oriundos. Sic nempe Patris Fratriſque *Natales* celebravit *Titus Veſpaſianus*: *ortus* enim, non *Imperii*, illos *Natales* fuiſſe alibi [l] oſtendimus. Sic & *Getæ* quoque Cæſaris *Natalibus* pugnaſſe legimus cum beſtiis Martyres in vita *Perpetuæ* & *Felicitatis*. Ratio è dictis fortaſſe intelligenda eſt, quod vulgus *Genium* non alium haberet quam Ψυχὴν è *Lunari* illo fonte oriundam; Imperatores etiam altioris generis cenſerentur habere *Dæmonem* è Cratere etiam *Solari*. Νοῦν certe ſeu intellectum, *Dei* proprium facit Interpres *Timæi Chalcidius*, & paucorum admodum *lectorum* (inquit) *hominum*. Hinc itaque intelligimus quid ſibi voluerit Autor vitæ [m] *Alexandri*

*i* Perſ. *Satyr. II. ubi*. Marcill. *k* Porph: *de ant. Nymphar.* *l* *Diſſ.* 1. *ad* Iren. *n.* 14. *m* *Alexandr. c.* 29.

*Severi*,

*Severi*, cum *optimos electos*, & *animas ſanctiores* cum *Divis Principibus* ſociaſſe dicit *Alexandrum* in *majori* ſuo *larario*. Plane innuit & *Divis* quoque Principibus fuiſſe illum ſuperioris generis Dæmonem cujus *ſemen* poſuerat in *Sole Plato*. Inde conſentaneum erat ut ſuperioribus etiam *Solarium Dæmonum* honoribus fuerint colendi. Illos autem Dæmonas *Sacrificiis* cultos fuiſſe, & quidem in *Natalibus*, jam ſupra oſtendimus ex *Herodoto*.

VI. *Genius* ille coli ſolebat ſacris *Natalitiis*.

Jam vero *Dæmonem* illum ſeu *Genium* Natalis fuiſſe *Præſidem*, & *Sacris* cultum *Natalitiis* non multis opus eſt ut comprobemus. Agnovit Satyra II. *Perſius*. Agnovit [n] *Cenſorinus*. Agnovere [o] *Tibullus*, [p] *Propertius*, [q] *Ovidius*, [r] *Horatius*, [ſ] *Macrobius*, alii fere omnes qui *Natalitiorum* meminerunt, quorum Teſtimonia longus eſſem, ſi ſingula commemorarem. Nec juvat, fateor, Auditores, in rebus ſatis exploratis nimiam oſtentare diligentiam. Et ſane *ortus* erant hi *Natales* quorum præſides *Genios* agnoſcunt Autores, non *Officii*; nec ab aliis quam *genituræ* Natalibus traxere nomen ipſum *Genii*. Illos certe *Natales* expendere ſolent Aſtrologi, etiam cum de *Imperii Natalibus*, ſintne aliquando futuri, pronunciant, nec utique *Dæmonem* de quo loquuntur, alterius quam *hujus* Natalis præſidem, oportet intellexerint. Imo *Natalium* præſides *Genios* in univerſum agnovere, ut etiam *Populis Urbibuſque*, cum *Natales* aſſignaſſent, *Genios* etiam *Natalium Præſides* præfecerint.

*n* Cenſor. *De die Nat. c.* 2, 3. *o* Tibull. *I. Eleg.* 7. *II. Eleg.* 2. *p* Proper. *III. Eleg.* 8. *q* Ovid. *Triſt. III.* 13. *V.* 5. *r* Horat. *Od. III.* 23. *II. Sat.* 2. *ſ* Macrob. *Sat. I.* 19.

De *Populorum* Natalibus *Geniis* meminit [t] *Symmachus*, & *Genium Populi Romani* multi repræſentant nummi. *Urbium Genii* erant *Virgines* in earum *Natalitiâ* Dedicatione mactatæ, ſi quidem fides *Malelæ*, Autori fateor, alioqui futiliſſimo. Sed favent illi, hac in cauſa, fortaſſe *Numi* qui Urbes *Romanam* atque *CPolitanam* ſub *virginum* galeatarum ſpecie exhibent. Ita nimirum neceſſarium erat ut Natalis *Hadriani* fuerit *Spartiani* ætate notiſſimus, propter *annuam* illam celebritatem, *Genio* ejus, *Natali* ipſo etiamnum obſervatam. Congrue autem, pro receptis illorum temporum opinionibus, *Divorum Principum* cultum in *Palilibus* & in *Votis* præcepit *Tacitus*. In *Palilibus* quidem, ut cum *Genio Urbis Genii Principum* illorum qui fuerant *Urbi* quaſi *tutelares*, in cultu conjungerentur. Iiſdem enim *mortuos* teneri cenſebant, quibus & *vivi* fuerant, affectibus, eodemque adeo *Urbis* defendendæ ſtudio. In *Votis* autem, ut cum *Genio* illius qui jam Imperium teneret, una colerentur. Sic enim *Sodalitatem* quaſi quandam *Geniorum* in *Urbis* præſidium adſciverunt, ut & privatos Familiarum majores in triumphis luctibuſque funereis omnes geſtabant, quo proniores illis facerent in familiam ſuam affectus, res proſperas adverſaſque cum iis, pro virili, participando.

VII. *Natales Principum* omnibus oportet fuiſſe exploratiſſimos.

Et vero præter *anniverſarias* illas *Natalium* celebritates, erat & alia ratio cur *Natales* Imperatorum *Spartiano* eſſe potuerint exploratiſſimi. Mos erat ſcilicet illis temporibus *Imperii omina* ut prius enarrarent Scriptores, quam *Imperium* ipſum. Et quidem plurima

*t* Symm. *L. X. Ep. 61.*

illa

illa *Natalium.* Exempla passim obvia sunt. Nec vero illi *Natales* erant *Imperii* quos potius colligunt ex aliis illis *genituræ Natalibus.* Hac etiam occasione conferunt nonnunquam cum notis aliis *Principum Natalibus*, inde nimirum similem colligentes *Imperii* eventum cum aliis illis Principibus cum quibus *Natales* communes habuerant. Nec vero recentiorum Scriptorum commentis illi erant tribuendi *Natales.* Immo *Principibus* ipsis explorata erant plerunque *omina* illa *Natalium,* & spem illis animosque fecere, fore nimirum aliquando ut *Imperium* consequerentur. Ne dicam illos qui Astrologorum freti prædictionibus Imperium ambiebant. *Natalium* enim cognitione nititur Ars illa Prædictionis Astrologica. Faciebant scilicet illa ne veri potuerint latere *Natales* cum primum celebritates illæ in eorum honorem *annuæ* à proximis plerunque Successoribus instituerentur, neve aliis quam *veris* Principum *Natalibus* institutæ credantur. Immo in *artem* converterunt id genus Observationes superstitiosi rerum curiosarum indagatores, *eventuum* potius quam *causarum* studiosi. Ita nimirum argumentabantur illi, siquis fuisset dies insigni clade celebris, esse propterea ut in posterum perpetuo caveretur. Inde dies *nefasti*, *Allienses*, *atri*, *Ægyptiaci.* Et quidem antiquissima erat illa Superstitio apud gentes, non barbaras duntaxat, sed cultissimas, *Romanos*, *Athenienses*, *Macedones.* Sic etiam è contra, siqua *Nativitas* insigni aliqua felicitate fuisset illustris, fore etiam ut qui eundem diem *Natalem* habuisset, is simili esset etiam *fælicitate* beandus. Non aliis fere quam id genus Observationibus de *Fastis* nituntur pleræque artes illæ superstitiosæ. Quod si

 suc-

ſucceſſum in *Perſas* parem ſpondebat *Natalis* [a] *Alexandri Imperatoris* quod in eundem incidiſſet diem quo *Alexander M.* exceſſerat è vita; quidni & illi ſperanda eſſet *Alexandri M.* fortuna qui eundem habuiſſet cum eo *Natalem*? Quidni & *Alexandri Imperatoris* felicitatem expectare ille potuerit qui eundem habuiſſet cum *Alexandro Imperatore* Natalem? Et quidem eo magis obſervandi erant *Imperatorum Natales*, quod *nati* fuerint plerique *privati*, quo magis *Natali* quam *majorum* ſtirpi conſecuta dignitas videretur imputanda. His itaque conjectoribus colligendi erant *Principum Natales*, aliorumque qui *Fortunati* cenſerentur, hominum; ita nimirum conſultoribus facilius impoſituris, ſiquis *Regium* habuiſſet aut *Imperatorium Natalem*. Magnam ſane litem fecit Aſtrologis *Natalis Auguſti* in ſigno *Capricorni*.

VIII. Etiam *privatorum* hominum inſignium *Natales* erant notiſſimi.

Ita nimirum faciles erant, ut cognoſcerentur, Principum *Natales*. Addo præterea, ne illos quidem *Natales* fuiſſe, apud *Romanos*, cognitu difficiles qui fuiſſent *privatorum*, ut proinde vel *privatorum* Natalium traditio potuerit facillime conſervari. Jam enim vidimus in more fuiſſe ut *privati* quoque, ſaltem qui non ex ima eſſent plebe, ſuos celebrarent *Natales*. Hac occaſione *conviviis* amicos accipiebant, *libum Genio* & minora *Sacrificia* obtulerunt, & *mero* eundem perfuderunt, veſtibus ipſi *candidis*, & corporis cultu nitidiſſimi, cum mali *ominis* loco haberetur ſeu cultus ſqualor, ſeu quod aliud triſtitiæ, in die Feſto, Argumentum. Hæc itaque efficiebant ut eſſent *Natales*, dum ipſi vi-

[a] *Alex. c. 5.*

verent,

verent, exploratiſſimi. Poſteris vero illos commendabant *Scripta* ingeniorum elegantiorum vivaciſſima. Ut enim *Nuptias* celebres fecerunt *Epithalamiis*, ſic *Natales* Scriptis *Genethliacis* ſeu *Natalitiis*, tam *Poetarum* quam etiam *Oratorum*. *Poetarum* multa habemus dona *Natalitia*. Et *Oratorum* quoque quales fuerint Orationes *Genethliacæ*, deſcripſit [b] *Dionyſius Halicarnaſſæus*. Inde intelligimus de *anni tempore* agi ſolitum, *hyeme* natus fuerit infans, an *vere*, an *æſtate*, an *Autumno*? Etiam de ipſo *die menſis*, cui *Deo* fuiſſet ſacer, quæ *nota* diem deſignabat in receptis *Kalendariis* luculentiſſime. Additum deinde proculdubio ſiquis præterea alius Vir magnus *eundem* habuiſſet cum infante *Natalem*. Inde enim captabant rerum ab infante gerendarum *auguria*. Inde conſentaneum erat ut fuerit etiam *Poetis* & *Oratoribus* ſupellex luculenta *Natalium*, & quidem *Scriptis* conſignata in omne ævum duraturis.

IX. *Inſcriptionibus* Sepulchralibus, celebritatibuſque *perpetuis* conſervari ſolita *Natalitiorum* memoria, etiam *privatorum*.

Scriptis præterea *Natalitiis* accedebat & aliud *Scripti* genus, *Inſcriptionum* nempe *Sepulchralium*. In illis enim non *anni* modo quos vixiſſent, ſed & *menſes* etiam deſignatos videmus, & *dies*. Menſes autem illi & dies à ſupremo, quem celebraverant, *Natali* numeraſſe videntur. Addunt præterea multi & *diem emortualem*, qui facili *ſupputatione* diem *Natalem* dedit accuratiſſime. Et vero diei emortualis memoriam conſervabant *familiæ* poſteri aliquantiſper ſacris *anniverſariis*. Immo *ſtipendiorum* hoc nomine relictorum meminerunt ſæpe *Pandectæ*, ſic etiam

*b* Τέχν. Ῥητορικ.

ut gravi mulcta damnandus esset hæres, in usum *Dei* aut *Communitatis*, ni ea observanda curasset. Diem *octavum*, *nundinarium* scilicet, & primum saltem *anniversarium* observarunt fere omnes; unde etiam fluxit usus commemorationis *octonariæ* & *annuæ*, in sacris quoque *Eucharisticis*, etiam apud *Christianos*. Sed erant & aliæ quoque commemorationes *perpetuæ*. Commemorationes *annuas* habebant *Romani*, non solum *die* cujusque *emortuali*, sed simul omnium præterito anno defunctorum, mense lustrico *Februario*. Sic & *Græci* una eademque *annua* commemoratione omnes conjungebant qui *Bello* obierant, aut publico aliquo *patriæ* commodo vitam impenderant. Immo *Heroum* istiusmodi memoriam coluerunt sacris annuis *perpetuis*. Sic certe cæsorum in prælio *Marathonis* & *Platæensi* memoriam Sacris colebant *perpetuis*, dum florebant, *Græci*. Sic & *diem* quo cecidere trecenti *Fabii* ad *Cremeram* celebritate annua *perpetua* celebratum constat è Fastis [c] *Ovidii*. Ita quidem *Romani* veteres. *Juniorum* & *major* ambitio, & *frequentiores* adeo *annuæ* illæ celebritates. Etiam *perpetuam* Natalis memoriam perpetuis in eam rem dicatis sumptibus, constituit apud *Græcos Epicurus*. Et *perpetuam* filiæ memoriam *Cicero*, & *perpetuam Epiphanis* Hæretici Discipuli Sectæ *Carpocratianæ*; & *perpetuam Caio* & *Lucio* Cæsaribus *Augusti* nepotibus, egregio illo monumento *Pisani*. Ne dicam & alios innumeros qui stipendia perpetuis *Corporibus* legaverunt, hoc ipso fine ut memoriam sempiternam conservarent. Et quidem monumenta illa *Sepulchralia*, pro Reip. *Romanæ* constitutione, erant omnium

c Ovid. *Fast.* II.

viva-

vivacissima. Erant enim in eorum opinione admodum *sacra*, nec facile reperiri potuit tam impius quispiam, & ab omni Religionis sensu destitutus qui vel ausus fuisset illa violare. Et tamen habebant potentissimos vindices, ne facile posset quis quippiam innovare. Tuebantur *hæredes*, impii habendi per Leges Testamentarias, & Testamenti beneficio multandi, siquas aut ipsi intulissent, aut ab aliis illatas, non ulti essent, injurias. Tuebantur & *Pontifices*, quorum injussu ne quidem hæredes illi, quos monumentum sequebatur, poterant, vel donis corrupti, vel pactis irretiti, monumentorum *Scripta* corrumpere. Ita nimirum munita est traditio *dierum emortualium* quæ juncta *annis* vitæ *mensibus* & *diebus*, facili supputatione munivit traditionem *diei Natalis*.

X. *Natalium* memoriam conservavit disciplina veterum de ingenuorum *liberis* in *matriculas* referendis.

Erat præterea & aliud quoque adminiculum conservandorum *Natalium*. Cives enim omnes *ingenuos* describi oportebat in Urbium *matriculis* in quibus *domicilium* habebant Patres. Nempe pro *Græcorum* moribus, die à *Natali* 5°. lustrabatur infans, quam diem à lustrandi cærimonia, nunc Δρομιάμφιον, nunc Αμφιδρόμια, appellabant, & Deo dicabant Αμφιδρόμῳ, si quidem audiendus sit *Æschylus*: 10°. deinde die *nomina* infanti imponebant, quod tamen faciebant nonnulli, teste [d] *Aristotele*, die potius 7°. *Romani* paulo aliter, uno enim eodemque *die lustrico*, & *lustrabant* infantem, & *nomen* etiam imponebant die 9°. si *masculus* fuisset partus, sin *fæmellus*, 8°. Hæc festa [e] *Nominalia* appellabant, & Deæ *Nundinæ*

d Arist. *Hist. Anim.* VII. 12. e Macrob. *Saturn. l.* 16.

sacra-

ſacrabant, unde intelligimus *Romanorum* nundinis reſpondiſſe feſta illa in Nominalibus *maſculorum*: ut proinde fuerit dies à *partu* duntaxat 8. ſi diem partus ipſum excludas; 9. vero ſi ita ſupputatio inſtituatur ut utrumque terminum includat. Sic enim numerari ſolebant *Romanorum nundinæ*. Hæc viri doctiſſimi, noſter [f] *Montacutius* & [g] *Meurſius*. Unde conſtat apud *Græcos* feſtivitate duplici, apud *Romanos*, una ſaltem, inſignem] fuiſſe *Natalem*. Juſſit præterea *Marcus*, (& primus juſſit, ſi noſtrum audiamus vitæ [h] *Marci* Scriptorem qui vulgo *Capitolinus* habetur) apud præfectos Ærarii *Saturni* unumquemque civium natos liberos profiteri intra *triceſimum* diem. Ita factum ut è publicis *Ærarii* Archivis de *Natalis* tempore conſtaret. Id fecit, ni fallor, primo *Marcus*, ut præceperit profeſſionem illam intra *triceſimum* à *Natali* diem eſſe faciendam, quod obſervaſſet parentum arbitrio relictam profeſſionem, dum de die in diem differretur, nonnunquam oblivione penitus fuiſſe prætermiſſam; Atq; inde factum ut infans de ſtatu periclitaretur, dum Archivorum illo teſtimonio careret. Decrevit itaque in poſterum ne *liceret* profeſſionem ultra diem triceſimum prorogare, quocunque demum prætextu. Cum enim facile conſtaret, *recenti* memoria, de *Natalibus* liberorum, facile profeſſionem illam parentes de die in diem proferebant, præſertim ſiqui eſſent faciendi *ſumptus*. *Profeſſionem* illam ſequebatur *deſcriptio*, ſeu ἀπογραφὴ, qua nomen infantis à Præfecto Ærarii *publicis Actis* inſerebatur; ſic enim loquitur noſter in [i] *Gordiani* vita *Capitolinus*. *Acta* enim *publica*

*f* Montac. *Orig. Eccl. Part. prior. n.* 103, 104. *g* Meurſ. *Græc. Fer.* *h Marc. c.* 9. *i Gord. c.* 4.

omnia

omnia appellabant quæcunque à *Notario publico* conficerentur. Nec vero otiosa ſunt in hac *Marci* lege, verba illa, *nomine impoſito*, ut putat *Salmaſius*. Id enim voluit Imperator, diem illum *triceſimum*, non à *Natalibus*, ſed à *Nominalibus*, eſſe numerandum. Sic tamen ſatis manifeſto conſtabat de die *Natali*, cum & *Nominalia* certo à *Natali* intervallo celebrarentur. Sic itaque ex *Actis publicis* Ærærii *Saturni Natales* colligi poterant eorum qui *Romæ* nati eſſent, ut noſter fuit *Hadrianus*. Nec dubium quin etiam in *Provinciis* idem ſit factum à Magiſtratibus *Municipiorum* & *Coloniarum*.

XI. Mos ille liberos ingenuos in *matriculas* referendi antiquiſſimus.

Hoc itaque primus introduxit *Marcus* ut *limitem* deſignaverit infra quem faciendæ illæ eſſent profeſſiones, quas alii ante *Marcum* Principes Parentum ipſorum arbitrio permiſerant. Morem certe ipſum referendi *nomina* liberorum ingenuorum in *Acta publica*, non potuit inchoare *Marcus*, nec potuit *Marco*, tanquam primo Autori, tribuere qui vitam illam ſcripſit Autor. Erat ſub *Auguſto* profeſſio illa celeberrima *Romani* orbis univerſi quo tempore natus eſt Orbis univerſi Salvator. Eam autem conſtat in *Provinciis*, unde ortus eſt Dominus, in *ſua* factum eſſe cujuſque *civitate*. Erant prætereа & aliæ quoque ejuſdem *deſcriptiones* quarum mentionem habemus in Marmore ejuſdem *Ancyrano*. Inde factum ut ad *Acta* illa *publica*, de Domini noſtri *Natali* provocarit S. *Juſtinus* Martyr, qui tamen ſcripſit ante legem *Marci*. Temere nimirum ille, ni etiam ſub *Auguſto* fuiſſent nominum liberorum in *Actis publicis* deſcriptiones. Temere item, ſi etiam ante legem illam *Marci*,

frequentes

frequentes fuiſſent Parentum neglectus. A *ſuis* proculdubio temporibus, quibus neglectus illos rariores noverat, judicium fecit de temporibus *Auguſti*. Nec enim *Acta* vidit ipſe, ſed e diſciplina, quæ tum vigebat, Imperii *Acta* fuiſſe *publica* præſumpſit. Nec aliunde quam ex *Actis* illis *publicis* ætatem *longævorum* deprompſere qui ſcripſerunt de Macrobiis, *Plinius*, *Phlegon Trallianus* atque *Lucianus*. Quod *ætatem* eorum adeo deſignent accurate è tempore *Natalium* in *Actis publicis* explorato collegerunt. Et habent tamen illi exempla non in *Urbe* duntaxat, ſed & in reliquis etiam *Italiæ* Provinciis; nec in *Cæſarum* duntaxat, ſed & *Conſulum*, temporibus. Inde intelligimus tam in *Urbe* quam in *Provinciis*, ſaltem *Italicis*, etiam ante tempora *Auguſti*, Natalium conſervandorum illam viguiſſe diſciplinam. *Poſt* tempora autem *Auguſti* ita Parentum *intererat* liberorum nomina in *Acta* referre, ut proinde non ſit quod ſæpe neglectum ſuſpicemur *Parentum* illud in *liberos* officium. Magna erant ex Edicto *Auguſti*, avideque expetita Jura *trium liberorum*, in cauſis *Teſtamentariis* & in immunitate à *tutelis* aliiſque munerum oneribus. Nec vero accipiebantur in cenſum *liberi* alii præterquam *ingenui*, nec enim alios habebat in *poteſtate* pater. Imo nec alii *Matri* proderant. Proinde utriuſque parentis *intererat* de liberorum *ingenuitate* firmiſſima habere Teſtimonia, quæ tamen nulla firmiora eſſe poterant quam *Actorum publicorum*. Itaque parentes minus alioqui, quam ſolent parentes, officioſos, ſua tamen cauſa oportebat, liberorum ſtatui per profeſſionem proſpicere. Ne dicam & alia *parentum* commoda per liberorum in poteſtate poſitorum *peculia* & *hæreditates*. Poterant

terant esse fortasse parentes nonnulli non *officii* modo sui, verumetiam *commodi* negligentes. *Multi* tamen esse vix poterant. Nec proinde verisimile est *multos* fuisse liberos quorum nomina non fuissent in *matriculam* Civitatis relata.

XII. Eandem *Natalium* conservationem postulabant multæ in *Jure* disceptationes.

Nec vero *nomina* duntaxat ingenuorum necesse erat ut in matriculam referrentur, sed & *ætas*, & *dies* ipse *Natalis*. Multæ enim à *Natalis* cognitione pendebant gravissimæ *Juris* disceptationes. Inde nimirum cognoscendum erat cum excedere oporteret ex officio *Tutoris*, & succedere in eorum locum *Curatores*; pupilli nimirum anno XIV. Inde etiam cum & *Curatoribus* liberandus esset hæres, anno XXV°. Inde & de aliis omnibus hæredis *pactis* aut *fidejussionibus*. Restituendus enim erat *in integrum* si annum prædictum ætatis XXV^m. nondum attigisset. Inde etiam cum & *munia* illum obire oporteret, & cum *immunitatem*, aut *honestam* impetrare licuit è castris *missionem*. Inde cum in ordinem *equestrem* adscribi per Leges permitteretur, aut etiam *Senatorium*. Inde cum *Tribunus* fieri posset, aut *Quæstor*, aut *Ædilis Curulis*, aut *Prætor*, aut *Consul*. De his enim omnibus *Leges* erant *Annariæ*. Sed satis erat (inquietis) rudis aliqua atque minime accurata *ætatis* cognitio, quæ haberi sine *matricula* poterat. Imo non satis erat. Certum erat apud *Romanos* diei initium à *media nocte*, & certum item *anni* initium, pro Lege *Annaria*, à *Natali*. De *diei* initio testes habemus *Plutarchum*, *Gellium*, *Censorinum* & *Macrobium*, & in Digestis etiam *Jurisconsultos*. De *anni* etiam initio exemplum initio superioris Prælectionis assignavimus, quo *Natalem*

*Hadriani*

*Hadriani* ſequenti *anno* accenſendum oſtendimus. Idem & in aliis quoque id genus *numeris* obſervari poterit. In honoribus certe annum [k] *cœptum* pro *pleno* habendum ſcribit *Ulpianus*. Et vero ut longe *certior*, ſic & *æquior*, erat probatio illa à monumentis *publicis*, quam alia illa quæ à *domeſticis* erat privatiſque Amicorum petenda Teſtimoniis. Studiis hæc partium iniquis erat obnoxia in neceſſitatibus domeſticis; illa alienior ab omni partium ſtudio, ſeu odio ſeu favore. Itaque cum *Romæ* natus fuerit *Hadrianus*, poterat *Spartianus* vel è *civitatis Matriculâ*, *Actiſque publicis*, ejus *Natalem* eruere. Hæc potuit ſi *privatus* fuiſſet duntaxat *Hadrianus*. Sed cum *Divus* fuerit, *Natalem* ejus adhuc illuſtriorem fecit *cultus* ille in æde *Divorum* omnium, *Inſcriptioneſque* in mole *Hadriani*, ut nulli fuiſſent alioqui Hiſtorici qui *Natalem* ejus ſcriptis, in uſum poſterorum, tradidiſſent. Nulla itaque eſt ratio cur de *Natalium* certitudine dubitemus.

His porro *matriculis* & *tabulis cenſualibus* debemus *ſtemmata* virorum illuſtrium, quas quidem *tabulas* ſumma cura obſervari ſolitas, obſervavit *Caſaubonus*.

k *Dig.* L. L. 4. 8.

# *Prælectio* III. *ad Spartian.* Hadrian.

APRIL. 26. 1689.

## *Ut* Romæ *natus, & Civis tamen* Italicensis, *fuerit* Hadrianus.

Romæ *Nasci potuit, &* Cives *esse* Romanus, Hadrianus, *qui tamen idem* Civis *fuerit* Italicensis. §. I. *Vetustior* Hadriani *Civitas* Adria *jam diu ante* Hadrianum *Civitate* Romana *donata est.* §. II. *De Jure* Coloniæ *&* Muncipii. §. III. *Italis* Colonis *concessa Civitas* Romana *cum Jure* Suffragii. §. IV. *Patria* nativa *censeri solebant veteres potius quam* adscititia. §. V. *Cur* Syri *nomen aversatus fuerit* Alexander Severus. §. VI. *A Patria illa* nativa *Nobilitatem censebant veteres, & a gestis in Urbe* Romana *majorum* honoribus. §. VII. *Male* Hadrianum *veteres nonnulli pro* externo *habebant.* §. VIII.

Spart. *Adrian. c.* 1.

I. *Romæ* nasci potuit, & *Civis* esse *Romanus*, *Hadrianus*, qui tamen idem fuerit *Civis Italicensis.*

NAtus est *Romæ*] Ita noster. Et tamen originem *Hadriani* vetustiorem à *Piceni Adria*, posteriorem ab *Hispaniensium Italica* idem paulo antea deduxerat *Spartianus.* Et quidem natum *Italicæ* tradit *Eutropius.* Sed rectius proculdubio *Spartianus*, qui non *Marium* modo *Maximum*, sed Libros de vita sua ipsius viderat *Hadriani*, in quibus *Patriam* ab eo prætermissam

miſſam fuiſſe nullatenus veriſimile eſt. Hæc ita conciliat *Caſaubonus*, ut *parentes Hadriani domicilium Italicæ habuerint, Romam autem non aliter quam rationibus ipſorum id poſtulantibus commearint.* Verum illa ſcripſit parum enucleate vir alioqui longe doctiſſimus. Quaſi vero non multas habere civitates unus idemque potuerit *Hadrianus*, aut *Romæ* natus non idem tamen eſſe potuerit *Italicenſis*. Erat tamen hoc in *Athletis* & *Sophiſtis* longe frequentiſſimum, ut plurimis fuerint aſcripti *civitatibus*, eorumque juribus fruerentur. Satis hoc ab aliis obſervatum eſt qui Commentarios in Inſcriptiones *Arundelianas* elucubrarunt, & ab *Octavio* [a] *Falconerio*, in Inſcriptiones *Athleticas*, & *Joanne* [b] *Jonſio* de Scriptoribus *Hiſtoriæ Philoſophicæ*, viris longe eruditiſſimis, ut nobis proinde exempla colligere ſit plane ſupervacaneum. Aut quaſi qui diverſis fuiſſet aſcriptus *civitatibus*, non idem poſſit in illis diverſa etiam habere *domicilia*. Imo cauſam illam ipſam memorant *Romani Juriſconſulti* illius qui diverſis in *Urbibus* diverſa etiam habuiſſet *domicilia*, & præcipiunt illi diverſarum etiam, in quibus domicilia haberet, Urbium *munia* obeunda. Aut quaſi denique honores *Romæ* gerere potuiſſet civis *Italicenſis*, qui idem civis non fuiſſet etiam *Romanus*. Satis illa *Caſaubonum* monere poterant, qui *Romæ Quæſtor* erat, qui curavit *Acta Senatus*, qui *Tribunus* erat *Plebis*, qui *Prætor* & *Conſul*, neceſſario *Civem* fuiſſe *Romanum*, cum tamen nullum legamus Principem qui *Civitatis* jure ipſum donarit *Hadrianum*. Habuit itaque à *majoribus* tam jus Civitatis *Romanæ* quam habuit etiam municipii *Italicenſis*. Imo *Maryllinum* Hadriani atavum *primum* e fami-

*a* Falcon. *in Inſcri.* 2. *b* Ionſ. *L.* 1. *c.* 2.

lia

lia dixerat *Spartianus* Senatorem Populi fuiſſe *Romani*.

II. Vetuſtior *Hadriani* Civitas *Adria* jam diu ante *Hadrianum* civitate *Romana* donata eſt.

*Avita* itaque Civitatis *Romanæ* jura, non aſcititia aut ſecum nata habuit *Hadrianus*. Quare ita *Italicenſis* dicendus non eſt quin idem recte etiam dici potuerit, fueritque, *Romanus*. Quod ſi *Italicæ* naſci potuerit civis *Romanus*, cur quæſo *Romæ* naſci non potuit qui tamen fuerit municeps *Italicenſis*? Tam hæc invicem non pugnant, ut non fuerit utrumq; veriſſimum, qui municeps erat *Italicæ*, eundem etiam civem fuiſſe *Romanum*. Cum duæ eſſent in *Italia* Adriæ, Piceni alia, alia Veneta; *Piceni* tamen erat *Adria* illa, non *Venetorum*, unde ortum duxit *Hadrianus*. Id verbis diſertiſſimis agnoſcit *Victor* Epitomator: *Ælio* (inquit) *Adriano Trajani Principis conſobrino Adriæ orto genitus, quod oppidum agri Piceni etiam mari Adriatico nomen dedit*. Confirmatque *Spartianus*, dum originem *Hadriani* vetuſtiorem deducit à *Picentibus*. [c] *Picenos* autem illis accenſent Autores qui in Bello *Sociali*, quod & *Marſicum* appellant & *Italicum*, partium erant à *Romanis* adverſarum. Cœpit Bellum illud anno V.C. *Varroniano* DCLXIII°. tandem ſopitum receptis primo in *Civitatem* illis qui *Romanis* fidem ſervaverant, poſtea etiam ipſis illis rebellibus. Sed duo erant pacis illius gradus. [d] Primus nimirum qui illos non in tribus *Veteres* XXXV. admitteret, ſed ut *novas* tribus VIII. per ſe ipſi conſtituerent. Sic enim factum ut in Comitiis *tributis* potiorem partem ſemper obtinerent cives *veteres*, quod factum *Strabone* & *Catone*

[c] Flor. *III*. 18. [d] Sigon. *de antiq. jur.* Ital. *L. III. c.* 1.

COSS. anno V.C. DCLXV. Hoc cum *novis* civibus minus gratum eſset, ſecundus deinde gradus factus eſt ut novæ tribus per *veteres* diſtribuerentur, unde factum ut veterum quoque tribuum ſuffragia multitudine ſua *novæ* tribus nonnunquam vincerent. Cum ſcilicet plurium *tribulium* ſuffragia potiora haberentur in *Tribu*, & plurium item *Tribuum* in *Comitiis Tributis*. Obtinuit id circa annum DCLXX. viz. ante Natalem *Hadriani* annum circa CLIX. Tunc potuit *Senator* eſse *atavus* Hadriani *Marullinus*, non certe *avus*, ut habent receptæ *Editiones*. Sed vel inde conſtat melius habere Editiones *veteres* in quibus & *Venetam Egnatii*, & Codicem etiam *Palatinum* & *Robertum Bononienſem*, qui *atavum* Hadriani, non *avum*, illum faciunt *Marullinum*. Ita factum ut qui civis fuiſſet *Adriæ*, eundem etiam agnoſcerent pro cive *Romani*; ſic etiam ut locum habere potuerit in *Senatu*, ne reliquos negatos ei ſuſpicemur honores *Urbanos*.

III. De Jure *Coloniæ* & *Muncipii.*

Atque ita fortaſſe intelligemus quod neſcio an ipſe intellexerit, qui primus explicare conatus eſt, [e] *Aulus Gellius*, diſcrimen ſcilicet inter *muncipium* & *coloniam*. Oſtendit ille potiori loco fuiſſe *muncipia*, & in eo fuiſſe potiora quod *propriis* viverent *legibus*, cum legibus *Romanis* conſtringerentur *coloniæ Romanæ*. Recte nimirum illa procedit Argumentatio ſi & reliqua paria utrobique ſupponantur. Alioqui non procedit. Id vero ut factum ſit nondum explicuit *Gellius*, quod tamen è noſtro, ni fallor, intelligemus exemplo. Cum primum novam illam urbem vulneratis ſuis con-

e Gell. *Noct. Att. XVI.* 13.

deret *Scipio*, *Italicam* illam ex eorum patria, non *Romanam*, appellavit. Inde intelligimus milites illos non *legionarios* fuiſſe, ſed *auxiliares*, ex eadem illa nimirum Italia quæ jam delectum præbuit, nondum ſcilicet civitatem adepta *Romanam*, quæ poſtea Bellum *ſociale* geſſit in *Romanos*, quod & *Italici* nomen ab ipſis illis *Italis* accepit. *Italiam* vero illi potius quam *unam* aliquam Italiæ *urbem* propterea patriam agnoſcebant, quod ex urbibus *variis* delecti, unam propterea *Italiæ* urbem ne quidem potuerint Metropolim agnoſcere. Inde factum ut (cum è multis *Italiæ* Urbibus confluxiſſent novi illi Italicæ *Hiſpanienſes* coloni, cognomen à ſua *urbe* duxerint, ut à colonis reliquis diſtinguerentur, majores *Hadriani*. Hoc ipſo certe *gentili* nomine ab urbe *Adria* ducto, uſus eſt *Latinæ* Linguæ Auctor maximus *Varro*. Et alia quoque exempla habemus multa *Urbium gentiumque* in *cognomina* tranſeuntium cum Civitatis *Romanæ* jura adepti eſſent Urbium Gentiumque *incolæ*. Ita cognominatos legimus, *Afros*, *Marſos*, *Sabinos*; imo hac ipſa forma, *Sabinianos* atque *Pelignianos*. Suntque iſtiuſmodi exempla in adſcriptitiis præſertim illis *Italiæ* civibus frequentiſſima. Erat nimirum in more, in *privatis* etiam *Adoptionibus*, ut quoties ex una *familia* in aliam adſciſceretur filius *adoptitius*, prioris tamen unde oriundus fuerat familiæ memoriam *cognomine* ſaltem *gentili* retineret. Et quidem eadem illa, de qua agimus *forma*, etiam *Grammatica*. Sic *Fabianos* legimus, *Æmilianos*, *Domitianos*, *Claudianos*, *Scribonianos*, *Aurelianos*, è *gentibus* nimirum *Fabia*, *Æmilia*, *Domitia*, *Claudia*, *Scribonia*, *Aurelia*, alioſque ad eandem formam infinitos. Id cum in migrationibus è *familia* una in aliam familiam fa-

ctum videamus; cur etiam observatum miremur quoties è *gente* una & *civitate* in aliam migraretur *gentem* atque *Civitatem*? Itaque *Italiæ* erant coloni illi *Italicenses*, urbis *Romanæ* non *cives*, sed *socii*, nec *legibus* proinde *Romanis*, sed *Italorum* propriis obnoxii. Postea civitatem *Romanam* adeptæ sunt Urbes illorum *Metropolitanæ*, *Italiæ* scilicet illius unde ipsi ortum duxerant, quæ non modo *Latio* opponeretur, verumetiam *Galliæ Cis-Alpinæ*. Et jure *coloniarum* participes facti sunt earundem gratiarum *Italis* (si ita loqui liceat) *Italicis* concessarum *Itali* quoque illi *Hispanienses*. Licebat itaque illis jam *Romæ* domicilia possidere, cum antea *Urbe* pellerentur *Itali* non *cives*. Licebat & *suffragia* ferre, si adessent; & accipere, & *honores* Urbi proprios ambire, qualis erat ille certe, quem consecutum legimus *Marullinum*, *Senatorius*. Ideo populi *Romani Senator* factus dicitur, quod *novus* ille esset, & quasi *alienus* honor in cive *Italicensi*. Non quod nomen *Senatoris* decurionibus muncipiorum fuerit attributum, (recentiorem enim existimo urbis *Senatoriæ* in *Vienna* appellationem ætate *Spartiani*, siqua tamen unquam fuerit in Scriptis genuinis minimeque suspectis) sed quod *muncipiorum* illi de *Curia* nuncupati *decuriones* eodem fungerentur officio quo functi sunt in Urbe *Romana Senatores*.

IV. Italis *Colonis* concessa civitas *Romana* cum Jure *Suffragii*.

Sed *pauci* erant admissorum in Urbem *Italorum* qui his juribus frui possent quod *multi* domo abesse non potuerint, nec pateretur *trinundini* spatium, legibus ferendis constitutum, ut multi *Romam* possent appellere. Ita factum ut res plerasque leviores suffragiis *Italorum* ne quidem expectatis deciderent cives *Urbani*. Occurrit

currit huic difficultati Augustus, *Italosque jure ac dignatione Urbi quodammodo* (inquit [f] *Suetonius) pro parte aliqua adæquavit, excogitato genere suffragiorum, quæ de Magistratibus Urbicis decuriones colonici in sua quique colonia ferrent, & sub diem comitiorum obsignata Romam mitterent.* Erat itaque *Italica* Urbium *Italicarum*, in quibus erat *Hadriani* patria vetustior *Adria*, *colonia* verè proprieque sic dicta; Urbis *Romanæ colonia* dici non poterat quæ diu *antea* deducta fuerit quam *Urbis* jura fuisset consecuta. Sed illæ Urbes *Metropolitanæ* Italiæ *antiquæ* coloniæ dici poterant quod in Urbem *receptæ*, potius quam ex eadem *emissæ* viderentur. Inde factum ut leges antiquiores *proprias* conservarint. Nec enim illis derogabant jura illa nova ascititia Urbis *Romanæ*. Non itaque à propriis Curiæ suæ muneribus *municipiorum* nomen id genus Urbibus attributum est, quas Romani *municipia* potius quam *Colonias* appellabant, sed quod fierent *muneris* cum populo *Romano* honorarii participes, à *quo munere* (inquit *Gellius*) *capessendo appellati videntur. Coloniarum* ait *aliam esse necessitudinem: nec enim illas venire extrinsecus in civitatem*, (ut veniebant aliarum gentium in jura Civitatis admissarum coloniæ, qualis nostri *Hadriani* patria erat Italica) *nec suis niti radicibus* (ut nitebantur gentium illarum urbes Metropolitanæ) *sed ex civitate propagatas, & jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii, habere*, inde nimirum, quod *stripem* etiam haberent ex origine *Romanam*. Videmus itaque ut *Urbis* Civitatisque nomen, florente Imperio *Romano*, de Urbe alia quam *Romana* usurpari non solebat;

f Suet. *Octav. c.* 46.

ſic & *Coloniæ* nomen de aliis non uſurpatum quam de *Urbis Romanæ* Coloniis; alias tamen Urbes in *Romanæ Urbis* munera admiſſas, *municipia* rectius illos appellaſſe quam *Colonias*.

V. Patriâ *nativâ* cenſeri ſolebant veteres potius quam *adſcititiâ*.

Cum quis autem *plurium* Civitatum jura haberet, potior tamen illa viſa eſt ex qua *ortum* duxiſſet, & *ſtirpem* familiæ. Sic enim invicem diſtinguunt *nativæ* Civitatis jura à juribus civitatum *aſcititiarum*. Ἀρίσταρχον Ἀλεξανδρέα θέσει, φύσει *Samothracem* dicit fuiſſe [g] Suidas. *Poſidonium Apameenſem*, νόμῳ *Rhodium*, [h] Lucianus. *Simmiam Rhodium*, ἐξ ἀρχῆς *Samium*, rurſus [i] Suidas. Idem [k] *Dionyſium Alexandrinum* ait *Thracem* tamen à *Patre* fuiſſe *Tero*. Sic & *Epigonum* [l] Athenæus φύσει *Ambraciotam*, δημοποίητον vero indigitat *Sicyonium*, quem γένει [m] Pollux *Ambraciotam*, τιμῇ *Sicyonium* cenſet. Sic de ſupradicto *Poſidonio* [n] Strabo: ἐπολιτεύσατο μὲν ἐν Ῥόδῳ καὶ ἐσοφίστευσεν· ἦν δὲ Ἀπαμεὺς ἐκ τῆς Συρίας. Sed vero quoties *civitatem* ſimpliciter denotant Autores, non θέσεως illam, non νόμου, non τιμῆς, non πολιτείας, non δημοποίητον indicant; ſed φύσεως, ſed γένους, ſed illam potius quæ fuerat ἐξ ἀρχῆς. Sic *Apollonium Ægyptium* nuncupat [o] Theophilus Antiochenus, *Poſidonium Apameenſem* [p] Lucianus, [q] Athenæus, [r] Proclus, *Theodorum Rhetorem Gadaræum* [s] Quintilianus. Imo id plerunque reprehendunt, & pro δυσγενείας confeſſione habent ſi quis ab alia quam ſtirpis Civitate appellationem affectaſſet. Id ſcilicet no-

*g* Suid. Ἀρίσταρχος. *h* Lucian. *Macrob.* *i* Suid. Σιμμ. *k* Suid. Διονυ. *l* Athen. *Deipnoſ. V.* 25. *m* Poll. *Onom. IV.* 9. 2. *n* Strab. *Geogr. XIV.* *o* Theoph. *Ant. L. III. ad Autolyc.* *p* Lucian. *Macrob.* *q* Athen. *Deipn. VI.* 13. *r* Procl. *Comm.* 3. *ad l.* 1. *Euclid.* *ſ* Quintil. *Inſt. III.* 1.

tat

tat in *Theodoro* Rhetore *Gadaræo* Quintilianus, quod *ſe dici maluerit Rhodium.* Id in *Apione* Judæorum hoſte infenſiſſimo [t] Joſephus, quod, cum eſſet *Oaſi*, *Ægyptia* civitate, oriundus, *veram tamen patriam abjurarit & genus*, & ſe *Alexandrinum* potius mentitus fuerit, quo facto illum confeſſum dicit μοχθηρίαν τοῦ γένους, ſeu *generis pravitatem.* Quod cum *patria* & *genus* abjuraſſe dicit *Apionem*, & quod *generis pravitatem* inde colligat ab eo agnitam; facile inde intelligimus à *generis* patria fuiſſe denominandum. Vix enim eſt alioqui quod dubitemus, quin qui *legationem* publicam *Alexandrinorum* nomine obierit ad *Caium*, is πολιτείαν etiam fuerit conſecutus *Alexandrinam*; nec in eo mentitum eſſe *Apionem*, quod ſe civem *Alexandrinum* profeſſus ſit. Erant enim *Legationes* illæ inter municipiorum *munera* quæ non ab aliis præterquam *municipibus* eſſent obeunda, ut diſcimus è *Pandectis.* Id tamen duxit dignum reprehenſione *Joſephus*, quod maluerit *Apion* à civitate *honoraria*, quam *natali* cognominari. Id denique optimo alioqui Imperatori [v] *Alexandro Severo* exprobratum quod *Syrus* eſſe nolebat.

VI. Cur *Syri* nomen averſatus fuerit *Alexander Severus.*

Erat tamen cur *Syri* nomen præ aliis *gentium* à *Romanis* diverſarum etiam *nominibus* averſaretur alieniſſimus à faſtu Imperatorio Princeps. Servis nulla erant apud Romanos *familiarum* nomina gentilitia, ſed vel ab *oppidis* Patronis, vel *municipiis*, vel *ſocietatibus* aut *fanis* quibus ſerviebant, teſte [x] *Varrone*, ſi quidem ſervi fuiſſent *publici*; vel à *Dominorum* etiam privatorum *pla-*

*t* Joſeph. *c. App. L. II.* *u Vit.* Alex. *c.* 28. 64. *x* Var. *L. L. lib. VII. p.* 100. *VIII.* 112.

*citis*;

*citis*; vel à *gente* ipſa unde ſervi fuerant oriundi. Frequentiſſima legimus in hoc poſtremo genere nomina ſervorum, *Syros*, *Davos*, *Getas*, *Sardos*, *Lyciſcos*, vix tamen aliud frequentius quam *Syrorum*. Non quod frequentiora fuerint cum Syris *Bella* quam cum aliis gentibus finitimis, quæ *mancipia* bello capta frequentiora ſuppeditarint; ſed propter *ſervile* potius illud, & Regibus addictum ingenium quod in *Syris*, gentibuſque Orientalibus fere omnibus,. reprehendunt Veteres. Tum enim *Regum* nomen *libertati* infenſum credebant veteres tam *Græci* quam etiam *Romani*. Et *Jus* etiam *Regium*, pro eorundem Scriptorum ſententia, idem fere erat cum *herili*. Nec illud ſane immerito, ſi ex *Orientalium Regum* jure de *Jure Regio* ſtatuendum ſit. Plane *herile* Jus illud *Regium* eſt à *Moſe*, pro *Orientalium* Regum more, deſcriptum. Idemque valent in veteris Imſtrumenti ſermone *Rex* & *Dominus*, *Subditus* & *Servus*. Jus enim *Regium* è Jure *herili* ortum exiſtimo. Ita factum ut ne quidem *Natalium* honeſtatem ſonare videretur, etiam in *ingenuis*, nomen illud *Syri*. Proinde mirum non eſt, ſi *mali* etiam *ominis* appellationem vitarit prudentiſſimus Imperator. Dandum nimirum erat hoc etiam alienis opinionibus, etiam receptis temporum ſuperſtitionibus, utcunque fuiſſet ipſe tam à *ſuperſtitione*, quam à *faſtu*, alieniſſimus. *Decuriis* certe & *ordinibus* boni omnis nomina præficere ſolebat ſuperſtitio Romana, *Fauſtos*, *Felices*, *Fortunatos*, *Victores*. Milites nimirum iſtiuſmodi boni auſpicii *nominibus* appellavit. Quanto magis hoc in *Imperatore* obſervandum erat à quo *Reip.* caperentur *auguria*. Verum hæc obiter dicta ſufficiant, ut principum

Optimum

Optimum ab Hiſtoricorum reprehenſione vindicarem.

VII. A Patria illa *Nativa* Nobilitatem cenſebant veteres, & à geſtis in Urbe *Romana* majorum *honoribus.*

Ut itaque *Romæ* natus fuerit *Hadrianus*, γένες tamen & φύσεως patria ea erat unde *ſtripem* duxit, vetuſtior *Adria*, poſterior *Italica.* Sed vero à *patria ſtripis* & *familiæ* de ſanguinis *nobilitate* judicatum eſt. *Datæ* enim Civitates *honorariæ* erant plerunque *recentiores*, & nonnunquam propriæ *perſonarum.* Ut itaque, *florente* Romano Imperio, *Civitas* ipſa *Romana* omnium erat nobiliſſima; ſic & illi quoque in ea Civitate nobiliſſimi habebantur qui ſtirpem in ea *civitate* haberent antiquiſſimam. Sic itaque Marcum *haud dubie nobiliſſimum* pronunciat *Eutropius*, quod originem paternam haberet à *Numâ Pompilio*, maternam à *Salentino* Rege *Malennio Daſumii* filio, noſtro teſte *Spartiano.* Erat itaque hoc capite *Marcus* longe nobilior *Hadriano*, quanquam neuter eſſet origine *Romanus.* Erat enim & *Numa* oriundus è *Sabinis.* Sed diu antea admiſſi in Urbem ſunt *Sabini*, regnante *Romulo*, quam *Itali* majores *Hadriani*, quos bello tandem *Sociali* Civitatis participes factos eſſe diximus. Erat præterea & alia nobilitas familiæ à geſtis in Rep. *honoribus.* Diſtinguit enim *Eutropius* in *Trajano*, ut *antiqua* magis fuerit ejus familia quam *clara*, quod *Patrem* habuerit *primum* è familia *Conſulem.* Erat itaque ea *familia* clarior quæ *antiquiores* ediderat *Conſules*, ſi fuiſſet *Conſularis*; aut *Prætores*, ſi duntaxat *Prætoria.* Inferiorum enim *Quæſtorum* aut *Tribunorum*, aut *Ædilium* etiam *Curulium* rationem in *familiæ* nobilitate cenſenda vix ullam habebant, ni-

ſi

ſi qua *viam* ſternebant ad honores *majores*. Augebat *familiæ* dignitatem, ſi aut *Dictatores* habuiſſet aut *Conſules* qui *Conſulatus* geſſiſſent frequentiores, aut triumphales. Cum enim e Conſularibus præcipue & *Prætoriis* conſtaret *Senatus*, præter *Senatores pedaneos*; inter *Conſulares* tamen eo quiſq; capiebat priorem in *Senatu* locum quo geſſerat honorem illum *frequentius*. Et quidem in *atriis*, ubi majorum erant *imagines*, facile apparebat familiæ nobilitas, ſi *longo* cenſerentur, ut loquitur Juvenalis, *ordine*; illud *Antiquitatis* Argumentum erat, quo nempe plures effluxiſſent à primo familiæ conditore generationes. Habebant etiam *Imagines* inſignia geſtorum à familia honorum, & inſignia etiam triumphalia. Hæc ad *familiæ* claritatem maxime faciebant, ut quanquam *Senatores* omnes *Clariſſimi* cenſerentur, *Clariores* tamen eſſent familiæ illæ quæ *rebus* geſtis & *honoribus* fuiſſent inſigniores, utcunque minus *Antiquitate* commendabiles. Sic itaque de genere *Hadriani* judicandum erit. Qua *Italus*, cedebat iis qui jam antea cives erant Romani quam *Italos Romani* in Civium cenſum recepiſſent. Qua *atavum* primum è Familia *COS*. habebat, cedebat *iis* qui Majores jam antea habuiſsent *Conſulares*, ne dicam *Dictatorios* atque *triumphales*.

VIII. Male *Hadrianum* veteres nonnulli pro *externo* habebant.

Sed male tamen illum *advenis* accenſet *Victor* Epitomator, imo ne quidem *Italis*. * Sic enim ille poſt mortem Diocletiani: *Hactenus* (inquit) *Romæ, ſeu per Italiam orti Imperium rexere: hinc advenæ. Unde compertum eſt Urbem Romam externorum virtute creviſſe.* Quæ ille fere ex alio exſcripſit *Victore* qui ſcripſit de *Cæſaribus*. Et nomine *externorum* tres deinde ſecutos Princi-

pes

pes complexus eſt, *Nervam, Trajanum, Hadrianum.* Recte quidem ille aliquatenus, ſi de *natis* in *urbe Romana*, aut *Italia* intellexiſſet, & nomine *externorum* illos deſignaſſet qui nec in *Urbe* nati fuiſſent, nec etiam in *Italia.* Sed *externi* non erant in *Legibus Romanorum* qui in aliis locis *nati* eſſent, è *ſtirpe* tamen *Romana* aut *Italica.* Hi certe *Cives* erant, nec Prætori *Peregrinorum*, ſed Prætori *Urbano*, obnoxii in *libera* quoque *Rep.* & *Romanos* etiam *honores* externis negatos capiebant. Et fuit *Hadrianus*, ut vidimus, *ſtirpe* etiam avita *Italus*, & qua *Italus*, à bello *ſociali* , *Romanus.* Stirpe itaque fuit *Romana.* Sed & in *Urbe* ipſa Romana *natus*, noſtro teſte *Spartiano.* Fefellit tamen utrumque *Victorem* patria ejus *Italicenſis.* Cum enim *Italicenſem* illum in Autoribus dictum reperiſſent; id illi ita capiebant quaſi in *municipio* ipſo *Italicenſi* fuiſſet *natus*, quo etiam eodem errore lapſus eſt *Eutropius.* Imo confundit omnia hoc in loco *Victor* Epitomator. Forma vocis *Italicæ* in *Urbium* nominibus minus uſitata ſic illum fefellit, ut ne quidem vocem *ſubſtantivam* intellexerit quæ cum forma illa *adjectiva* ſubintelligeretur. Nec enim de *colonia* ille intellexit, ſed de *ſtirpe* duntaxat *Italica. Stirpem* rurſus *Italicam* ille à patre *Ælio Adriano* Adriæ *orto* deduxit. Quaſi nimirum *Adriæ*, non *Italicæ* natus fuiſſet pater ille *Hadriani* Principis *Ælius Hadrianus.* Sed *majores* ſuos *Adria ortos Scipionum temporibus Italicæ reſediſſe* in libris vitæ ſuæ dixerat ipſe teſtis certiſſimus Imperator *Hadrianus*, ut e noſtro diſcimus *Spartiano.* Patrem itaque *Adriæ* natum non omnino veriſimile eſt, quod tamen ipſi dicendum

erat

erat qui *coloniam* quidem nullam, ſed *ſtirpem* Hadriani duntaxat, noverat *Italicam.* Utcunque tamen, *ſtirpe* licet *Italica,* alibi tamen quam in *Italia* natum, minus illi *nobilem* cenſuiſſe videntur, quam qui ex eadem *ſtirpe* in ipſa etiam *natus* fuiſſet *Italia.*

---

---

Præle-

# *Prælectio* IV. *ad Spart.* Hadrian.

MAII. 3°. 1689.

## *De* Temporibus Trajani *cum* Hadriani ætate *nectendis*, *& gravibus aliquot de* Trajano *Dionis* erroribus.

*Ætas* Trajani. §. I. *De ætate* Trajani *in* Decebalum *moventis refellitur* Dio. §. II. *Vere* Trajanus *in* Decebalum XLIIdo. Ætatis *anno mitti potuit. Sed Imperante* Domitiano. §. III. *Titulum tamen* Imperatorium *novum, occasione Expeditionis* Parthicæ,*nullum accepit* Domitianus. §. IV. Trajani *ortus* antiquior *probatur ex Auctoribus* Dione *ipso antiquioribus*. §. V. *Erravit* Dion, *cum* Trajanum *crederet nec* Italum *fuisse, nec* Italiotam. §. VI. *Erravit præterea, quod titulum* OPTIMI, *non nisi victa demum* Armenia, Trajano *attributum existimarit*. §. VII. *Erravit quod* Trajanum primo *statim Imperii initio* Romam *venisse crediderit, & movisse in* Decebalum. §. VIII. *Malignum aliquem Auctorem in* Trajani *memoriam secutus est* Dio, *qui* Provincias *à* Trajano *victas ne quidem* teneri *potuisse finxerat, in gratiam* Hadriani. §. IX. Malignitatis *illius exempla in elevandis* Trajani *victoriis*. §. X. *Res gestæ* Trajani *a coævis Scriptoribus depressæ plerunque in gratiam* Hadriani. §. XI. *In rebus* Trajani *non adeo dignus fide, quam alibi*, Dion. §. XII. *Cur duos* Hadrianus *habuerit* Tutores. §. XIII.

Pergit *Spartianus. Cap.* I.

I. Ætas *Trajani.*

*AC decimo ætatis anno patre orbatus, Ulpium Trajanum Prætorium virum consobrinum suum, qui postea Imperium tenuit,* &

*& Cœlium Tatianum Equitem Romanum, Tutores habuit.*] Decimus ætatis annus *Hadriano*, quoad maximam ejus partem, in annum Æræ *Vulg.* incidit LXXXV^m^. Proximi enim anni dies habuit duntaxat paucos ad *Januarii* XXIV^m^. Eo itaque anno *Patre* orbatus eſt, & *Tutores* modo dictos nactus fuerit *Hadrianus*. Jam ait *Prætorium* virum fuiſſe *Trajanum*. Ex quo intelligimus jam *Prætura functum*, & officio exceſſiſſe. Recte nimirum. Jam enim antea eum ipſum Ætatis annum attigerat *Trajanus*, quo potuit *Præturam* conſequi, & *geſſiſſe* etiam, per Leges *Annarias*. Ætatem *Trajani* ita colligimus. Mortuus eſt eo ipſo *die* quem *Natalem Imperii* celebravit *Hadrianus*, viz. *Auguſti* XI°, ut è noſtro diſcimus *Spartiano*. Vixit autem, ſecundum eos qui paulo accuratius tempora ejus deſignarunt, annos LXIII. menſes IX, dies IV. *Eutropius* ei tribuit annos duntaxat LXII. menſes VI. dies IV. Sed in illo etiam menſes IX, alios habere Codices, teſtem habemus *Scaligerum*, num. *Euſebian.* 2132. In *menſibus* quidem & *diebus* conveniet ita *Eutropius* cum *Euſebio*. In numero *annorum* non item. *Annos* enim tribuit LXIII. *Euſebius* in *Chronico*, & ex *Euſebio* magis, quam ſolet, accurate *Caſſiodorus*. Et quidem majorem illum *annorum* numerum confirmant *Victor* Epitomator & *Proſper*, *Euſebianis* temporibus proximi. *Victor* ita, ut dicat illum vixiſſe annos LXIV. *Proſper* autem ita, ut mortuum dicat *anno* Ætatis LXIV°. Uterque numero *rotundo*, non ſolicitus de *minutiis*. Natalem autem *genituræ* quo *natus* eſt *Trajanus*, conſervavit nobis præſtantiſſimus ille Catalogus *Natalium* à *Bucherio* editus cum annexo, ætate *Conſtantii*, *Kalendario* XIV^m^. Kalend. *Octobris*, quod quidem Kalen-

Kalendarium auctius edidit etiam *Lambecius*, suffragante etiam coævo Trajani [a] *Plinio*, ut dubium proinde nullum restet quin sit verissimus. Inde corrigimus hallucinantium Auctorum certissimos errores. Numerentur enim inde menses, non IX, sed X. desinentque in XIV$^{m}$. Kal. *Augusti.* Inde numerabuntur ad III$^{m}$. Id. *Augusti*, dies accurate XXIV. Ita nimirum si *Natalis* ipse pro *primo* novi anni *die* habeatur, quo pacto illum solebant numerare *Romani.* Firmatque hos mensium dierumque numeros *Dio* etiam *Xiphilini.* Sic ergo *Sept.* XVII$^{o}$. anni Æræ *Vulg.* CXVI. expleverit *Trajanus* annum LXIII$^{m}$. & natus proinde fuerit *Sept.* XVIII$^{o}$. anni ejusdem Æræ LIII$^{i}$. *Claudii* Imperatoris XIII$^{i}$. Sic etiam *Sept.* XVIII$^{o}$. anni LXXXII$^{i}$. annum *inierit* XXX$^{m}$, quem *cœptum* diximus pro *pleno* habitum in *honoribus*, teste * *Ulpiano*, quod etiam exemplis aliquot probavit doctissimus *Paulus* [b] *Manutius.* XXX$^{m}$. enim annum fuisse ætatem gerendæ *Præturæ*, constat è *Mæcenatis* Oratione apud *Dionem*; non autem XXXIX$^{m}$, ut vult ipse *Manutius.* Sed loquitur ille de *Consulum* temporibus. Nós de illis agimus, quibus natus est Trajanus, *Imperatorum.* Sic itaque *Præturam* petierit *Trajanus* anno Æræ nostræ LXXXII$^{o}$. inierit autem anno sequenti LXXXIII$^{o}$, proximo LXXXIV$^{o}$. in *Provinciam* missus fuerit, pro more, Legatus *Prætorius.* Provincia demum per *unum* saltem *annum* administrata, tandem in *Patriam* rediit, *tutelam* deinde *Hadriani* susceptutus. *Vacationem* certe à publicis Reipub. muneribus ea ipsa indicat *Tutela.* Excusabant enim Leges *Romanæ* illum à *Tutelis* qui *Reipub.* causa abfuisset.

*a* Plin. *Panegyr. c.* 92. * *Digest. L. tit.* 4. *leg.* 8. *b* Manut. *de Leg. Rom.*

Fateor

II. De Ætate *Trajani* in *Decebalum* moventis refellitur *Dio.*

Fateor equidem *Trajano* annum XLII^m. tribuere Auctorem alioqui accuratiſſimum *Dionem*, cum primum metueret ab eo *Decebalus.* Et quidem confirmari fateor *numerum Dionis* apud *Xiphilinum* è *Porphyrogennetæ* excerptis ex eodem *Dione* à *Valeſio* editis, ne forte errorem aliquem, qui ſatis eſt alioqui in numero facilis, irrepſiſſe ſuſpicemur. Imo id videtur voluiſſe *Dio*, cum *primam* ſuſciperet Expeditionem in *Decebalum*, jam *Imperator* & *Auguſtus*, ea tunc fuiſſe Ætate *Trajanum.* Sed omnino neceſſe eſt hallucinatum hoc in loco fuiſſe *Dionem.* Id enim ſi fuiſſet verum, jam ne *ſexageſimum* quidem Ætatis annum, cum moreretur, potuerit attigiſſe *Trajanus.* Illam enim Expeditionem infra oſtendam, ante annum Æræ noſtræ CI^m. ſuſcipi ne quidem potuiſſe. Tunc ſi egiſſet annum duntaxat XLII^m, ſic natus fuiſſet anno ejuſdem Æræ duntaxat LIX°. Ita anno LXXXV°. qui *decimus* erat *Hadriani*, annum egiſſet XXVI^m. ut ne quidem *Ætatem* attigerit Præturæ *ambiendæ.* Tantum abeſt ut potuerit eſse *Prætorius.* Ita cum occideretur *Corbulo*, anno, ut mox oſtendemus, LXVI°. *ſeptennis* duntaxat fuerit, Ætate admodum inepta ad *Parthicam laurum*, quam tamen illum ſub *Corbulone* teſtatur meruiſse *Plinius.* Ita anno LXVIII°. *novennis*, quem tamen eo anno *Tribunum* fuiſse, teſtis eſt *Joſephus.* Hæc vera eſse infra probabimus, quæ tamen vera eſse nequeunt pro his *Dionis* hypotheſibus. Itaque omnino ſuſpicor de alio tempore id ſcripſiſse *Dionis*, quicunque fuerit, *Auctorem*; ad aliud autem ipſum retuliſse *Dionem.*

Ego

III. Vere *Trajanus* in *Decebalum* XLII. Ætatis anno mitti potuit. Sed Imperante *Domitiano.*

Ego hæc *Trajani* gesta (si conjecturæ venia sit) sic puto esse, pro *Temporum* ratione, disponenda. Exiit nimirum *Hadriani Tutela* anno *Ætatis*, ut videbimus, XIV°. jam absoluto. Et quidem XV°. eum in *Patriam* rediisse, statimque *Militiam* iniisse, noster ait *Spartianus*. Convenient hæc anno Æræ nostræ XC°. in quem, maxima ex parte, incurrit annus *Hadriani*, de quo agimus, XV$^{us}$. Tum illum à Patria *Trajanum* idem testatur *abduxisse Spartianus*. Commode nimirum illud, cum anni sequentis XCI$^{i}$. Consul *Trajanus* fuerit *Ordinarius*. *Romam* itaque concessit *Trajanus* Consulatum *initurus*. Illum enim certe *absens* ne quidem gerere *potuit* Privatus, qui *Principatum* adeptus ægre admodum exoratus est ut *Consulatum absens* acciperet, Princeps nimirum *Disciplinæ* studiosissimus. Sequebantur clades illæ in *Mœsia*, *Daciaque*, & *Germania*, *Pannoniaque*, quarum meminit in [c] *Agricolæ* vita *Tacitus*, quibus cum *omnem annum funeribus insignitum* dicat Clarissimus Historicus; proinde manifestum est per aliquot *annos* fuisse continuatas. Nec sane ante obitum *Agricolæ* subventum esse facile ex eodem *Tacito* colligimus. Obiit ille *Augusti* XXIII°. anno, Æræ nostræ XCIII°. Illius enim anni *COSS.* mortem ejus assignavit *Tacitus*. Has clades sequebatur *necessaria* illa, quam appellat [d] *Suetonius*, Expeditio *Domitiani* in *Sarmatas*, unde & *lauream Jovi* retulit *Capitolino*; triumphum nempe *dedignatus*, ut nos docet testis coævus [e] *Statius*. Illud tamen fateor esse in hac causa difficillimum, quod Ti-

*c Vit.* Agric. *c.* 41. *d* Suet. *Dom. c.*6. Stat. *Sylv. III.* 3.*v.* 171.

tulum *Imperatorium* XXII^m^. eundemque ultimum, *Domitiani* in *Trib. Pot.* XI. conferant Numi. Retulit enim *Mediobarbus* numum T. P. XI. signatum in quo *Imperatorius* Titulus legitur duntaxat XXI^us^. Et dedit *Goltzius* alium quo *Imp. XXII*°. appellatur cum *Trib. Pot.* similiter XI^â^. *Tribunitia* illa *Potestas* cum anno Æræ nostræ XCII°. maxima ex parte concurrit, usque ad *Sept.* diem XIII^m^. Et *Victoriam Augusti* Consulatu ejus XVI°. quem hoc eodem anno XCII°. gessit, repræsentat numus *Mediobarbi*. Fieri tamen potest ut qui *Triumphum* recusarit, is idem, pro eadem, quam finxit, modestiæ Persona, Titulum etiam novum recusarit *Imperatorium*; conscius præsertim ipse sibi quam neutrum meruisset. Solent enim in contraria declinare vehementia illa, quale fuit *Domitiani* illud, ingenia; & sane, pro veteris Militiæ Disciplina, non merebatur Victoria illa Titulum *Imperatorium* quæ *Triumphum* non meruerat. Ex *uno Bello* nemo, ante *Claudium*, Titulum *Imperatorium* plusquam unicum reportaverat. Ita ad Titulum *Imperatorium* talis victoria necessaria erat qua fuisset debellatum. Erat præterea ad Titulum *Imperatorium* necessarius certus *cæsorum numerus*. Ita etiam *debellationes* illæ *minus cruentæ* Titulum *Imperatorium* nullum mereri poterant, quibus, pro veteri Disciplina, sufficere credebatur *Ovatio*. Utcunque tamen continuæ illæ *clades* quæ ante mortem *Agricolæ* contigerunt, vetant omnino ne antiquiorem credamus illam, qualiscunque demum fuerit, Victoriam *Sarmaticam*. Sed nec eodem, quo decessit ille anno contingere potuit. *Octo* enim *mensibus* durasse illam Expeditionem, nec antea *voti* pro reditu damnatum fuisse *Velium* docet nos

f *Martialis*.

[f] *Martialis.* Idem præterea testis est in mensem [g] *Januarium* desiisse octomestre illud spatium. Ita mense *Maio* profectus fuerit in *Sarmatas Domitianus.* Sed mense hujus anni *Augusto*, quo defunctus est *Agricola*, *Romæ* fuisse indicat [h] *Tacitus*, dum crebris *Domitiani nunciis* visitatum esse moribundum testatur *Agricolam.* Alius itaque huic Expeditioni quærendus est annus, illo quidem anno *posterior*, & tamen certe XVII°. *Domitiani* Consulatu *prior*, & prior adeo anno Æræ nostræ XCV°. cujus anni illo Consulatu IV^m^. *Sylvarum* Librum scripsit *Papinius Statius.* Idem tamen in Libro III°. meminerat reportatæ à *Sarmatis* laureæ. Sic tamen meminerat ut *nuperam* admodum Victoriam illam fuisse innuat. Sunt enim illa ejus Verba:

> [i] *Quæ* modo *Marcomanos post horrida bella vagosque*
> *Sauromatas, Latio non est dignata Triumpho.*

E voce illa *modo* facile illud colligimus quod diximus. Itaque paulo ante Librum IV^m^. Consulatu illo insignitum Victoria illa contigerit. Sed Expeditionis *Sarmaticæ* disertius meminit *Martialis.* Sic quidem ille, ut Libri VII^i^. & VIII^i^. præcipuum illam fecerit Argumentum. Recentissimum omnino & *Domitiano* gratissimum, cum Libri illi ederentur. Itaque si de *Tempore* constabit, quo editus est à *Martiale* Liber ille *Epigrammatum* VII^us^. ita etiam una constabit de Tempore Expeditionis *Sarmaticæ*. *Martialis* autem *tempora* optime è coævo *Statio* colligemus. IV^i^. *Sylvarum* Libri tempus dedimus jam certum atque

*f* Mart. *Lib. IX. Ep.* 32. *g* Mart. *L. VIII. Ep.* 8. *h* Tacit. *vit. Agric. c.* 43. *i* Stat. *L. III. Sylv.* 3. *v.* 170.

exploratum. Tres reliqui illum diu præcedere non poterant, cum ſint eorum Carmina pleraque *Extemporanea.* Et tamen concurrunt Libri illi cum Librorum *Martialis* VI[i]. VII[q;]. pleriſque Argumentis. Ut facile inde colligamus eodem tempore Librum VI[m]. VII[q;] edidiſſe *Martialem*, quo tres Libros *Sylvarum* priores ediderit *Statius*. Dedit *Statius* Epithalamion *Stellæ* & *Violantillæ* L. I. Carm. 2. Idem *Martialis* L. VI. Ep. 21, 47. *Glauciam* Atedii Melioris delicatum deflevit *Statius* L. II. Carm. 1. Deflevit *Martialis* L. VI. Ep. 28, 29. Genethliacon *Lucani* ſcripſit *Statius* L. II. Carm. 7. *Martialis* L. VII. Ep. 20, 21, 22. Lachrymas *Hetruſci Statius* L. III. Carm. 3. *Martialis* L. VII. Ep. 39. Eo autem in loco repudiatum de Victoria *Sarmaticâ* Triumphum memorat *Statius*. Comam *Earini* Eunuchi, pro ſalute *Domitiani* in ea ipſa Expeditione periclitantis, fortaſſe votam celebrat *Statius* L. III. Carm. 4. Eandem Martialis L. IX. Ep. 17, 18. Rogati nimirum, ut videtur, ambo. Certe *Statius*; ut è *Præfatione* conſtat *Statianâ*. Mox tamen collegit ediditque *Statius*. *Martialis* ad futuram Editionis occaſionem, pro more ſuo, reſervavit. *Herculem* denique Epitrapezion *Nonii Vindicis* canit *Statius* L. IV. Carm. 6. Eundem Martialis L. IX. Ep. 44, 45. Sic à Libri *Martialis* VI[i]. temporibus incipient *Statiana Sylvarum* omnia. A Libro autem *Martialis* VII[o]. cœpit illa *Domitiani Sarmatica* Expeditio, quam diximus in menſem Anni incidiſſe *Maium*. Librum autem illum VII[m]. univerſum, & Libri VIII[i]. partem aliquam complectebatur illa *Domitiani* octimeſtris Expeditio, menſe *Januario* ſequenti abſoluta, cum & multa habeat in Libro etiam VIII[o]. *Martialis* reditum illius *voventia* quidem & optantia, non autem *gratulan-*

*tulantia.* Rediit itaque *Domitianus* medio aliquo tempore inter Epigramma Libri VIII[i]. 21[m]. & 26[m]. si quidem temporis rationem habuerit in primis saltem Librorum Epigrammatibus. Et quidem in Librorum *initiis* Temporis ratio longe manifestior est. Ita inciderit Reditus ejus in annum Libri *Statiani* IV[i]. XVII[o]. *Domitiani* Consulatu insignitum. *Convivium* certe illud, cujus nomine 2[m]. Libri IV[i]. Carmen Eucharisticum scripsit *Statius*, idem à *Martiali* memoratur Lib. VIII. Ep. 50. Unius itaque, ut videtur, anni sunt Libri *Statiani* II[us]. & III[us]. quibus respondet *Martialis* VI[i]. pars saltem aliqua, VII[us]. totus, & pars etiam VIII[i]. *Saturnalia* illa à *Statio* celebrata L. I. Carm. 6. ad annum pertinent, ni fallor, superiorem, Æræ nimirum nostræ XCIII[m]. Et pars adeo illa quæ respondet in Libro *Martialio* VI[o]. Nec sane est quod ita fuisse miremur. Erant enim *Statianarum Sylvarum* plurima, ut è Præfationibus constat, uti dixi, *Extemporanea.* Excusat etiam [k] *Martialis* alibi, quod unicum Librum anno integro ediderit. Confessus utique Libros superiores omnes uno plures anni spatio edere solitum. Imo *sex* annis omnes scripserat priores Novem, ut L. IX. Ep. 85. colligitur. Annum itaque commodiorem Expeditioni *Sarmaticæ* nullum reperiemus quam medium illum inter mortem *Agricolæ* & XVII[m]. *Domitiani* Consulatum, Æræ nimirum nostræ XCIV[m]. Venturum proximo *Januario Domitianum togæ palmatæ reddendum* dicit [l] *Martialis.* *Pictam* nimirum illam intelligit quam *Capitolinam* palmatam appellat apud *Vopiscum* in [m] *Probi* vita *Tacitus* Imperator, quod scilicet illam vel è *Templo*

*k L. VIII. Ep.* 70. *l* Martial. *L. VII. Ep.* 1. *m* Vopisc. *Prob. c.* 7.

*Jovis*

*Jovis Capitolini*, vel è *Palatio*, recipere ſolerent officium inituri *Conſules*, ut è vitis colligimus [n] *Alexandri Severi*, [o] *Gordianorum*, & dicti etiam [p] *Probi*. Inde ſaltem illud conficitur, in annum qui *Domitiani Conſulatum* aliquem præceſſerit, conferendam eſſe Expeditionem illam ejuſdem *Domitiani*, cum tamen XVI^m^. conſulatum nimis maturum jam probaverimus, qui mortem etiam *Agricolæ* anteceſſerit. Confirmat & [q] *Statius* in Epicedio *Priſcillæ*, poſt annum ex quo obierat *Priſcilla* ipſa, ut ex initio Carminis conſtat, exarato. Mox enim illa, poſtquam redierat maritus ab Expeditione *Sarmaticâ*, defuncta eſt. Scripſit autem Epicedium illud *Statius* poſt XVII^m^. illum *Domitiani Conſulatum*. Ut proinde anno ſuperiori redierit maritus, ipſa deceſſerit; ſitque proinde eidem anno aſſignanda Expeditio illa *Sarmatica*.

IV. Titulum tamen *Imp.* novum, occaſione Expeditionis *Sarmaticæ*, nullum accepit *Domitianus*.

Sed mirum videbitur, fortaſſe, quod Titulum *Imperatorium* novum nullum ea occaſione ſumſerit Princeps illorum alioqui Titulorum, etiam ſine ullo merito, appetentiſſimus. Erat quidem *laureæ* illa in *gremium Jovis Feretrii Capitolini* depoſitio Principum honores *moderantium*. Primus exemplum anno U. C. DCCXLVI°. introduxit [r] *Auguſtus*, ſub quo alia etiam *modeſtiæ* in *honoribus* exempla cœpere. Tum primum *literæ* ad *Senatum laureatæ* de rebus bene geſtis à *Privatis* mitti deſiere. Tum etiam pro juſtis *Triumphis* rogata & decreta *Ornamenta* duntaxat *Triumphalia*. Et quidem Triumphorum *juſtorum* locum, ut modo obſervavi, ſupplebant depoſitæ illæ in *Jovis Capitolini* gremio,

*n Alexand. c.* 40. *o Gordian: c.* 4. *p ubi ſupra.* *q* Stat. *Syl. V. Carm.* 1. *r* Dio *L. LV.*

*laureæ*. Sic tamen illæ, ut *Titulum* plerunque auxerint *Imperatorium*. *T. Pot*. XV^â^. Titulum *Augusti* IMP. XIII. XVI^â^. autem titulum IMP. XIV. repræsentant Inscriptiones. Et quidem *Tribunitiæ* illius *Potestatis* pars aliqua utriusque, in annum illum, quem diximus, incurrit; ne dubitemus aliò quam ad *lauream* illam titulum illum *Imperatorium* esse referendum. Sic etiam *Neronem* ob *Tridatis* in Urbem introitum *Imperatorem consalutatum lauream in Capitolium retulisse* tradit [f] *Suetonius*. Erant enim & alibi in more, pro *Regnis assignatis* Tituli *Imperatorii*. Sic & ob *lauream* à *Trajano* nostro è *Germania* missam, Titulum *Nervæ* IMP. II. repræsentant Inscriptiones. Ne dicam jam, in libera etiam Republica, *laureas C. Antonii*, ipsiusque *Ciceronis*, ipsas etiam cum Titulo fuisse conjunctas *Imperatorio*. Sed plane tamen abitraria erat in Principibus appellatio illa tituli ob res *gestas*, *Imperatorii*. Nunc enim *soli* illum acceperunt, nunc cum *Legatis* communicabant, nunc illum penitus *respuebant*. Fierique adeo satis commode potest ut, qui *Magnanimitatis* laudem affectarit spreto Triumpho, is idem eadem etiam ambierit spreto titulo *Imperatorio*. Utcunque tamen rem gestam aliquam titulo, ut videbatur, *Imperatorio* dignam, produnt numi JOVI VICTORI Consulatu *Domitiani* XVII°. inscipti; ut & alii quoque illi JOVI VICTORI & VICTOR. AUGUSTI *Consulatu* XVI°. percussi. Fieri enim potest ut & illi, non anno XCIII°. sed XCIV°. cusi fuerint, ad primum *Victoriæ* nuncium, antequam iniret *Domitianus Consulatum* XVII^m^. Itaque pacatis *Sarmatis*,

f Sue *Neron. c.* 13.

& reverſo demum *Domitiano*; ita tandem *limitibus* proſpiciendum erat, ne quam impreſſionem faceret ferox nupera victoria *Decebalus*. Hoc ſi tempore *Trajanum Domitianus Germaniæ* præfecerit, poſt anni XCIV$^{i}$. *Septembris* diem XVIII$^{m}$. aut etiam ante ſequentis *Septembris* diem eundem anni XCV$^{i}$. recte illum Ætatis anno XLII°. *Decebalo* objectum dixerit *Dionis* Auctor. Et quidem accerſitum ex *Hiſpania Trajanum* à *Domitiano* teſtem habemus ipſum [t] *Plinium*. Inde intelligimus, rediiſſe illum iterum in Patriam poſt *Conſulatum*, & *Provinciam* fortaſſe *Conſularem*. Nec alio miſſum quam in *Germaniam*, exinde diſcimus, quod, miſſis ad *Nervam* literis laureatis, *Germanici* nomen, ſub finem anni XCVII$^{i}$. exinde reportarit. Hoc ergo tempore, ſane opportuniſſimo, *Decebalo Trajanum* videtur objeciſſe *Domitianus*. Ita anno XCV. cum quo concurrit pars maxima anni *Trajani* XLII$^{i}$. jam ceperat *Trajani*, etiam ante Imperium, experimenta *Decebalus*, didiceratque quam eſſet revera metuendus. Quæ tamen *Dio* perperam ad *Trajani* retulit Imperium.

V. *Trajani* ortus antiquior probatur ex Auctoribus *Dione* ipſo *antiquioribus*.

Illum certe, hoc in loco, non ita modò refutare poterant quæ modo diximus; verum & illa quoque quæ tradit *Trajano* coævus Auctor *Plinius*, teſtis ipſo *Dione* melior & fide dignior. Ait ille [u] *Trajanum*, cum *Puer admodum* eſſet, *Parthica lauro* gloriam Patris auxiſſe, nomenque *Germanici* jam tum *meruiſſe*. Bellum illud *Parthicum* aliud eſſe non potuit quam *Corbulonis*. Cœpit [x] autem illud *Nerone* III. & *Valerio Meſſalla* COSS. anno Æræ noſtræ LVIII°. *Traja-*

*t* Plin. *Paneg.* *c.* 14. *u* Plin. *Paneg.* *c.* 14. *x* Tacit. *Annal.* *XIII.* *c.* 34.

*ni*

*ni*, v°. desiit autem cæso *Corbulone*. Illum anno LXVI°. occidit *Nero*. Certe postquam *Romam* venerat *Tiridates* à *Corbulone* coactus ut coronam *Armeniæ* à *Nerone* ipso peteret. Inde enim à *Tiridatis* laudibus cœpit Invidia *Neronis* in *Corbulonem*. *Romæ Neronem* hoc anno reperit [y] *Tiridates*. Et *Cenchreas Corbulonem* mox periturum accersivit *Nero*, quod nos docent Fragmenta ipsa *Dionis*. Hoc tum fortasse factum cum in *Græciam* migrasset *Nero*, certe post discessum *Tiridatis*. Illud certum, hoc ipso eodem anno *Corbuloni* in *Syriæ* Præsidatu successisse *Cestium Gallum*. Testem habemus numum *Antiochenum*, cujus Inscriptionem edidit Cl. [z] *Pagius* illam: ΕΠΙ ΚΕΣΤΙΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΕΤ ΔΙΡ. Annus ille *Antiochenorum* CXIV$^{us}$. à *Cæsaris* initio, U. C. *Varronian*. DCCV°. arcessitus, in annum U. C. desinit DCCCXIX$^{m}$. qui idem Æræ nostræ *Christianæ* LXVI$^{us}$. est. Et quidem ante initium *Octobris*. Ita constat ante mensem hujus anni *Octobrem* in *Provincia* fuisse *Cestium*. Imo Provinciam attigerat mense etiam *Antiocheno Artemisio*, qui idem *Maius* est *Romanus*. Ab illo enim mense, anno *Flori* in Provincia *Judæa* II°. *Neronis* XII°. *Agrippæ* junioris in Regno *Chalcidensi* XVII°. Bellum *Judaicum* deducit [a] *Josephus*, in quo victus est, non *Corbulo*, sed *Cestius* ille *Gallus*. Quare anno non admodum affecto, cæsus est *Corbulo*, missusque in Privinciam *Cestius*. Et anni adeo initio *Romam* venerit discesseritque *Tiridates*. Et tamen cum *Romæ* adhuc versaretur *Tiridates*, jam Templum *Jani* clauserat *Nero*, *tanquam nullo residuo* [b] *Bello*. Sic enim

*y* Tacit. *Annal. XVI. c.* 23. Dio. *z* Pagius *in* Baron. *Ann. 66. n.* 2. *a* Joseph. *Ant. XX. cap.* 9. *Bell. Jud. II.* 13. *b* Sueton. *Ner. c.* 13.

locum

locum *Suetonii* legerim cum *Faerno, Torrentio, Urſino*, potius quam ut in receptis legitur Codicibus, *tam nullo, quam reſiduo Bello*, ſenſu qui faciat ad *Suetonii* mentem plane nullo. Eſtque illa verborum tranſpoſitio longe facillima. Sic *laurum Parthicam* nullam potuit hoc ſaltem anno mereri *Trajanus*. *Tiridatis* iter *novem* erat *menſium*, ipſo teſte *Dione*. Quem ego ita intelligo, ut & *profectionis* tempus & *Reditus*, itemque illud quo *Romæ* verſatus eſt, amplexi fuerint *novem* illi *menſes*, ab eo nimirum tempore quo Patriam reliquerit, ad illud uſque quo ad eandem redierit. Sic *medium* illud, quo *Romæ* Diadema accepit à *Nerone*, fuiſſe conſentaneum eſt. Id cum huic demum anno aſſignet *Tacitus*; pauci proinde ſupererunt hujus itineris menſes *ſuperiori anno* aſſignandi. Hæc, ſi itinere *pedeſtri Romam* venerit *Tiridates*. Quod ſi *maritimo* mare ſaltem *Hadriaticum* trajecerit; Sic ante mare *liberum* menſemque *Martium Italiam* appellere non potuit. Ut proinde ſub finem anni LXV[i]. domo illum diſceſſiſſe neceſſe ſit. Sic illo anno LXV°. *finem* Bello *Parthico* impoſuerit *Corbulo*, pactuſque fuerit cum *Tiridate* de corona *Armeniæ* à *Nerone* impetranda. Et ſane hoc veriſimilius quam quod ait *Tacitus* anno LXIII°. hæc pactum eſſe cum *Tiridate Corbulonem*. Annus ille LXIII[us]. initium erat illius Expeditionis *Parthicæ*. Conjunxitque, ut videtur, *Tacitus* res Bello illo univerſo geſtas, quod etiam alibi facit in rebus [c] *Provincialium*. Nec enim veriſimile eſt tamdiu differre iter promiſſum potuiſſe *Tiridatem*, nec tamen moleſtum habuiſſe *Corbulonem*. Itaque inter annum LXIII[m]. & LXV[m].

c Tacit. *Ann. XII. c.* 40. *VI.* 38.

con-

concludi Bellum illud Parthicum necesse est in quo primum inclaruit *Trajanus.* Inde aliud nullum legimus *Romanorum* in *Parthos* Bellum ante illius Imperium, & Imperii etiam *finem.* In Bello certe, quod sequebatur, *Judaico* non erant molesti *Parthi.* Demus itaque, hoc anno Belli *Parthici* ultimo LXV°. laurum *Parthicam* meruisse nostrum; Sic egerit annum, ad mensem usque illius anni *Septembrem,* Ætatis duntaxat XII^m^. Et recte adeo in illum quadrabunt verba illa *Plinii,* quod fuerit *admodum Puer,* quod *incunabula* illa fuerint & *rudimenta Militiæ.* Desiit * nimirum *Pueritia,* cæpitque Ætas *militaris,* à fine anni XIV^i^. Ita qui anno XII°. militarit, is *admodum Puer* fuerit, is *incunabula* coluerit & *rudimenta militiæ.* Pro more nimirum Sæculi. Constat certe vel ex hoc exemplo *protrahenda* esse potius quam *contrahenda Trajani* tempora. Convenit porro, quod, *Neronis* anno XIII°. LXVII°. nimirum Æræ Christianæ, *Trajanus* jam *Tribunus* in Legione X^a^. *Japhæ* expugnandæ adfuit *Junii* XXV°. ut è [d] *Josepho* discimus. Nempe anno Ætatis, pro nostris rationibus, XV°. labente. Fuit equidem & *Hadrianus* ipse II^æ^. Legionis Adjutricis Tribunus, Ætatis anno circiter XX°. labente. Postquam nimirum *Judicis* officio functus esset, quod factum anno XIX°. absoluto; & tamen antequam transferretur in *Mæsiam,* extremis *Domitiani* temporibus, cujus cædes in annum *Hadriani* incidit XXI^m^. *Extrema* Domitiani *tempora* de *COSS.* Domitiani *ultimis* intelligit, in fallor, [e] *Spartianus.* Recte nimirum & illud, pro nostris hypothesibus. In illum enim ipsum annum XCV^m^. qui COSS. habuit *Domitiani* penultimos, & quo

* *Vid. Præl. V.* d Joseph. *Bell.* Jud. *III.* 11. *Lat.* 12. 13.
e Spart. *Hadr. c.* 2.

*Tra-*

*Trajanum Germaniæ* præfectum existimamus, incurrit *Hadriani* anni xx[i]. pars longe maxima. Et quidem *Tribunatum* illum à *Trajano* jam in *Germaniam* misso accepit, ni fallor, *Hadrianus*. In libera quidem Repub. *Tribunorum* partem saltem aliquam fecit in Comitiis *Populus*. Reliquos fecere *Duces* quibus *Imperium* fuerat, seu Jus Gladii, à *Populo* demandatum. Testes habemus *Livium* & [f] *Polybium*. Addit [g] *Asconius Pædianus Rufulos* dictos qui ab *Imperatore*, *Comitiatos* qui à *Populo* designati fuissent in *Comitiis*. Imo Bello in *Perseum* Macedonico, *novatum* dicit *Livius* Lib. XLII. c. 31. *ne Tribuni militum eo anno suffragiis crearentur; sed Consulum Prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset.* Postea *Comitiorum* Jura sustulere paulatim secuti Principes. *Julius*, Tribunatum *Comitiatum* [h] Populi gratia adeptus postea soluta Repub. *Comitiorum* Jura cum Populo [i] *partitus* est. Restituit aliquatenus [k] *Augustus*. Transtulit postea à *Campo* ad *Senatum* [l] *Tiberius*. Tentavit *Caius* [m] Comitiorum more revocato suffragia *Populo* reddere. Sed vero his, de quibus loquimur, temporibus aliud nihil habuit quod curaret *Populus* præter [n] *Panem* & *Circenses*. Jam certe soli Potestatem *Tribunorum* videntur habuisse *Exercituum* Duces. Non certe ab aliis *Tribunatus Militares* Amicis suis rogat [o] *Plinius*. Non à *Populo*, non à *Senatu*. Ne quidem ab ipso *Principe*. Quanquam postea *Majorem Tribunum militum* per vocem *Sacram* Imperatoris destinari solitum scribat *Vegetius*. Quod si à *Trajano Tribunatum* illum acceperit *Hadrianus*; sic optime in eundem conveniet

*f* Polyb. *L. VI.* *g* Ascon. Pæd. *in* Verrin. 3. *h* Suet. *Jul. c.* 5. *i* Suet. *Jul.* 41. *k* Suet. *Aug.* 40. *l* Tacit. *Ann. l.* 15. *m* Suet. *Calig. c.* 16. *n* Juvenal. *Sat.* 10. *o* Plin. *III. Ep.* 8. *IV. Ep.* 4.

annum

annum quo *Exercitum* acceperit ipſe *Trajanus.* Ea ergo, quam dixi, ætate *Tribunus* erat *Hadrianus. Trajanus* aliquanto junior. Recentior enim erat ipſius *Hadriani* Conſtitutio qua cautum, ne [p] *Tribunum* niſi *plena barba* faceret, aut *Ætas* illa quæ *Prudentia & annis Tribunatus robur impleret.* Recentior ejuſdem illa etiam [q] de *militum Ætatibus*, ne quis aut *minor, quam virtus poſceret, aut major quam pateretur humanitas, in caſtris, contra morem veterem verſaretur.* Et vero ex illis ipſis *Conſtitutionibus* illud ſaltem diſcimus, *Juniores* quàm par erat, ante *Hadrianum*, tam ad *Militiam*, quam etiam ad *Tribunatus*, admitti ſolitos, in quorum numero fuerit *Trajanus.* Utcunque tamen præcocem *Trajani* in re *Militari* indolem ſupponamus; non potuit ille junior, quàm noſtræ ferunt rationes, intereſſe rebus *Parthicis Corbulonis.* Nec vero legimus res *Parthicas* recentiores quæ potuerint in *Pueritiam* ejus incidiſſe. Neceſſe itaque eſt, ut falſa ſint quæ de *Ætate Trajani*, cum adverſus *Decebalum* proficiſceretur, habet *Dion*, niſi ita intelligantur, ut diximus.

VI. Erravit *Dion*, cum *Trajanum* crederet nec *Italum* fuiſſe, nec *Italiotam.*

Et ſane neſcio, *ſuo*, an *Auctoris*, quem ſecutus eſt, vitio; utcunque tamen, in rebus *Trajani*, non ita eſt, ut ſolet accuratus eſſe, *Dion. Ætatem* ejus, cum moreretur, non dixit *Dion*, ut ſolet reliquorum Imperatorum. Propterea, ut videtur, quia nec illam *Auctor* ejus obſervaverat. Ait præterea *Trajanum* ſic *Iberum* fuiſſe, ut nec *Italus* fuerit, nec *Italiotes.* Scio *Italiotarum* voce *Græcos Italiam* habitantes ab [r] *Heſychio* intelligi. *Magnæ* nimirum *Græciæ*, ut videtur, illos. Quo

*p* Spartian. *Hadrian. c.* 10. Vopiſc. *Pcob. c.* 4. *q* Spartian. *Ib.*
*r* Heſych. Βάσ. & Βράσκη.

modo

modo etiam apud [s] *Lucianum* vocem intelligit recte, ut exiſtimo, [t] *Salmaſius*. Non ſemper autem *Græcos* vox illa denotat. Imo voces *Italioticas Atticis* opponit ipſe *Lucianus*, in Libro *de ſcribenda Hiſtoria*, p. 613. Alium vocis uſum docet [v] *Suidas*: Ut nempe *Itali* dicti fuerint ἀπὸ οἰκιστοῦ καὶ ἀρχηγέτου τῆς χώρας, *Italiotæ* vero ἀπὸ ἐπιγινομένων, καὶ τὴν χώραν εὑρόντων προκεκλημένην. Quæ ego ita intelligo, ut *Itali* dicti fuerint à primo Gentis conditore, quem *hominem* fuiſſe credit *Suidas*, nomine *Italum*, cum tamen *boves* alii antiquitus *Italos* dictos potius exiſtiment; *Italiotæ* vero ab illis ipſis *Italis*. Sic enim antea *Suidas*, *Italiæ* quidem vocem ab *Italo*, *Italiotæ* vero ab *Italia*, deduxerat; quod ſcilicet fuerint ſic *Italorum* coloni *Italiotæ*, ut fuerant *Itali hominis* coloni *gens* ipſa *Italorum*. Sic itaque *Trajanum Dio Iberum* credidit, ut nec *Italus* fuerit, nec ab *Italis* oriundus. Fruſtra enim *Græcos* hic *Italiotas* intellexerimus, cum non *Græcis*, ſed *Italis* omnigenis, tam *Aboriginibus*, quam *Colonis*, *Iberos* opponat, hoc in loco, *Dio*. Ita, ſi *Dionem* audiamus, ne *ſtirpe* quidem *Italica* fuerit *Trajanus* oriundus. *Dionem* refellunt omnes qui *Trajanum* eadem ortum produnt, qua & *Hadrianus*, municipio *Italicenſi*; Qui & antiquam ejus agnoſcunt apud *Italicenſes* familiam, (quod tradit verbis diſertiſſimis *Eutropius*) ne aliunde in *Coloniam* illam *Italicam* irrepſiſſe ſuſpicemur *Trajani* majores; Qui & *Italicam Italorum* coloniam à *Scipione* cœptam, cum noſtro agnoſcunt *Spartiano*; [x] *Hadrianus* nimirum ipſe Imperator *Trajano* concivis, atque [y] *Appianus*.

*s* Lucian. *de Salt. p.* 809. *t* Salmaſ. *in* Vopiſc. *Carin. p.* 842. *u* Suid. Ἰταλίος. *x* Hadrian. *de vit ſua ap.* Spartian. *c.* 1. *y* Appian. *Iber.*

Refellit

Refellit & *Victor* Epitomator, qui ex urbe *Tudertina* (*Umbriæ* nimirum) ortum ejus agnoſcit. Quos quidem *Umbros* in bello *Sociali* conjuraſſe, & una adeo cum aliis *Civitatem Romanam* adeptos agnoſcunt Veteres, qui bellum illud memorant, Auctores. Refellit teſtis exceptione major [z] *Plinius*, qui *patrium* ejus *morem*, & *patriam virtutem*, non aliam utique quam *Italam*, agnoſcit. Et tamen *Dionem* tueri conatur vir præſtantiſſimus, harumque *Romanarum* literarum peritiſſimus, [a] *Lipſius*. Legi poſſe contendit apud *Victorem*, pro Urbe *Tudertina*, Urbem *Hiſpaniæ Turdetanam*. Et quidem non *gentem* modo *Turdetañam*, ſed & *urbem Turdetanorum* apud *Livium* memorari fateor. Sed non alia, hoc in loco, quærenda *Urbs* quam *Tudertina* illa *Umbrorum*, quæ fuerit etiam *Italorum* noſtræ Urbis *Hiſpanienſis Italicæ* conditorum. Sed Inſcriptionem profert Lipſius *Popularium Provinciæ Arevatum* Trajano *de Romano Imperio, de Paterna & Avita Hiſp. patria, & de omni hominum genere, meritiſſimo.* Atqui male colligit Vir Maximus *Populares Trajani* illos fuiſſe *Arevates*. Non hoc dicunt *ipſi*, nec *vere* dicere poterant. Erat enim *Trajani* patria *Italica* in Provincia *Bœtica*, *Arevates* autem illi in Provincia *Taraconenſi*. *Populares* illi *Civitatum Municipiorumque Decurionibus* opponuntur; idque volunt, non *Decreto Decurionum* illam conditam eſſe *Inſcriptionem*, ſed *Populorum*, qui multi in *eadem* eſſe ſolebant *Hiſpaniæ Provincia*. Alii longe erant *Populares Attici*, ſeu Δημῶται, *Pagani* ſcilicet *Romani*, *Villarum* potius quam *Urbium* aut inſignium *oppidorum*. Rurſus male colligit, ut jam hactenus oſtendimus, non

z Plin. *Paneg. c.* 13. a Lipſ. *in loc.* Plinii.

aliam fuiſſe *Trajano Patriam*, quod *Patria* ejus tam *Paterna*, quam *Avita*, fuiſſet *Hiſpania*. Patria *Paterna* & *Avita ſtirpis* erat *patria*. Sic tamen illa, ut non excluderet vel *ſtirpis* patriam *antiquiorem Italiam*: nedum ut *Juris* Patriam excluderet, *Urbem* nempe, ut oſtendi, *Romanam*. Sed ſic vacillat in hac cauſa *Lipſius*, ut plane ſe diſtrahi ipſe ingenue fateatur.

VII. Erravit præterea quod titulum *Optimi*, non niſi victa demum *Armenia*, *Trajano* attributum exiſtimarit.

Eſt & alius *Dionis* error oppido ſane manifeſtus, quod poſt captam demum *Armeniam*, anno circiter CXIII°, *Trajanum* à Senatu *OPTIMUM* appellatum exiſtimarit. Sed contra iterum habemus teſtem Exceptione majorem, & certiorem *Dione*, [b] *Plinium*, qui in ea ipſa Oratione quam dixit coram *Trajano*, menſe *Septembri*, anni C^I. jam antea *cognomen* illud à Senatu additum agnoſcit. Nec aliter idem in [c] *Epiſtolis*, quas edidit, pro noſtris rationibus, anno CVII°. hanc autem, de qua agimus, vel eodem illo ſcripſit anno, vel belli forte *Dacici* ſuperioris fine, annoque adeo CII°. Nec vero *refragante Trajano*, additum. Aliter fuiſſet, non fuerat hoc ipſum prætermiſſurus *Plinius*, ſed in laudis, ut fecit in repudiato *Conſulatu*, verſurus Argumentum. Imo *acceptum* à *Trajano* cognomen illud univerſa ejus illa ſupponit Oratio. Nec porro eſt quod à *ſubinvito Trajano* acceptum ſuſpicemur, cum illo cognomine maxime omnium delectatum agnoſcat ipſe *Dio*. Cur vero delectatus fuerit, rationem eam aſſignat *Dio* à rationibus ſuis alieniſſimam. Quod ſcilicet à *moribus* ſuis fuerit, potius quam à virtute *Bellica*,

*b* Plin. *Paneg. c.* 2. 88. *c* Plin. *L. VI. Ep.* 27.

τῶν

τῶν τρόπων αὐτȣ̃ μᾶλλον ἢ τῶν ὅπλων. Et tamen virtus ejus *Bellica* potius in *Armenia* ſubigenda elucebat, quæ adeo ratio nulla erat cur *OPTIMI* cognomine illum Senatus honoraret. Quærendum itaque huic cognomini tempus aliud quo *Bonitatis* inſigniſſima ſpecimina ediderit. Fuerit illud, ut exiſtimo, ſub finem anni xcix$^{i}$. cum *Romam* primum, ex quo factus eſſet Imperator, appelleret *Trajanus*. Tunc datum memorat *Plinius*, pro auſpiciis Imperii, pro more, [d] *Congiarium*. Congiarium illud, *Trajano* jam *Auguſto*, proindeq; poſt initium anni xcviii$^{i}$. quo exceſſit *Nerva*; & *Conſulatu* ejus ii$^{o}$. (nempe ante annum c$^{m}$. quo iii$^{m}$. ſuſcepit *Conſulatum*) repræſentat *Mediobarbi* numus è *Vaillantio*. Tunc [e] *liberis educandis* alia, &, ut videtur, *Trajani* propria, præter congiarium, *alimenta*. Erat liberorum illorum numerus [f] *paulo minus quinque millia ingenuorum*. Tunc & [g] *Ægyptum* dicit annona ſublevatam. Hoc certe ante finem menſis *Auguſti* fieri vix potuit. Nec enim ante *Romam* nuncios mittere poterant de *Nili* inundatione minus quam oportebat copioſa, quæ ſterilitatis erat cauſa. *Julii* enim xx$^{m}$. *Ægyptiis* anni initium fuiſſe propter *Nili* illam inundationem, alibi [h] oſtendimus. Tum etiam Populo *Romano* gratiſſima memorat [i] *Gladiatorum* ſpectacula. Tum puniti [k] *delatores*. Tum Leges latæ æquiſſimæ, & ſubditis utiliſſimæ de [l] *Ærario* & *Fiſco*, de *Hæreditatum* [m] *vigeſimis*, de [n] *Majeſtate*, de [o] *Teſtamentis*. *Morum* certe *bonitatem* benignitatemque commendabant hæc omnia locupletiſ-

*d Paneg. c.* 26. *e Paneg. c.* 27. *f Paneg. c.* 28. *g Paneg. c.* 30. *h Append. ad Diſſ. Cyprian. n.* 12. *i Paneg. c.* 33, 34. *k Paneg. c.* 34, 35. *l Paneg. c.* 36. *m Paneg. c.* 37, 38, 39, 40. *n Paneg. c.* 42. *o Paneg. c.* 43.

ſime. Nec alio tempore opportunius OPTIMI titulus decerni poterat à Senatu quam tot ejus *beneficiis* in *Populum* tam liberali manu congeſtis. Poſt cæteras appellationes, *Imperatoris*, *Cæſaris*, & *Auguſti*, additum teſtatur ipſe [p] *Plinius*. *Plinio* aſtipulatur numus *Occonis* & *Mediobarbi*, Conſulatu *Trajani* II°. ſignatus; unde intelligimus ante annum C^m^. quo III°. *Conſul* fuit, jam *OPTIMUM* appellatum eſſe *Trajanum*. Sunt autem qui *Dionem* refellant alii præterea numi multi. Habet *Mediobarbus* numum in cujus anteriori parte ita legimus: IMP. CAES. TRAJANUS AUG. in poſteriori ita: NILUS. S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. Nempe propter *beneficium* illud cujus modo meminimus è *Plinio*, *Ægypti* ſublevatæ. Habet & alium ejuſdem *beneficii* indicem, cum notis etiam *Chronologicis* in averſa parte: T.P. IIII. IMP. II. COS. IIII. NILUS. Nempe anni CI[i]. initio cuſum. Unde intelligimus beneficium illud *Nili*, quo nomine gratulatum *Optimo Principi*, illa certe *Tribunitia Poteſtate* antiquius fuiſſe. Habet etiam alium idem *Mediobarbus* COS. IIII. ſignatum ante annum CIII^m^. in quo ita legimus: S.P.Q.R. OPTIMO PRINCIPI. ALIM. ITAL. Ad eandem formam multos COS. V. idem exhibet *Mediobarbus*. E quibus manifeſto conſtat, non à *Privatis* duntaxat, prius quam oportuit, adulantibus illum fuiſſe titulum, ſed à *SC*. Imo SC[i]. rationes vel præcipuas fuiſſe, tam illam *Ægypti* ſublevatæ, quam & aliam illam conceſſorum *Pueris Ulpianis* alimentorum. Habet præterea in Gazophylacio ſuo Cl. *Claren-*

p *Paneg. c.* 88.

*doniæ*

*doniæ* comes unum ita ſignatum : T. P. VI. COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Deſiit hæc *Tribunitia Trajani Poteſtas* anno CIII°. multis, antequam proficiſceretur in *Orientem*, annis. Habet & *Occo* alium OPTIMO PRINCIPI dicatum *Tribunitia* ejuſdem *Poteſtate* VIII. Habet & *Onuphrius* Inſcriptiones, aliam T. P. VII. aliam VIII. quæ illum ſimiliter OPTIMI PRINCIPIS titulo inſigniunt. Et numos *Scaliger* COS. V. inſcriptos profert OPTIMO PRINCIPI dicatos. Unum edidit *Sambucus*, duos *Goltzius*, tres in Amici cujuſdam cimeliis ipſe vidi, multos autem habet *Mediobarbus*. Omnes anno CXII°, quo VI$^{m}$. geſſit *Conſulatum*; antiquiores ſunt, quo tamen anno venit in *Orientem*. Sed Obſervavit priores VI°. Conſulatu [q] *Lipſius* ita habere: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI, *quaſi in laudationis loco*; poſteriores vero ita: IMP. CAES. NERV. TRAJANO OPTIMO, vel in *Græcis*, ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ ΑΡΙΣΤΟΣ, *& quidem ita inde aſſidue.* Sed nihil inde eliciet quod faciat ad defenſionem *Dionis*, quem quidem *Plinio*, hac in cauſa, poſtponendum agnoſcit. Nec eſt *aſſidua* forma illa, quam dicit in poſterioribus fuiſſe Inſcriptionibus. Habet *Mediobarbus* numum OPTIMO AUG. & COS. tamen V. ſignatum. Habet & alios qui *Trajanum* una ex parte OPT. AUG. ex altera vero OPTIMUM PRINCIPEM appellent, unum his *temporum* notis inſignitum, T. P. XIIII. IMP. VI. COS. V. annum Æræ noſtræ, ut videtur, CXI$^{m}$. deſignantibus. Habet & duos T. P. XVI. & tamen OPTIMO etiam PRINCIPI inſcriptos.

q Lipſ. *in Paneg. c.* 2.

Et alios etiam qui & PARTHICUM, & OPTIMUM etiam PRINCIPEM appellent. Utroſque certe Victoria illa *Armeniaca* poſteriores. Habet & *Goltzius* numos *Trajanum* OPTIMUM PRINCIPEM *Tribun.* ejus *Pot.* XVI. XVIII. & XX. appellantes. Nec plane quicquam video in *Inſcriptionibus Numiſve* ſingulare, niſi quod *Latinæ* Inſcriptiones, ſeu *Lapidum*, ſeu *Numorum*, OPTIMUM AUGUSTUM, & *Græcæ* ΑΡΙΣΤΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ agnoſcentes, ab his demum poſtremis *Trajani* temporibus incipiant. Ideone *duo* de hoc honore *Senatuſconſulta* fingemus, quorum priori OPTIMUS PRINCEPS, poſteriori OPTIMUS AUGUSTUS, fuerit appellatus? Et quidem prius illud anno XCIX°. propter *Leges*, poſterius anno XIII°. propter Victoriam *Armeniacam*? Sed ne quidem ita cum hypotheſibus *Lipſianis* convenient *Inſcriptiones*. Edidit enim *Mediobarbus* numos in quibus OPTIMUS AUGUSTUS *Trajanus* appellatur, & COS. V. & *Trib.* ejus *Pot.* XIIII. victæ certe *Armeniæ* Epocha anteriores. Nec certe conciliando cum Inſcriptionibus *Dioni* inſerviet iſta diſtinctio. Illam enim intellexit *Dio* OPTIMI appellationem, quæ à *morum* potius ſuavitate deſumpta eſſet, quam à rebus *Bello* geſtis. Eam enim ipſam *rationem* dedit cur hoc potius titulo, quàm titulis *Bellicis*, delectaretur ipſe *Trajanus*. Atqui illa melius convenit SC°. quod anno XCIX°. fuiſſe certo conſtat, quam recentiori alteri anni CXIII^i^. de quo, fueritne unquam, plane non conſtat, ut oſtendimus. Et plane ludicra illa fuiſſet diſtinctio, cum alius nullus eſſet ab *Auguſto Princeps*, quo tempore *Trajanus OPTIMUS PRINCEPS* à *Senatu* appel-

appellatus esset. Et in supremi *Augusti* contumeliam cessisset, si quis *alius* ab eo *Princeps* *OPTIMUS* appellatus fuisset, ne quidem excepto *supremo* omnium *Augusto*. Et cum alii eundem illum titulum affectarent, pauci quidem, sed nonnulli tamen; non alios legimus eo insignitos quam vel *solos*, vel etiam *supremos*, *Augustos*. *Nervam* sic appellant numi *Mediobarbi* duo, alius à *Patino* descriptus, alius à *Vaillantio*, si tamen vere descripti. Suspicor errore aliquo exscribentium factum esse ut *Nervam* legerent pro *Nerva Trajano*. Nullos *Nervæ* numos ita inscriptos reperit *Goltzius*. Et *novum* illum fuisse in Principibus honoris titulum indicat *Plinius* in *Panegyrico*. Sic etiam *Hadrianum* nunc OPTIMUM, nunc OPTIMUM AUGUSTUM, nunc OPTIMUM PARTHICUM, nunc OPTIMUM MAXIMUM, appellant *Inscriptiones*, si tamen vere illas descripserint Editores. Et quidem ut *Optimi* titulus cœpit à *Trajano*, sic *Maximos* sæpe appellatos legimos *juniores* *Augustos*, non modo cum victarum *gentium* titulis, *Parthicos Maximos*, *Adiabenicos Maximos*, &c. verumetiam simpliciter *Maximos*. *Constantinum* vix aliquis est quin ita appellet, ut jam supra observavimus. Inde proclive erat ut *Jovis* illum Titulum ad *Principes* deducerent, ut illos etiam *Optimos Maximosque* dicerent, qui jam *Deorum* omnium, ipsosque *Jovis* honores fere omnes ad *Principes* deduxerant. Sic & *Severum* in Pandectis *Optimum Maximum* nuncupat [r] Jurisconsultus, non item *Caracallam* aut *Getam* juniores *Augustos*. Sic & *Maximinum Thracem Optimum Maximumque*

[r] *Digest.* XXXI. 78.

 vocat

vocat Inſcriptio *Sponiana*. Ita nulla erat neceſſitas ſecundi *Senatuſconſulti* de eo *Optimo Auguſto* appellando quem antea *Optimum Principem* appellaverant, cum nemo unquam *Princeps Optimus* appellatus fuerit qui non idem fuiſſet *Auguſtus*. Eſt itaque *Dioni* excuſando prorſus inutilis Viri alioqui Maximi omnis illa Obſervatio.

VIII. Erravit quod *Trajanum* primo ſtatim Imperii initio *Romam* veniſſe crediderit, & moviſſe in *Decebalum*.

Idem præterea *Dio* ita loquitur quaſi exiſtimaſſet mox ab Imperii *initio* urbem acceſſiſſe *Trajanum*; & ſtatim rurſus, poſtquam appuliſſet, *primam* ab eo ſuſceptam *Expeditionem* in *Decebalum*. Inde factum ut crederet *primi* belli *Dacici* initio egiſſe illum Ætatis annum duntaxat XLII$^{m}$. Atqui certum eſt ſub finem anni XCVII$^{i}$, quo adoptatus eſt, adſcituſque in Imperium, fuiſſe in hoſtico, unde *literas laureatas* ad *Nervam* miſerat, & nomen meruit ipſe *Germanici*. Proximo anno *Conſulatum* egit II$^{m}$. cujus initio obiit *Nerva*, quo tempore nondum *Romam* appuliſſe è noſtro conſtat [f] *Spartiano*. Aliter non opus eſſet ut è *Germania* ſuperiori feſtinaret *Hadrianus*, ut primus nunciaret exceſſum *Nervæ*, cum *propior* fuiſſet *Romæ* ipſi *Nerva Trajanus* quam in *Germania* ſuperiori *Hadrianus*. Imo II$^{m}$. ejus *Conſulatum* geſtum ait [t] Plinius *non in Urbis otio, & intimo ſinu Pacis: ſed juxta barbaras gentes, ut illi* (inquit) *ſolebant quibus erat moris paludamento mutare prætextam, ignotaſque terras victoria ſequi*. Idem indicat & aliis de eodem *Conſulatu* verbis: [v] *Geſſiſti alterum Conſulatum, ſcio; Illum exercitibus, illum Provinciis, illum etiam cæteris*

*f* Spart. *Hadr. c.* 2. *t Paneg. c.* 56. *u Paneg. c.* 59.

*ris gentibus poteris imputare, non potes nobis. Audivimus quidem Te omne munus Consulis obiisse, sed audivimus.* Et paucis interpositis : *Quousque absentes de absente gaudebimus ? Liceat experiri, an aliquid superbiæ tibi ille ipse secundus Consulatus attulerit. Multum in commutandis moribus hominum medius annus valet, in Principum plus.* Anno itaque quo *Consulatum* IIm. egit XCVIIIo. *toto* aberat *Româ* *Trajanus.* Sed nec aderat *initio* anni sequentis XCIXi. Hujus enim anni Consulatum *privatis* cessisse dicit [x] *Plinius.* Et quidem ita ut contigerit [y] *privatis aperire annum, Fastosque reserare.* Causam vero cur cesserit, eam dedit præcipuam, quod [z] *absens* gerere non potuerit. *Absuisse* itaque *initio* anni necesse est. Et tamen superius gesta [a] *nondum* ait fuisse *biennii.* *Adoptatum* autem à *Nerva* *Trajanum* jam alibi [b] circa *Octobris* XXVIIm. ostendimus. Sic itaque *Romam* appulerit, & *Leges* tulerit supra memoratas post anni XCIXi. initium, & tamen ante ejusdem anni mensem *Octobrem.* Ut plane maximam *biennii* partem in *Provincia* egerit. *Congiaria* enim quæ dedisse illum jam vidimus, *primo* ejus ad *Urbem* appulsu dedisse consentaneum est. Cum *Congiario Civium* erat, pro more, *Militum* etiam *Donativum.* Mos ille ab *Augusti* tempore deductus, quem qui ad *Urbem* deduxerant anno V.C. DCCXIo. *Donativum* accepere. Pro illo certe exemplo, *Donativum* exegit Exercitus [c] *Severi*, cum illum etiam jam Principem ad *urbem* deduxissent. Nec modestiores fuisse verisimile est *Trajani* milites. Et quidem ADVENT. AUG. memorant numi. *Augusti* utique, non *Cæsaris.* Etiam *Congiarium* *COS.*

x *Paneg. c.* 57. y *Paneg. c.* 58. z *Paneg. c.* 60. a *Paneg. c.* 56. b *Append. Diss.* Cypr. §. 42. c Spartian. *Sever. c.* 7.

II°. datum oſtendunt, & FORT. RED. vota ſoluta COS. ſimiliter II°. Proinde ante annum C$^{m}$. quo *COS.* III. iniit. Sed ne tum quidem mox *Dacicam* Expeditionem ſuſcepit. Certum eſt *Romæ* adhuc hæſiſſe initio anni C$^{i}$. quo *Conſulatum* geſſit III$^{m}$. quem *Conſulatum abſens* gerere noluit. Certum eſt *Romæ* hæſiſſe cum ageret *Plinius* in *Marium* [d] *Priſcum* Kal. *Januariis, Principe ipſo COS.* & *per triduum præſente.* Certum eſt etiam uſque ad menſem *Septembrem* ibidem hæſiſſe, quo Conſularem *Orationem* coram ipſo in *Senatu* dixit *Plinius, Conſul* nimirum ipſe eodem anno quo III$^{m}$. *Conſulatum* geſſit ipſe *Trajanus.* Nec ullum tamen memorat *Plinius* de diſceſſu ejus mox futuro conſilium. Non potuit itaque diſcedere ante Natalem ſuum *Septembris* XVIII$^{m}$. Quod ſi poſtea diſceſſerit, jam certe egerit Ætatis annum, pro noſtris rationibus XLVIII$^{m}$. *Imperii* etiam ex quo deſignatus eſt à *Nerva* IV$^{m}$. quem tamen *Dio Ætatis* anno XLII°. Imperii autem *initio* diſceſſiſſe arbitratus eſt. Sed vero de belli *Dacici* initio infra plura diſputabimus.

IX. *Malignum* aliquem Auctorem in *Trajani* memoriam ſecutus eſt *Dio*, qui *Provincias* à *Trajano* victas ne quidem *teneri* potuiſſe finxerat, in gratiam *Hadriani.*

Eſt & alius ejus error in vitæ fine. Sic enim loquitur *Dio* quaſi omnem operam in Victoriis *Parthicis* luſurus fuiſſet *Trajanus*, ſi diutius vixiſſet. Ait illum ſcripſiſſe ad Senatum, *ultra ſe*, quam progreſſus fuerat *Alexander Magnus*, Victoriis ſuis fuiſſe progreſſum. Cum tamen (inquit ipſe *Dio*) ea quæ ſubegerat tueri non poſſet, *μὴ δυνηθεὶς μηδὲ ἃ κεχείρωται σῶσαι.* Imo verba illa ejus diſertiſſima ſunt: *Ἔμελλε δὲ ἄρα μήτε ἐς τὴν Ῥώμην ἔτι ἀφίξεσθαι, μήτε ἄξιόν τι*

[d] Plin. *Paneg. c.* 76. *L. II. Ep.* 11, 12.

τῶν

προκατειργασμένων πράξειν, καὶ προσέτι καὶ αὐτὰ ἐκεῖνα ἀπολέσειν. Quo etiam ſpectant & illa poſtea, de ſubactis à *Trajano Armenia*, & majori parte *Meſopotamiæ*, μάτην ἐπόνησαν, καὶ μάτην ἐκινδύνευσαν. Sic loquitur ille quaſi novis illis defectionibus metus fuiſſet ne perdituri eſſent victa omnia, *Trajano* etiam ſuperſtite, *Romani*; vel ſic potius quaſi retineri poſſe, vel *nulla* prorſus *ſpes* fuiſſet, vel fere *deplorata*. Hæc illum accepiſse ſuſpicor ex Auctore aliquo qui ita ſcripſerit, in gratiam *Hadriani*. Illum *Trajani gloriæ invidentem* Provincias à *Trajano* ſubactas reliquiſse tradit *Eutropius*. Idem etiam de *Daciâ* facere conatum, ni Amici illum deterruiſent, ne multi *cives Romani Barbaris traderentur*. *Pontis* tamen à *Trajano* ſtructi in monumentum *ſuperficiem* ſuſtulit, Auctore ipſo *Dione*. Sed & *Regis dati* gloriam *Trajano* ademit. *Parthamoſpatem* enim, quem Regem *Parthis* dederat *Trajanus*, proximis gentibus Regem dedit, noſtro teſte [e] *Spartiano*. Idem teſtis eſt, & [f] *theatrum, quod* Trajanus *in campo Martio poſuerat, contra omnium vota deſtruxiſſe. Et hæc quidem* (inquit idem) *eo triſtiora videbantur, quod omnia, quæ diſplicere vidiſſet Adrianus, mandata ſibi ut faceret decreto Trajani eſſe ſimulabat*. Videmus itaque quam fuerit *maligno* in *Trajani* memoriam animo *Hadrianus*. Fingenda itaque erat ratio cur victas à *Trajano* Provincias relinqueret. Eam autem illam dedit *Hadrianus*, in ſuis, ut videtur, de *vita* ſua Libris, ſe hoc feciſſe exemplo [g] *Catonis*, qui *Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant*. Et quidem eo ſpectant verba *Dionis* à nobis prolata, ne *teneri* quidem Provincias à ſe ſubactas ab ipſo potuiſſe *Trajano*.

*e* Spart. *Adrian. c.* 5. *f* Spart. *ib. c.* 8. *g* Spart. *ib. c.* 5.

Et

X.
*Malignitatis* illius exempla in elevandis *Trajani* Victoriis.

Et plane manifesta est Auctoris hujus *malignitas.* Provincias à *Trajano* victas duas tantum agnoscit, *Armeniam*, & *Mesopotamiam*, nec illam *omnem*, sed pro majori duntaxat *parte.* Sed Provincias *multas* ab *Hadriano* relictas, & præsidiis nudatas, noster testatur [h] *Spartianus. Armeniam, Mesopotamiam,* (nec *mutilam* illam) & *Assyriam* recenset *Rufus Festus.* Easdem *Eutropius*, qui tamen addit *Arabiam* postea in Provinciæ formam redegisse. Et quidem memorat *Scaliger* numos qui idem indicent: Alium qui *Assyriam* testetur in POTESTATEM P. R. REDACTAM: Alium qui ASSYRIAM & PALAESTINAM: Alium qui VICTORIAM memoret ASSYRIACAM. Sic etiam de *Arabiâ*, alium qui ARABIAM indicet AUGUSTAM ADQUISITAM PROVINCIAM, alium qui ARABIAM ADQUISITAM, alium qui ARABIAM CAPTAM. His addere potuit numos etiam alios qui victam *Consulatu Trajani* VI°. ita memorant *Adiabenem*: ADIAB. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI, figura *Captiva* sedente, veste indigena, dextra fæmori apposita, læva capiti subjecta, inter spolia armorum, astante *Trajano* paludato, quæ vulgatissima sunt *victarum gentium* in *Numis* Symbola. Potuit & alios qui REDACTAS IN POP. ROMANI POTESTATEM ARMENIAM memorent & MESOPOTAMIAM. Imo *Provincias* alias repræsentant Numi, quas nulli tamen memorant Auctores: IND. P. R. alius, alius IND. PRO. P. R. quos tamen adulatorios putat *Scaliger.* Sed *Legationem Indicam* agnoscit ipse *Dion*, nec loco, ut videtur, alieno. Sic enim ille de *Trajani* reditu post victum *Decebalum.* Παρὰ τὸν Τραϊανὸν ἐς τὴν Ῥώμην ἐλθόντα,

h Spart. *Adrian.* c. 8.

πλεῖσαι

πλεῖςαι πρεσβεῖαι, ἄλλων τε βαρβάρων, καὶ Ἰνδῶν, ἀφίκοντο. *India* nimirum illa victæ illo tempore à *Palma Arabiæ* videtur fuiſſe finitima. Eadem ſcilicet quo S *Matthæi* Evangelium intuliſſe ſecum, his ipſis temporibus, (ſi tamen vera tradat *Euſebius*) videtur S. *Bartholomæus* Apoſtolus; Eadem quo poſteà, *Evangelii* propagandi cauſa, Legationem obiit, ab Eccleſia, ut videtur, *Alexandrina, Pantænus*; Eadem à *Frumentio* rurſus (ſub *Conſtantino)* converſa & *Ædeſio*; Eadem denique quo miſsus (ſub *Conſtantio)* Legatus *Theophilus*, teſte *Philoſtorgio, Homeritarum* nempe atque *Auxumitarum*. Quod miror tamen non vidiſse *Scaligerum*. Itaque devicta demum *Arabia*, eodem tempore quo bellum *Dacicum* II$^{m}$. confecit ipſe *Trajanus*, terrorem *Indis* hiſce *Arabiæ Petreæ* finitimis incuſſerit victor *Arabiæ Palma*. Ita factum ut *Legati* eorum Pacem petentes *Trajanum Romæ*, à bello *Dacico*. reverſum, convenerint, anno, ut videtur, Æræ *Chriſtianæ* receptæ CVII°. Tum *India Populi Romani Provincia* facta; Tum Expeditiones illæ *Evangelii* propagandi cauſa ſuſceptæ. Poſtea, ſub *Trajani* finem, deficientibus aliis, ſic etiam *Indos* illos defeciſſe veriſimile eſt; Et quidem ita defeciſſe, ut nunquam poſtea in Poteſtatem Populi *Romani* redierint. Inde fortaſſe factum ut Converſionis illius, ſiqua fuerit à *Bartholomæo* Apoſtolo, tam evanida repererit veſtigia *Pantænus*, cum *novam* ille Expeditionem ſuſciperet, eadem etiam *Evangelii* cauſa, ſub *Severo*. Cum iiſdem enim *Arabibus* rem habuit *Severus* ac *Trajanus*, teſte *Dione*. Ut proinde novis *Chriſtianorum* Expeditionibus viam ipſe patefecerit ut patefecerat ante *Trajanus*. Et quidem tempora ſubactæ *Indiæ* in *Numis* deſignata conveniunt

veniunt ſatis accurate. v°. enim *Trajani Conſulatu* prodierunt illi *Numi* qui *Indiam* memorant *Populi Romani Provinciam.* Poſt annum nimirum CIII^m. & tamen ante annum Æræ noſtræ, quo VI^m. iniit *Conſulatum*, CXII^m. Nec alios fuiſſe, quam quos diximus, *Indos*, ex illis ipſis colligimus *Numis*, qui *Rhinocerotem* exhibent. Nempe *Æthiopia* oriundos *Rhinocerotes* tradunt veteres, ut proinde Αἰθιοπικοὺς ταύρους *Rhinocerotas* appellarit, non uno in loco, [i] *Pauſanias*. Pro eadem nimirum forma qua *Elephantos*, qui *Pyrrhi* bello *Romanis* innotuerunt, *Boves* etiam *Lucas* appellarunt Scriptores antiquiſſimi, illiſque temporibus proximi, *Romani*. Nempe eximios *magnitudine piſces* ut κήτη vocant Scriptores de *Animalibus*, ita *beſtias* ſimiliter enormes *Tauros*, quod vulgarium beſtiarum *taurus* maximus fuiſſet, appellarunt. Æthiopas autem intellexit *Orientales Pauſanias*, de quibus adeo multa diſputat, ex eo *Homeri* loco qui duplicium *Æthiopum* meminit, *Strabo*. Sed hæc nos [k] alibi. Alium præterea numum exhibet *Scaliger* ita inſcriptum: DE CHALDÆIS. S.C. Unde conſtat *Chaldæos* etiam fuiſſe ſuperatos. Quid dico *Chaldæos*? Imo *gentes omnes*, quæ inter *Indum* & *Euphratem* amnes inclytos eſſent, concuſſas bello dicit Auctor optimus *Victor Schotti* de *Cæſaribus*. Sic itaque videmus non adeo fuiſſe, ut credidit *Scaliger*, incredibiles numos illos qui *Indiam* dicant factam eſſe *Provinciam*, etiamſi de remotiori illa *India* intelligerentur omnium celeberrima. Dicit quidem *Dio* viſam à *Trajano Indiam*, non item *bello* fuiſſe tentatam. Sed non potuit *Trajanus* ſcribere ad Senatum, ul-

*i* Pauſan. *Eliac. I. p.* 159. *Bœot. p.* 297. *k Addend. ad* Iren. *p.* 73. *Diſſ. I.* §. 40.

tra

tra se victoriis, quam *Alexandrum*, fuisse progressum, ni *Indiam* etiam bello fuisset aggressus. Et certe fines *Indiæ* includit quicunque is fuit quem secutus est *Rufus Festus*. Locos à *Trajano* subactos ita recenset ille, *Armeniam* imprimis, tum & *Albanos* quibus *Regem* dederit, *Iberos* deinde, *Bosporianos*, *Colchos*, *in fidem Romanæ ditionis* ait *recepisse*; *Osroenorum* loca & *Arabum* occupasse; *Cardenos*, *Marcomedos*, *obtinuisse*; *Antemusium optimam Persidis regionem*, *Seleuciam*, *Ctesiphontem*, *& Babyloniam, accepisse & tenuisse; usque ad Indiæ fines post Alexandrum accessisse.* Sic & *Eutropius*, (& fere iisdem *verbis*, ex eodem, ut videtur, Auctore) qui eodem scripsit tempore ad *Valentem* quo *Festus* ad fratrem *Valentis Valentinianum*. *Armeniam* & ille recenset primam, tum *Albanos*, *Iberos*, *Sauromatas* omissos à *Festo*, *Bosporanos*, *Arabes*, *Osdroenos*, *Colchos*, *Adiabenos*, *Marcomedos*, *& Anthemisium magnam* (inquit) *Persidis regionem*. [ *Optimam* itaque regionem pro *maxima* regione accepit ille, ut Poeta *bona pars procerum*, magnam nimirum partem procerum intelligens.] Addit denique *Seleuciam & Ctesiphontem, Babylonem & Edessios vicisse, ac tenuisse, usque ad Indiæ fines & mare rubrum.* Vix itaque credibile est quin *plures* fecerit *Trajanus Provincias* quam *quatuor* illas quas agnoscunt, *Armeniam*, *Assyriam*, *Mesopotamiam* & *Arabiam*. Certe *Regiones* illas quibus nec *Reges* dedit, nec *Parthicæ* ditioni adjecit, omnino verisimillimum est omnes *Romanas* fuisse *Provincias*. Præsertim illas quas in *fidem Romanæ ditionis* testatur *Festus* illum accepisse. Imo in *mari rubro* classem instituit, ut per eam *Indiæ* fines vastaret. Illius metu verisimile esse potuit *Legatos* illos ab *Indis* venire potuisse quos

missos

miſsos teſtatur ipſe *Dion*, ſi quidem de aliis illis intelligendi fuiſsent *Indis* remotioribus. Ita factum eſſet ut in *Provinciam*, quod teſtantur *Numi*, etiam ipſi potuerint ceſſiſſe *Romanam*. Sed negat illa tamen omnia audacter præſtantiſſimus *Scaliger*. Negat inſtitutam à *Trajano* fuiſſe in *mari rubro* claſſem. Negat eo inſtitutam conſilio ut fines *Indiæ* vaſtaret. Quaſi vero ſolus illa tradidiſſet *Euſebius*. Ego autem illa *Euſebii* fuiſſe non cenſeo, ſed *Hieronymi*, qui res illas *Romanas* addiderit, ut ſolet, ex *Eutropio*. Porro aſtipulatur Eutropio, ut ſolet, *Rufus Feſtus*. Nec negat *Dio* de *India* etiam *remotiori* occupanda cogitaſſe *Trajanum*. Imo verbis diſertiſſimis affirmat: Ἰνδοὺς τε γὰρ (inquit) ἐνενόει, καὶ τὰ ἐκείνων πράγματα ἐπολυπραγμόνει. Nihil itaque alienum à veriſimilitudine habet (hac in cauſa) *Euſebius*, habent numi, quos tam facile contemſit *Scaliger* tanquam adulatorios. Erat quidem *Trajanus* ingenio *Gloriæ* avidiſſimo. Sed *veræ* duntaxat *Gloriæ*, non fuco aut mendaciis emendicandæ. Alienum illum à *blanditiis* coævos habemus ſatiſque idoneos teſtes, [l] *Plinium* atque [m] *Martialem*.

XI. Res geſtæ *Trajani* à coævis Scriptoribus *depreſſæ* plerunque in gratiam *Hadriani*.

Et vero difficillimum erat, etiam antiquioribus, qui non proxima vixerint recentique *Trajani* memoria, ſcire quouſque *Trajani* victoriæ proceſſerint. Provinciarum nuper victarum limites confudit, memoriamque omnem mox abolevit, deductis præſidiis, *Hadrianus*. Inde factum ut Auctoribus *Hadriano* junioribus ne quidem compertum fuerit, quæ illæ fuerint *Provinciæ* à *Trajano* in Populi *Romani* poteſtatem ditionemque redactæ, ſub *finem* ſci-

*l* Paneg. & III. Ep. 8. *m*. Mart. X. Ep. 72.

licet

licet *Trajani*, mox autem dimissæ sub initiis *Hadriani*. Supersunt itaque qui sub *Hadriano* vixerint soli testes earum rerum idonei, & fide digni. Sed illis rursus ut fuerint res illæ alioqui satis exploratæ, *fidem* tamen suspectam facit *Invidia* illa in *Trajanum*, & malignitas Successoris *Hadriani*. Illis proinde, siquid gratiæ dare vellent, *deprimendæ* erant res gestæ à *Trajano*, non efferendæ, ne dum demortui Principis memoriam celebrare vellent, superstitis livorem irritarent atque iracundiam. Eum *livorem* sapiunt verba illa *Dionis* : Μάτην ἐπόνησαν, μάτην ἐκινδύνευσαν. At res ipsa contrarium indicat satis manifeste. Dixit *Hadrianus* Provincias illas non potuisse *teneri*. Sed nullam *vim* passus est *Hadrianus* cum Provincias *sponte* relinqueret, cum *præsidia* deduceret. Sic loquitur *Dio* quasi defecissent omnes, quasi jugum excussissent. Πάντα (inquit) τὰ ἑαλωκότα ἐταράχθη καὶ ἀπέστη, καὶ τοὺς παρὰ σφίσιν ἕκαστοι φρουροὺς οἱ μὲν ἐξέβαλον, οἱ δὲ ἀπεκτίννυσαν. Sed *tres* illas, *quatuorve*, quas agnoscunt, *Provincias præsidiis exercitibusque* instructas reperit *Hadrianus*, quos ille propria sponte, nulla coactus necessitate, deduxerat. Ita certe dicunt qui *Hadriano* adulari nollent. *Hadrianum gloriæ Trajani certum esse invidisse* (inquit *Rufus Festus*) *qui ei Successor in Imperio, sponte propria, reductis exercitibus, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, concessit, & inter Romanos ac Persas Euphratem medium esse voluit.* Damnat etiam *Hadrianum*, hoc nomine, vetus Auctor cujus verba conservavit *Suidas*; aitque, *Persis* deprecantibus, non vi aut armis *cogentibus*, hoc illum concessisse: Οὐκ εὐβούλως δὲ (inquit) τῆς Μεσοποταμίας παραχωρεῖ Πέρσαις δεηθεῖσιν αὐτοῦ. Et sane illos narrat ipse *Dio* successus armorum *Trajani* in rebelles

qui

qui longe aberant ab ea *Dionis* desperatione. Cæsum quidem victumque dicit à rebellibus *Maximum*. Sed *Lusii Quieti* in eosdem narrat præclarissima facinora, receptam *Nisibin*, expugnatam *Edessam*, & debellatam ab *Erucio Claro* & *Julio Alexandro Seleuciam*. Sic ille nimirum, aut ejus Auctor, *Trajani* omnia in deteriorem partem interpretatur. Aliter autem coævus *Trajano* Lucius Florus. [n] *Movisse Romam* ait *sub Trajano Principe lacertos, & præter spem omnium, senectutem Imperii, quasi reddita juventute, reviruisse.* Tantum aberat ut *frustra* susceptos diceret *Trajani* tantos, & tam egregios labores.

XII. In rebus *Trajani* non adeo dignus fide, quam alibi, *Dion*.

Ita igitur ostendimus quantilla sit, in rebus *Trajani*, dignus fide *Dion*, Scriptor alioqui, fateor, cum bonos habet, quos sequatur, Auctores, satis accuratus. Nec vero supervacuam hanc credent refutationem peritiores, qui sciant quo pretio *Dio* habeatur apud Eruditos, ut eum libentissime sequantur, etiam errantem. Et quidem *Traditiones* majorum suorum, potius quam *Libros*, secutus videtur in his, de quibus agimus, *Trajani* rebus; aut siquos fortasse *Libros*, malignantium *Trajano*, *Hadriano*que adulantium. Non itaque satis erit unicum illud in contrarium *Dionis* testimonium, quo minus ea potius credantur quæ Nos de *ætate Trajani* diximus certioribus, quam sit illud *Dionis*, testimoniis. Et conveniet satis accurate cum x°. *Hadriani* anno *ætas* illa *Trajani Prætoria*.

*n* Flor. *Præf. L. I.*

Sed

XIII. Cur duos *Hadrianus* habuerit *Tutores.*

Sed vero præter *Trajanum*, alium habuit *Hadrianus* Tutorem *Cœlium Tatianum.* Sic illum Libri appellant *Spartiani* hodierni. Sed *Attianum* è melioribus *Codicibus* & *Dione*, jam diu est quod viderint Eruditi. Id potius scire forsitan avebitis, cur *duos* habuerit Tutores *Hadrianus.* Poterant equidem, per *Leges Romanas*, plures esse *Tutores* tam *Testamentarii*, quam etiam legitimi; tam à *Parente*, quam à *Magistratu* dati. Prius asserit [o] *Ulpianus*, posterius [p] *Modestinus.* Poterant etiam *dati Tutores* hæreditatis curam inter se *dividere*, vel in *partes*, vel in *Regiones*, si quidem in pluribus *Regionibus* sitam Pupillus hæreditatem haberet. Hoc etiam docet [q] *Ulpianus.* Nempe si in diversis ejusdem Jurisdictionis *Regionibus* sita esset *Hæreditas. Regiones* nimirum intellexere Jurisconsulti vel illas *Urbis Romanæ*, vel *Italiæ* etiam *Urbanæ* quæ ipsa quoque in *Regiones* divisa est similiter XIV. Et quidem diu ante *Hadrianum*, ut è seniore *Plinio* teste intelligimus. Fecit nimirum *Augustus*, ut *Civibus Italicis* sua essent in *Comitiis Urbanis* suffragia. Idque quo commodius fieret, fecit & illam, ni fallor *Italiæ Urbanæ* partitionem in *Regiones* XIV, pro exemplo *Urbis*; quasi nimirum *Cives Italici* in *Urbis Regionibus* essent etiam ipsi censendi, & *Urbis* adeo *Regionibus* contribuendæ illæ fuissent *Italiæ Regiones.* Sic fuerit illius distributionis Auctor *Augustus.* Sed *Regiones* Jurisconsultorum melius illas forte intelligemus, in quas *hæreditas* ipsa per Leges *Artis Gromaticæ* dividenda esset, ut è *Pandectis* disci-

*o* Ulp. *Pand. XXVI. Tit. II.* 11. *p* Modest. *XXVI. Tit. V.* 23.
*q* Ulp. *XXVI. Tit. VII.* 4.

mus, & *Rei Rusticæ* Scriptoribus. Sic enim divisæ erant in *Regiones* hæreditates etiam *Provinciales*, in tabulis *Censualibus*. Quod si alia *Hæreditatis* pars in ditione fuisset *Urbana*, alia in *Provinciis*; jam *necessarii* erant *diversi Tutores*: Et quidem, ni assignasset *Parens*, à *diversis* legitimis Potestatibus assignandi. *Tutorem* enim *Urbanum Prætor* dedit *Urbanus*, *Provincialem* Præses *Provinciæ*. Sic enim docet [r] *Hermogenianus*. Vel in *Provinciis*, præter *Præsidem*, *Proconsul*, vel *Præfectus Ægypti*, vel cui, *temporis* causa, Provincia, *Præside defuncto*, regenda commissa esset; & Lege *Marci*, *legatus Proconsulis*, post tempora tamen *Hadriani*, teste [s] *Ulpiano*. Etiam *Juridicus Alexandriæ*. Præcipue vero *Magistratus* [t] *Municipales*, quod ego Jus omnium existimo antiquissimum. Hos *Tutores* ita distinguunt Jurisconsulti, ut nunc alium rerum *Urbanarum* appellent, alium *Peregrinarum*, ab antiquissima nimirum Reipublicæ liberæ forma, qua duo erant in Urbe *Prætores*, *Urbanorum* alius, alius *Peregrinorum*; nunc vero alium vocent rerum *Italicarum* Tutorem, alium *Provincialium*. Ejusdem enim Jurisdictionis erant res *Urbanæ* & *Italicæ*, ex quo *Itali* in *Urbem* recepti sunt, solentque *Provincialibus* opponi. Et paulo diverso Jure utebantur *Municipes Provinciales*, etiam *Itali*, quam ipsi, unde oriundi erant, *Itali*, quod ad aliam spectarint, propter ipsam loci intercapedinem, Jurisdictionem. Sic itaque existimarim, *Tutorem* Hadriani *Attianum*, cujus nulla memoratur alia cum *Hadriano*, præterquam *Tutoris* illa, necessitudo, *rerum* fuisse

*r* Hermog. *Dig. XXVI. Tit. V.* 27. *s* Ulp. *XXVI. Tit. V.* 1. *t Ib. Tit. V.* 3.

Hadriani

Hadriani *Italicarum*, ſeu datus à *Patre* fuerit, ſeu à *Prætore* potius *Urbano*. *Domicilium* enim *Hadriano* ſaltem in *Urbe* fuiſſe veriſimile eſt, ut capere poſſet *honores Urbanos*. Et *prædia* etiam neceſſaria erant ad ſuſtinendam *Ordinis ampliſſimi* in *Urbe* dignitatem, pro *cenſu* etiam *Senatorio*. *Deforme* certe credidit [u] *Homulus honorem* in Urbe *petituros*, *Urbem Italiamque*, *non pro Patria*, *ſed pro hoſpitio*, *aut ſtabulo*, *quaſi Peregrinantes habere*. Proinde Auctor erat ut Principem rogarent Conſules, ut huic *vitio* occurreret. Juſſumque inde ut Patrimonii *tertiam partem conferrent in ea quæ ſolo continerentur*; *Italico* nimirum. Inde certum eſt jam etiam *olim Domicilia* civibus in *Urbe* fuiſſe, & *Patrimonii* ſaltem partem *aliquam* in *Italia*, quæ ne *tertia parte* minor eſſet, vetuit hoc Edicto *Trajanus*. Itaque *Urbanorum* cura erat penes *Attianum*. *Trajanum* vero municipem ejuſdem, cujus erat *Hadrianus*, Municipii *Italicenſis*, & *Patris conſobrinum*, vel potius *Amitinum*, vel dedit Teſtamento *Tutorem* ipſe *Hadriani* Imperatoris *Pater Ælius Hadrianus Afer*, vel *Decuriones Italicenſes*. *Legitima* enim *Tutela* (quæ nempe data eſt à *Magiſtratibus*) *Patris agnatis* debebatur, per Leges *XII. Tabularum* & *conſanguineis*, teſte [x] *Ulpiano*. *Agnatos* autem qui per *virilis ſexus* Perſonas *cognatione juncti eſſent*, dicit [y] *Caius*. Sic autem *Hadriano* junctus eſt *Trajanus*. *Trajanum* itaque *ſolum* memorat [z] *Spartianus*, qui *Hadrianum abduxerit à Patria*. Non certe illum, qui nihil forte cum *Patria Hadriani* commu-

*u* Plin. *VI. Ep.* 19. *x* Ulp. *XXVI. Tit. IV.* 1. *y* Caius *XXVI. Tit. IV.* 7. *z* Spart. *Hadr. c.* 2.

ne habuit, *Attianum*. In *Patria* itaque *Tutelam Hadriani* à *Trajano* geſtam fuiſſe veriſimillimum eſt, qui & in *Patria* erat quo tempore *Pupillari* ætate eſſet *Hadrianus*, nec antea illum à *Patria abduxit*, quam eam *ætatem* egreſſus eſſet.

---

Præle-

---

# *Prælectio* V. *ad Spartiani* Hadrian.

MAII 10. 1689.

## *De ætate* togæ virilis *sumendæ, &* militiæ *ineundæ apud* Romanos.

*XIV*^us^ *annus* abſolutus *Ætas ſumendæ* togæ *ſub* Imperatoribus. *Eo anno ſumſit* Auguſtus, *&* Tiberius. §. I. *Eo anno* nepotes *Auguſti*, Caius *&* Lucius. §. II. Maturata *toga virilis Neroni. Sumpta nimirum antequam annum XIV. explevisset.* §. III. *XIV*° *anno ſumenda a* Britannico, *de cujus* ætate *diſputatur contra Cl.* Pagium. §. IV. *XIV*° *anno* Marcus *&* Commodus. *Locus in* vita *Commodi emendatus.* §. V. *Eodem, ut videtur, anno, ante Imperatores,* Marcus *Ciceronis* filius *&* Virgilius. §. VI. Toga virili *induti muneribus deinde* Reipublicæ *admoti.* §. VII. *Ratio forte cur in* Patriam *migrarit* Hadrianus. §. VIII. *Mox a depoſita* Prætexta, *militare ſolebant* Romani. §. IX. *Olim anno XVII*° *abſoluto* Militiam *inibant, a tempore* Servii Tullii *ad annum U.C. circiter DC.* §. X. Exempla *utriuſque* Ætatis Militaris *a* Græcis *deſumpta ſunt.* §. XI. Judex *Hadrianus anno forte XCV*° Tribunus,*anno XCVI*°. §. XII.

Spartian. *Adrian. c.* 2.

I XIV^us^ annus abſolutus *Ætas* ſumendæ *togæ*, ſub *Imperatoribus.* Eo anno ſumſit *Auguſtus*, & *Tiberius.*

QVintodecimo anno ad patriam rediit, ac ſtatim militiam iniit.*] Monui jam ſuperiori Prælectione, Auditores, xv^m^. *Hadriani* annum, pro maxima ejus parte, in annum Æræ noſtræ *Chriſtianæ* incidiſſe xc^m^. Ultimus enim anni xiv^i^. dies erat *Januarii* xxiii^us^. *Natalis* autem, *Januarii* xxiv^us^. primus numera-

 batur

batur anni xv^i. pro ea, quæ illis temporibus obtinuit, ſupputandi ratione. Cum autem illum xv°. anno dicit *in Patriam rediiſſe* Spartianus; Sic ego *Spartianum* intelligo, ut anno *abſoluto* xiv°. xv°. duntaxat *inchoato*, in *Patriam* migrarit *Hadrianus*. Hoc itaque ipſo anno xc°. illum migraſſe cenſeo. Abſolverat enim jam, xiv°. anno abſoluto, *Pueritiam*. *Prætextam* una exuerat, & cum ea diſciplinam *Pædagogi*. Togam *puram* & *virilem* aſſumſerat, & ſui Juris aliquatenus effectus eſt, ut poſſet deinde, quo vellet, pro arbitratu, migrare. Solutus etiam *Tutoribus*; tantum, quoad bonorum adminiſtrationem, obnoxius deinde *Curatoribus*. Hoc quidem pro *recentiori* Adoleſcentiæ *diſciplina*. Sed ne quidem *Curatores* forte habuit *Hadrianus*. Primus enim [a] *Marcus Curatores* Adoleſcentibus *omnibus* aſſignandos ſtatuit. Antea non aliis aſſignati quam *decoctoribus* & *inſanis*. Virilis autem toga *Pueritiæ* finis, *Adoleſcentiæ* inchoatæ Symbolum, his Imperatorum, de quibus agimus, temporibus, poſt annum demum Ætatis xiv^m. abſolutum, xv°. inchoato ſumi ſolebat. Ita nimirum ut à xv°. Natali Jus ejus ſumendæ cœperit. Inde factum ut nunc xiv°. anno illam, nunc xv°. tribuerint Veteres. *Secundum* enim *Septenarium* Pubertatis initium fecere qui inſignes *Septenorum* annorum in Corpore Humano mutationes obſervarunt. Et tamen ante annum Ætatis xv^m. togam virilem ſumere non poterant, quibus ne *Jus* quidem ſumendi, niſi anno xiv°. *abſoluto* competebat. Proinde *Nobiles Pueros prætexta veſte ſub Diſciplina uſque ad annum XV^m. uſos* dicit vetus Interpres *Horatii*.

*a* Capit. *vit*. Marc. *c*. 10.

ratii.

*ratii*. Sed vero XIV°. anno consummato *Jus* fuisse, ut proinde XV^us. *cœptus* duntaxat intelligi debeat, exemplis ab Imperii initio deductis ostendendum est. Hoc certe ætatis anno *exacto* togam virilem ab *Augusto* ipso sumtam testem habemus *Augusto* ipsi coævum [b] *Nicolaum Damascenum*. Serius illam sumtam vult [c] *Suetonius*, anno nimirum XVI°. & triumpho avunculi *Africano donis militaribus donatum*, post reditum nempe ejus è bello *Africano*. Rediit Cæsar ex *Africa* Sextilis XXVI°. ann. U.C. *Varroniano* DCCVIII°. qui dies anno *Augusti* XVII°. ad finem vergenti covenit. Sed cum togam *antea* sumtam agnoscat *Suetonius*, hinc fateor *ætatem* ejus, quo tempore togam sumsit, accurate colligi non posse. Sed cum belli illius *Africani* expertem propter *ætatem* faciat *Suetonius*, jam certe *Pubertatem* innuit ab eo nondum impletam, qui tamen belli *Africani* tempore annum ætatis XVI^m. absolverat, XVII^m. inchoarat. Sed *Suetonio* anteferendus coævus *Damascenus*. Proximus Augusto *Tiberius* est, [d] natus *Nov*.XVI. sub COSS. anni U. C. DCCXII^i. Idem tamen primis Ludis [e] *Actiacis* præsedit COS. *Augusti* VI°. U. C. DCCXXVI°. mense *Septembri*, quo victoriam illam adeptus est Augustus, *ductor turmæ in Trojanis Circensibus Puerorum majorum*. Inde intelligimus jam *prope* finitam fuisse ejus *Pueritiam*. Recte nimirum qui *Novembris* sequentis die XVI°. jam XIV^m. illum quem diximus ætatis annum fuerit absoluturus. Imo *pubescentem Actiaco Triumpho* dicit, qui COS. *Augusti* V°. actus est. an. U. C. DCCXXV°. VI. Kal. *Sextiles*, cum ne XIII^m. quidem ætatis annum absolvisset. Hanc certe *Pubertatem Suetonius* de alia

*b* Nic. Damasc. *in Excerpt*. Porphyr. *Valesianis*. *c* Sueton. *Aug. c*. 8. *d* Suet. *Tib. c*. 5. *e* Suet. *ib. c*. 6.

intelligere vix potuit quam quæ anno illo quem dixi xiv°. concluditur.

II. Eo anno *nepotes* Augusti, *Caius* & *Lucius*.

Eodem faciunt utriusque Augusti *nepotis* exempla, tam *Caii* nimirum quam *Lucii*. *Caium* imprimis Augusti *nepotem*. & *filium* etiam *Adoptitium*, xiv°. ætatis anno, *Consulem post Quinquennium designatum* esse coæva, apud *Onuphrium*, testatur Inscriptio. Et tamen certum est xiv°. anno jam absoluto, cœpto autem xv°. fuisse designatum. Eodem nimirum die quo *togam* induit *virilem*, & ab *Augusto* in *Capitolium* deductus est, quæ xv°. ejusdem ætatis anno contigisse è Marmoris *Ancyrani* Fragmentis, de gestis ab *Augusto* rebus, facile colligimus. Non potest utrumque verum esse, nisi ita intelligatur, ut diximus. Estque sane Historiæ consentientissima ea, quam dedimus, Interpretatio. Natus est *Caius* anno U.C. *Varroniano* DCCXXXIV°. teste *Dione*. Sic itaque annum XIV$^{m}$. expleverit anno ejusdem Æræ DCCXLVIII°. Hoc ergo anno fratri *Caio* nondum ex *ephebis* egressus Consulatum rogavit frater minor *Lucius*. Id proculdubio habuit in mente *Lucius*, ut, quoniam annum *togæ* sumendæ legitimum *Caius* implevisset; proinde munus virile, (cum per *Augustum* stetisset quo minus togam puram *Caius* jam maturus accepisset) *Caio* impetraret. Tum & illud habuit in animo exemplum ipsius *Augusti* qui primum *Consulatum* xx°. ætatis anno nondum expleto consecutus fuerat. Mense nimirum anni DCCXI$^{i}$. *Sextili*, quem postea *Augustum*, hac etiam ipsa, præter alias, causa appellatum, idque SC°. testibus *Solino*, *Censorino*, & *Macrobio* intelligimus. *Senatusconsulti* verba ipsa conservavit [f] *Macrobius*.

f Macrob. *Satur.* I. 12.

Eo

Eo autem menſe nondum annum XX$^{m}$. abſolverat *Auguſtus*, natus nimirum *Sept.* XXIII$^{o}$. anni U. C. DCXCI$^{i}$. qui *Conſules* habuit *Ciceronem* & *C. Antonium.* Id ergo videtur voluiſſe *Lucius* (quod tamen nullus, diſertis verbis, quod quidem ſciam, voluiſſe teſtatur Hiſtoricus) non quidem ut *mox* Conſul fieret *Caius*; ſed, pro exemplo *Auguſti*, ut mox *Conſul deſignatus* Conſulatum iniret poſt *Quinquennium* ab ea deſignatione numerandum. Idque ſibi exemplo futurum exiſtimavit, ut eadem, qua frater, ætate etiam ipſe Conſulatum aſſequeretur. Hoc ubi primum innotuit, indignari viſus eſt *Auguſtus*, non quidem *Conſulatum* dari annum Ætatis XIV$^{m}$. agenti *Puero*, ſed repertum eſſe demum qui *vicenario* minor, ſuo tamen ambiret exemplo *Conſulatum.* Hoc ipſe factum *ſuum* per temporum exigentiam excuſavit, optavitque ne qua unquam ſimilis eveniret temporum iniquitas, ſimili nimirum remedio ſublevanda. Quanquam hujus rei *exemplum* non *ſolus* erat *Auguſtus.* *Marium* enim juniorem *Conſulem* ante annos *viginti* creatum teſtatur *Florus.* Sed tempora *Mariana* in exemplum trahere invidioſius erat, non item recentius illud exemplum adhuc jam viventis *Auguſti.* Et quidem poſtea, quod ne fieret *Auguſtus* indignatus eſt; *Senatum* tamen *Populumque Romanum* idem libentes, honoris ſui cauſa, conceſſiſſe *Auguſtus* ipſe in *Marmore* gloriatur *Ancyrano.* Inde conſtat annum ætatis XIV$^{m}$. jam abſolviſſe *Caium* anno DCCXLVIII$^{o}$. quo *Conſulatum* ei rogavit *Lucius.* Atqui *Conſulatum* XII$^{m}$. anno ſequenti DCCXLIX$^{o}$. propterea cepit *Auguſtus*, ut *Caium Ampliſſimo præditus Magiſtratu deduceret in forum*, teſte [g] *Suetonio.*

g Suet. *Aug.* c. 26.

Toga nimirum pura virilique induendum. Spectasse enim hoc ad honorem *Adolescentis* ut à viris primariis in forum deduceretur è *Plinio* juniori intelligimus. Sed vero anni *initio* deductum *Caium* fuisse verisimillimum est, cum *trabeam Consularem* ipse sumeret *Augustus*. Nec enim solebant Consulatus *diu* tenere summi *Principes*. Certe antequam annum ætatis XV^m. attigisset *Caius*, ut è marmore constat *Onuphriano*. Inde post *Quinquennium* decretus est *Caio* Consulatus, XV°. nimirum ætatis anno labente, teste Marmore *Ancyrano*. Sic quidem ille, ut, pro exemplo *Marii*, ipsiusque etiam *Augusti*, ineundus fuerit, XX°. ejusdem anno similiter labente. Recte & illud. *Caium* enim *quinto* ab hoc *Augusti* Consulatu anno, *Urbis* nimirum *Conditæ* DCCLIV°. Æræ nostræ *Christianæ* I°. ætatisque *Caii* XX°. labente, *Consulem* repræsentant Fasti emendatiores. Imo hinc certissime constat, non *Augusto* illum, sed *Caio*, tribuendum esse Consulatum. XX°. ætatis anno *invasum* ab *Augusto* *Consulatum* testis est disertus [h] *Suetonius*. *Solinus* XIX°. anno creatum dicit. Inde palam est XIX^m. duntaxat *absolutum*, XX^m. in *lapsu* fuisse. Imo *maturum viris Caium*, cum secederet *Tiberius*, docet coævus *Vellæus*. Rediit *Tiberius* ab exilio *Rhodiaco* sub COSS. anni U. C. DCCLV^i. eodem teste [i] *Vellæo*, cum *Roma* abfuisset VII. annis, pro eodem *Vellæo*; VIII°. autem anno pro rationibus [k] *Suetonii*. Inde constat VII°. anno *pleno*. VIII°. autem *inchoato*, rediisse *Tiberium*. Imo XII. rediisse ante obitum *Augusti* annis testem habemus *Tacitum*, Anal. VI. 51. Sic anni DCCXLVIII^i. *fini* conveniet *Secessus Tiberii*, & *maturitas* adeo

*h* Suet. *Aug. c.* 26. *i* Vell. *L. II.* *k* Suet. *Tib. c.* 14.

illa *Caii.* Pro eodem etiam exemplo *togam* ſumſit frater alius *Caio* minor, ipſe *Lucius.* Natus & ipſe anno U.C. DCCXXXVII°. ætatis annum XIV^m^. implevit anno ejuſdem Æræ DCCLI°. Quo tamen ſolennius, & majori decore, *togam virilem* ſumeret, *deductus* eſt in *forum* ab *Auguſto Conſulatum* agente XIII^m^. anno nimirum *Urbis* DCCLII°. Inde *deſignatus* poſt Quinquennium *Conſul,* ætatis ſuæ anno ſimiliter XX°. *Urbis* DCCLVII°. Illum tamen annum nunquam attigit, defunctus nimirum menſis *Auguſti* XX°. *Tribunitia* Auguſti *Poteſtate* XXV. ut conſtat è monumento *Piſano,* paulo ante reditum *Tiberii* è ſeceſſu *Rhodiaco.* Quæ notæ annum *Urbis* deſignant, teſte *Velleo,* DCCLV^m^. Illius enim anni Conſule *Vinicio,* (*Vinicii* ad quem ſcripſit *Patre*) *Tiberium* dicit rediiſſe *Velleus.*

III. *Maturata* toga virilis *Neroni.* Sumta nimirum antequam annum XIV. abſolviſſet.

Firmat hanc, quam dedimus, Ætatis virilis diſciplinam, quod *maturatam* dicat in *Nerone virilem togam* Tacitus, cum ille paulo antea ſumſiſſet quam finem illum *Pueritiæ* annum XIV^m^. penitus abſolviſſet. Natus eſt *Nero Decemb.* XV°. poſt *Novem menſes* quam *Tiberius* exceſſit; recte locum *Suetonii* corrigente *Caſaubono.* Iiſdem nempe *COSS.* quibus mortuus eſt *Tiberius, Martii* XVI°. pro *ſuis* nimirum atque *Taciti* rationibus. COSS. illi Magiſtratum geſſere anno Æræ noſtræ XXXVII°. Sic XIV^m^. annum compleverit *Nero Dec.* XV. anni LI^i^. Sed anni *initio* togam ab eo ſumtam innuit *Tacitus.* Ita intelligimus ante annum XIV^m^. *abſolutum* nondum fuiſſe *Jus* togæ ſumendæ. Inde *deſignatus COS.* pro exemplis modo memoratis, in annum ætatis XX^m^. non in *Quinquennium,* ut *Lucius* & *Caius.* Nempe quia tempus *togæ* legitimum non compleverat.

*Secundus*

*Secundus* erat hic Neronis *Consulatus* anno Æræ nostræ LVII°. Quod enim primum Consulatum gesserit an. LV°. id successionis causa factum. Sed secundum illum Consulatum gesturus erat etiam vivente Claudio. Frustra itaque aliam II^i. illius Consulatus rationem quærit Cl. *Pagius*. Inde tamen factum ut in *Principibus* ætas quæcunque sufficeret ad *Consulatum*. *Minores* enim *vicenariis* Consules erant *Commodus*, Severi *filii*, *Diadumenianus*, *Elagabalus*, *Alexander*. Imo ne *biennis* quidem *COS*. erat *Joviani* filius *Varronianus*.

VI. XIV° an. sumenda à *Britannico*, de cujus *ætate* disputatur contra Cl. *Pagium*.

Sed vero, quod ad *ætatem* etiam *Principum virilem* attinebat, non transiit in exemplum toga Neroni *maturata*. Metuebat à *Britannico* jam Imperator ipse *Nero*, *propinquo jam* (inquit *Tacitus*) *die quo quartum decimum ætatis annum Britannicus implebat*. Hæc *Taciti* verba sunt ad annum Æræ nostræ LV^m. recte à *Lipsio* ad *togam* Britannici *virilem* relata. Natus est *Britannicus* II°. Patris *Claudii* Consulatu, non *designato* (ut *Suetonium* intelligit Vir sane in re Chronologica maximus, *Antonius Pagius*) sed gesto, teste disertissimo, (quod non observaverat ille) *Dione*. Huic certe anno Æræ nostræ *Christianæ* XLII°. conveniunt optime notæ, quas habemus de *Britannici* Natali, Chronologicæ. Ait *Neronem Tacitus* Britannico *biennio* fuisse *majorem*. Sed *Neronis* annum Natalem certum faciunt, non ea modo quæ diximus, sed & aliæ quoque Notæ. Annum egit XVII^m. cum *Claudio* succederet *Octobris* XIII°. anni LIV^i. testibus *Tacito*, *Suetonio*, & *Dione*. Egit præterea, cum interficeretur, annum XXXI^m. teste *Dione*, & qui *Dionem* vidit exscripsitque, *Zonara*. Male enim *Suetonius* anno

XXXII°.

XXXII°. extinctum affirmat. Hi numeri à fine anni XXXVII[i]. ducti accuratiſſime reſpondent. Vident itaque Eruditi recte veram eſſe non poſſe receptam illam *Taciti* lectionem. Reponuntque pro *biennio*, alii *triennium*, alii *quadriennium*. Ego potius *quinquennium* exiſtimo reponendum. Ut nempe primam vocis partem notis numeralibus conceperint Librarii, quod ſæpe factum obſervavimus in Codicibus MSS. Binas etiam unitatis notas in notam *Romani* numeri *quinarii* facile coaleſcere ſolitas decuſſatis literarum radicibus, is quoque lapſus ſatis frequens eſt in Codicibus MSS. Et quidem V[i]. anni partem aliquam anno XLII°. emenſum conſtat fuiſſe *Neronem*. Nec ſane obſtat quod *Britannicum* XX°. *Imperii* Paterni *die* natum aſſerat *Suetonius*. Collegit inde Cl. *Pagius* eodem *anno* natum quo *Imperium* ſumſit *Claudius*, adeoque II[m]. illum *Claudii Conſulatum*, non *geſtum* utique, ſed *deſignatum* eſſe duntaxat intelligendum. Sed non puto id voluiſſe *Suetonium*. Didicit ille, ut videtur, *Britannici* Natalem è *Divorum Kalendariis*, in quibus locum habuit, *Suetonii* ætate, *Claudius*. Et quidem in *Kalendario Claudiano* locum etiam videtur habuiſſe *Britannicus*. Proximo certe anno XLIII°. *Prætores* natalem *Britannici* ſponte ſua tam ſpectaculo celebraſſe quam epulo docet *Dio*, qui idem addit, id etiam poſtea à volentibus obſervatum eſſe. Itaque ſub ipſo *Claudio* exemplum ad *Poſteros* etiam manaſſe veriſimile eſt, ut, cum rebus à *Claudio* geſtis quibus *dies* in *Kalendariis* aſſignatos jam ſupra probavimus, etiam filii *Britannici* natalem, ſeu *Prætores* deinde etiam annui, ſeu *ſodales Claudiani*, celebrarint. Hos itaque *Circenſes* in *Britannici* honorem *ludos*, hos item redeuntium Ludorum

dorum indices *Kalendariorum* Faſtos, oportet omnibus fuiſſe notiſſimos. Præſertim *Romanis*, quibus jam aliud nullum quam *Circenſium* & *Annonæ* ſtudium teſtatur fuiſſe *Juvenalis.* Hoc itaque voluit *Suetonius*, poſt *Ludos* Imperii Claudiani *Natalitios* fuiſſe etiam in *Kalendario Claudiano* poſt XX^m^. diem *alios* quibus coleretur natalis *Britannici*. *Dies* enim duntaxat, non item *annos*, ſolebant, ut oſtendimus, antiquiſſima illa deſignare *Kalendaria.* Sed vero annus *Britannici* natalis ex hoc ipſo *Taciti* loco ſatis manifeſto colligitur. Jam enim LV^us^. erat Æræ *Chriſtianæ* annus cum *propinquum* diem quo XIV^m^. ætatis *annum* impleturus erat *Britannicus*, teſtatur Hiſtoricus. Et quidem anni illius non *initium* erat, ſed *finis*, paulo nimirum ante *Saturnalia* quæ à *Decembr.* XVII°. incipiebant. Itaque ad proximum annum Æræ noſtræ LVI^m^. natalis ille Britannici pertinuerit neceſſe eſt, qui annum ejus XIVm. implebat. *Natalis* Claudiani Imperii is ipſe erat, [l] *Suetonio* teſte, dies quo *Caius* occiſus eſt, *Januarii* XXIV^us^. *Suetonium* enim potius ſequor quam *Dionem*, quod & alios veterum habeat ſententiæ ſuæ aſtipulatores, meliuſque conveniat cum *annorum*, *menſium* & *dierum* numeris quibus *Imperium* tenuerit uterque tam *Caius*, quam etiam ipſe *Claudius.* Inde XX^us^. dies erit *Februarii* XIII^us^. quo fuerit natus proinde *Britannicus*, & XIV^m^. etiam ætatis annum abſolverit. Itaque & natus eſt anno XLII°. *Britannicus*, & XIV°. ætatis anno *Virilem*, quod quærebamus, *togam* indutus.

*l* Sueton. *Claud.* c. 11.

Hæc

Hæc itaque Exempla antiquiora erant *Hadriano*. Nec vero alium fuiſſe morem illis etiam temporibus quibus *Pueritiam* exceſſit *Hadrianus*, oſtendunt alia eo adhuc juniora. Poſt illum vixere *Principes* atque *Juriſperiti* quorum memoriam habemus in *Codice* & *Pandectis*, qui certe omnes *Pueritiæ* finem & *Tutelæ* annum faciunt Ætatis XIV^m^. Inde ad annum XXV^m^. *Curationis* ætatem cenſent atque *Adoleſcentiæ*. *Marcus* certe, Imperante *Hadriano*, togam ᵐ *virilem* ſumſit anno ætatis XV°. cœpto nimirum ab *April.* XXVI°. anni CXXXV^i^. Proximis enim *feriis Latinis* Urbi Præfectus eſt, anni nimirum ſequentis *initio*. Mox enim ſequitur in illius vitæ Auctore *diſceptatio Hadriani de Succeſſore in locum Ælii Veri jam nuper mortui ſufficiendo*. Nec aliter fortaſſe *Commodus*. Natus ille eſt *Auguſti* XXXI°. Patre Patruoque COSS. i. e. anno *Chriſti* CLXI°. Eodem die quo & *Caligula*, quem ultimo *Auguſti* natum ait *Suetonius*. Ne etiam de numero aliqua poſſit ſubeſſe ſuſpicio. *Togam* induit *Julii* VII°. eodem die quo *Romulus* non apparuit. Quod Nonis *Quintilibus* factum ait *Plutarchus*. Alibi tamen ita Auctor Commodi: ⁿ *Togam virilem accepit, cum Patre appellatus Imperator V. Calendas Exuperatorias Pollione iterum & Apro COSS.* Sic nempe hodierni Codices ad unum omnes. Sed perperam: quod tamen mirum eſt nondum obſervaſſe doctiſſimos Hiſtoriæ Auguſtæ enarratores. V. *Calendas Exuperatorias* in *Calendario* ſeu Ephemeride *Commodi* V^us^. erat *Calendas Decembres*, quo die certum eſt, ex alio il-

V. XIV°. anno *Marcus* & *Commodus*. Locus in *vitâ Commodi* emendatus.

*m vit. Marc. c.* 4. *n Commod. c.* 12.

lo ſuperiori ejuſdem Auctoris teſtimonio, non eſſe ſumtam à *Commodo* virilem *togam*. Sed nec alterius menſis cujuſpiam *Calendis*, aut *Calendarum V*°. Manifeſtus ergo hic hiatus eſt, *menſis* & *diei* quo *togam* accepit. Qui enim ſequitur v$^{us}$. *Calendas Exuperatorias*, is dies eſt, ni fallor, quo cum Patre *Commodus Imperator* appellatus eſt. Iiſdem tamen *togam* ſumſit fortaſſe COSS. quibus etiam *Imperator* eſt cum Patre appellatus, *Pollione iterum* & *Apro*, anni nimirum CLXXVI$^{i}$. quo XV$^{m}$. fere annum *Commodus* expleverit. Sed quanquam *Julii* VII$^{us}$. prior ſit v°. *Calendas Decembres*; ſuſpicor tamen ad præcedentes potius COSS. referendam eſſe *togæ* ſumptionem. Nuſpiam enim videmus in illa *Commodi* Ephemeride appoſitos *COSS.* niſi in primo anni geſto, cujus fuiſſent COSS. Sic itaque locus univerſus erit, pro Auctoris ſententia, ſupplendus: *Togam virilem accepit [Nonis Aureliis, iiſdem COSS.] Cum Patre appellatus Imperator V. Kalendas Exuperatorias Pollione iterum & Apro Conſulibus, &c.* Sic *togam* ſumſerit *menſe* uno & nonnullis præterea *diebus* antequam annum XIV$^{m}$. expleviſſet; quod quidem veriſimilius: Gratia nimirum Legis Annariæ, propter tumultus Reipublicæ in defectione *Caſſiana*, quo citius Reip. capeſſendæ admoveretur. Jam enim vidimus in *Nerone* ſimile *togæ maturatæ*, pro Reipublicæ uſibus, exemplum. Et *Commodi ætatem* cauſatur mater Commodi [o] *Fauſtina* Epiſtola ad *Marcum* eo ipſo tempore conſcripta. Sic itaque *ætati* conſuluit *Marcus*, ut pro adulto *haberetur*, cum præſertim non multum abeſſet ab annis etiam *Adoleſcentiæ* legitimis.

[o] *ap.* Vulcat. *Caſſ.* c. 10.

VI. Eodem, ut videtur, anno, ante Imperatores, *Marcus* Ciceronis filius & *Virgilius*.

Sic equidem ſe res habuit ſub *Imperatoribus*. Nec multum diverſa erat ætas *togæ* poſtremis *Reipub.* Conſulumque temporibus. Proximus erat *Ciceronis* filius *Marcus*. Huic *togam* dedit [p] Pater, non *Romæ*, ſed *Arpini* in Patria, ipſo illo anno quo erupit Civile bellum inter *Cæſarem* & *Pompeium*, atque unde *Cæſaris* initium deduxerunt *Antiocheni*, COSS. viz. *Lentulo* & *Marcello*, Æræ *Varronianæ* DCCV°. menſe circiter *Aprili*. Natum ait Pater [q] *L. Julio Cæſare, C. Marcio Figulo* COSS. anno Æræ *Varronianæ* DCXC°. Sic XV°. ætatis anno *togam* ſumſerit, vel ad ſummum XVI°. duntaxat inchoato, cum *Aprili* menſe ſumſerit. Hoc certum eſt non pro veteri *Pubertatis* æſtimatione accepiſſe quæ annum ætatis XVII^m^. abſolvebat, ut mox oſtendemus. Ut proinde rectius hic etiam modum illum *Pubertatis* obſervatum ſtatuamus qui eam XIV°. ætatis anno concluſit. Paulo major erat juniore hoc *Cicerone Virgilius*. Natus ille eſt *Octobris* XV°. teſte [r] *Martiale*, teſte apud *Photium Phlegonte Tralliano*, teſte *Tiberio Donato*. Et quidem COSS. *Pompeio* & *Craſſo*. Sic enim Chronicon *Euſebianum* ab *Hieronymo* in rebus *Romanis* interpolatum. Sic & *Tiberius Donatus*. Sic & *Phlegon Trallianus*, qui cum anno componit tertio *Olympiadis* CLXXVII^æ^. qui à *Solſtitio* cœpit *Æſtivali* hujus Conſulatus, anno Urbis *Varroniano* DCLXXXIV°. Et quidem *Solſtitium* ſequebatur *Natalis* in *Octobri*. Itaque audiendi non ſunt *Idatius* & *Chronici Alexandrini* Auctor, qui *ſequentibus* Conſulibus natum volunt. *Togam virilem* cepit *illis COSS. iterum quibus natus*

p *ad Attic. IX. Ep.* 19. q *ad Attic. I. Ep.* 2. r Mart. *XII. Ep.* 68.

*erat*, inquit *Tiberius Donatus*. *Natalis* Ego mentionem in *Donato* nullam video, nec ſcio unde habuerit *Gronovius*. Sed ſi fuiſſet ulla, XVI$^{m}$. natalem fuiſſe oportuit qui ſecutus eſſet annum ætatis XV$^{m}$. abſolutum. Eo enim ſpatio ſunt COSS. *Pompeius* & *Craſſus iterum*, anno nimirum *Varroniano* DCXCIX$^{o}$. Et tamen XVII$^{m}$. *Virgilii* annum illum credidit fuiſſe *Donatus*. Eundemque habet cum *Donato* errorem Chronici *Euſebiani* interpolator *Hieronymus*, niſi quod XVII. illos annos abſolutos intellexerit. Cum enim Natalem *Virgilii* poſuiſſet anno *Euſebiano* 1947. *togam* ſumſiſſe innuit numero *Euſebiano* 1964. Sed è Faſtis conſtat non majus fuiſſe quam XV annorum intervallum. Et quidem ita ut, ſi *togam* ante menſem ſumſerit *Octobrem*, annos non plures XIV *explevíſſe* potuerit. Et quidem ex his *antiquioribus* ipſo etiam *Auguſto* exemplis, rectius *Damaſcenum* ætatem *Auguſti* cum *togam* ſumeret conſignaſſe, quam *Suetonium* intelligimus; nec eſſe adeo cur in loco *Suetonii* jam amplius hæſitent Viri eruditi.

VII. Toga *virili* induti muneribus deinde *Reip.* admoti.

Cæterum induta *virili toga*, exinde liberum erat *Virilia* in Republica munera capeſſere. Ita nimirum ante *Marcum*. Poſtea etiam, præterquam in bonorum adminiſtratione, in aliis præterea omnibus. Ideo *maturatam* dixit [s] *Tacitus Neroni* togam, quo *capeſſendæ Reipublicæ habilis* videretur. Nec id modo in *Principibus*. Eadem erat etiam in Privatis diſciplina. Ita [t] Tertullianus: *Tempus etiam Ethnici obſervant, ut ex Lege Naturæ Jura ſua ætatibus reddant. Nam fœminas quidem à duodecim, maſculum vero à duobus amplius, ad Negotia*

[s] Tacit. *Ann.* XII. 41. [t] Tertull. *de vel Virg. c.* 11.

*gotia mittunt.* Et iterum, [v] *Animæ,* ait, *pariter ac Corpori ſuam eſſe Pubertatem à quartodecimo fere anno.* Additque *Jura Civilia abhinc rebus agendis attemperare.* Jam enim deinde licuit in *foro* adeſſe & *Comitiis,* & *Actiones* intentare & recipere, cum antea eadem ferme *Pueri*, qua & *Mulieres,* Modeſtiæ diſciplina conſtringerentur. Sic *Patris* injuriam vindicavit, eo ipſo die *M. Cotta* Adoleſcens, quo togam ſumſit virilem. [x] *Protinus enim ut e Capitolio deſcendit* (ubi *togam virilem* ſumere ſolebant) *Caium Carbonem, à quo Pater ejus damnatus fuerat, poſtulavit, peractumque reum judicio afflixit, & ingenium & Adoleſcentiam præclaro opere auſpicatus,* inquit *Valerius Maximus.*

VIII.
Ratio forte, cur in *Patriam* migrarit *Hadrianus.*

Itaque, ſi de cauſa, cur in *Patriam, migrarit* potius quam *redierit,* tum primum viſam, *Hadrianus,* conjicere liceat; præter amorem *Patriæ* unde fuerat oriundus, ea quoque alia accedere potuit, quod *rationes* erant à *Tutoribus* reddendæ geſtæ *Tutelæ.* Eas itaque *Romæ* reddidit *Attianus,* Tutor nempe *rerum Italicarum. Trajanum* Tutorem alium *rerum Provincialium,* in ipſa potius *Provincia* rationem reddere oportuit.

IX.
Mox à depoſita *Prætexta*, militare ſolebant *Romani.*

Addit præterea Spartianus, *ſtatim militiam iniiſſe.* Licuit enim, ſumta *toga virili*, etiam inchoare *ſtipendia.* Id nos docet *Cicero* in Oratione pro M. Cœlio: *Nobis quidem* (inquit) *olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga conſtitutus: & ut exercitatione, ludoque campeſtri tunicati uteremur. Eademque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus, caſtrenſis ratio, ac militaris.* Loquitur nempe in

*u* Tertull. *de Anim.* *x* Valer. Max. *L. V. c.* 4. *n.* 4.

causa *Cœlii* Adolescentis, de Romana *Adolescentum* disciplina. *Adolescentiam* autem censebant *Romani* ætatem illam quæ proxime sequebatur *Pueritiam*, quæque adeo à *toga pura* & *Virili* incipiebat ut desiit *Pueritia* in toga *prætexta*. Id vult itaque, eam fuisse modestiæ *Puerilis* disciplinam, ut anno uno postquam *Prætextam* exuissent, & *togam* sumsissent *virilem*, adhuc tamen vestem illam quæ *brachia cohiberet*, ne quidem in *Exercitatione ludoque campestri*, deponerent; ne quidem si *Militiam* inierant, in *Exercitatione militari*, *togati* nimirum, non *sagati*. *Brachium* enim *cohibebat toga*, non item *sagum*, quale in marmoribus videmus, militare. Plane itaque videmus, jam proximo illo à deposita Prætexta, susceptaque toga, anno statim nonnullos mereri cœpisse *stipendia*. Idem indicat [y] *Vegetius* qui antiquam agnoscit consuetudinem, ut ab *incipiente Pubertate delectum facerent*. Sic enim scribit: Et quidem, si *antiqua consuetudo* servanda est, *incipientem Pubertatem* ad delectum cogendam nullus ignorat. *Pubertatem* autem *Romani* XIV°. anno in maribus, in fœminis XII°. concludebant, utrobique nimirum absoluto. Illam certe ætatem constituebant *Matrimoniis* quæ *Pubertatem* in utroque sexu postulabant. Sic etiam loquuntur *Pandectæ* & *Codices* dum *Pupillos* semper *impuberes*, *Adolescentes* vero *puberes* appellant. Ex illo itaque *Vegetii* loco illud intelligimus, ex *incipiente Pubertate* factum esse sub *Consulibus delectum* quo ne liberum quidem erat delectis Militiam recusare. Sub *Imperatoribus* rarior erat ille *delectus*, quod jam constitutæ essent perpetuæ Legiones, supplendæ dun-

y Veget. de re Mil. L. I. c. 4.

taxat,

taxat, ut occaſionem dabant Militum, ſeu *mortes*, ſeu *miſſiones*. Delegit quidem, poſt cladem *Varianam*, *Auguſtus*, in magna illa quæ ſecuta eſt urbis conſternatione, multavitque, pro Veteris Diſciplinæ more, detrectantes, ut è *Dione* diſcimus & *Suetonio*. Et legionem memorat *Galbianam* [z] *Tacitus* à *Galba* in *Hiſpania* conſcriptam. Sed & alios *Principes* Legionum *novarum* Auctores habet *Dio*. Sed non multæ admodum erant Legiones à junioribus Principibus conſcriptæ. Erant enim, in libera etiam Republica, multi qui *Conſules Prætoreſque* in caſtra ſequerentur, in Militum potius *miniſterium*, quam quod fuerint ipſi *Milites*, qui tamen eſſent in militum *defunctorum* locum ſufficiendi. Illos nonnunquam [a] *accenſos*, nonnunquam *rorarios*, nonnunquam *ferentarios*, nonnunquam *adſcriptivos* & *velites* appellant veteres. Eorumque munus ita deſcribunt ut fuerint Conſulum Prætorumque *ſatellites*, ut *tulerint* ipſi *jacula* & *fundas* & *lapides*, ab illo *ferendi* munere dicti *ferentarii*; vel etiam, ut videtur aliis, ab *auxilio ferendo*. Pugnabant enim etiam ipſi in armatura leviori, & *velitationibus*, ab his nimirum *velitibus* ita dictis. Ideo dicti *rorarii* à *rore*, *quia bellum committebant ante*, *ideo quod ante rorat quam pluit*. Verba dedimus ipſa *Varronis*. *Adſcriptivi* autem, quod præter *Legionariorum* numerum Catalogis militaribus adſcriberentur. Sic poſtea milites *Legionarii numeri* appellari ſolent qua erant ab his ſupra numerum militibus *Adſcriptivis* diſtinguendi. *Velites*, de quibus ait [b] *Livius inſtitutum eſſe ut in Legionibus eſſent*, *milites Legionarios*

z Tacit. *Hiſt.* II. 11. *III.* 25. *a Vide* Feſt. *Ferent.* & *Velit.* Varr. *de Ling. Lat. VI. p.* 75. & *Fragm. L. III. de vit. Pop. Rom.* *b Liv. L. XXVI. c.* 4.

in equos ſuos acceperunt, qui, cum ad manus ventum eſſet, equis deſiliebant, & pugna pedeſtri rem gerebant. Sed alii erant tamen *Equites* illi *velites*, alii *Legionarii*, aciemque aliam edebant & pugnæ etiam genus aliud. Itaque ſatis amplus ſuppetebat horum *adſcriptivorum* numerus ſupplendis *Legionibus*, & Legiones etiam ſatis multæ *limitibus* defendendis. Nullæ ergo erant, vel raræ admodum, ſiquæ forſan ullæ, invitorum conſcriptiones, ſed libere potius plerunque, & propria ſponte, ſeſe offerentium. Quo tamen ſeſe libentius offerrent, in cauſa erat, quod nec *Magiſtratus* iu Repub. ampliſſimos petere conceſſum ſit, niſi certo quodam abſoluto *Stipendiorum* numero; & quod *Jura* haberent ampliſſima *Milites* in *Peculio Caſtrenſi*, etiam *filii familias*, & in cauſis *Teſtamentariis*; & quod *Emerita* haberent & *Immunitates* honeſte miſſi *Veterani*. Hæc enim erant præmia Militum etiam *gregalium*, quibus Jus nullum erat ad *honores*, ſaltem ſub Imperatoribus, nec *ſtirpe* nimirum, nec *cenſu*, Nobilibus. Utcunque tamen qui *coacti* etiam in Militam, ſub libera Republica, *deligebantur*, illos omnino veriſimile non eſt à Militia *arcuiſſe* Imperatores. Poterant quidem, diverſis temporibus, de *annis Pubertatis* diverſæ *Juriſconſultorum* fuiſſe *ſententiæ*. Sed vero, quin ab *anno Pubertatis*, quicunque demum is fuiſſet, milites *deligendi* fuerint, in eo nullum illis fuiſſe puto ſententiarum diſſidium; ſed nec de eo *Pubertatis anno* XIV°. ſaltem ætate *Hadriani*. Confirmant porro ætatem illam *Tyrocinii* Inſcriptiones, in quibus legimus: MILITAVIT. AN. X. VIXIT. ANN. XXV. Confirmant etiam quæ ſuperiori Prælectione diſſeruimus de ætate *Trajani*

cum

cum *Parthicam* lauream mereretur. Fieri enim poteſt ut fuerit minor, cum *Puerum* dicat *Plinius* & *Militiæ* ejus *incunabula* potius quam *Tyrocinium*; vix potuit ætate, quam dixi, fuiſſe major. *Legitima* itaque *ætate Militiam* eſt ingreſſus *Hadrianus*.

X. Olim anno XVII°. abſoluto *Militiam* inibant, à tempore *Servii Tullii* ad an. U. C. circiter DC.

Longe *antiquiorum* erat *temporum* cenſus ille *Servii Tullii*, qui forte primus *Militiæ* certam *ætatem* conſtituit, ut primus *cenſum* fecit in quo *ætatis* pariter ac *Divitiarum* ratio haberi ſolebat. *Pueros* autem ille omnes XVII°. ætatis anno appellavit, & ab anno demum XVII°. proinde *integro*, *milites* ſcripſit, teſte apud [c] *Gellium Caio Tuberone*. Hoc ideo notaſſe Tuberonem ſcribit *Gellius*, ut diſcrimina quæ fuerint, judicio moribuſque majorum, *Pueritiæ*, *Juventæ*, *Senectæ*, ex iſta cenſione *Servii Tullii* prudentiſſimi Regis noſcerentur. Cum *Majorum judicio* illam tribuit *Pueritiæ* notionem; cum hæc ab eo notanda eſſent, ut noſceretur illa *majorum Pueritia*: palam innuit jam aliquot ante *ætatem ſuam* Sæculis exoleviſſe illum *majorum morem* in cenſenda *Pueritia*. Ita nimirum longo intervallo, ut, ni didiciſſent illud è *Scriptis*, ne quidem cognituri eſſent vel *Tuberoni* ipſi coævi *Romani*, fuiſſe illum majorum ſuorum aliquando morem. Et quidem morem illum antiquum revocare conatus eſt *Caius* [d] *Gracchus*, Lege *Tribunitia*, ne quis minor XVII annis cogeretur militare. Monitus fortaſſe hiſtoria illa æmuli ſui *Tuberonis*, de moris antiquitate, cum eſſet alioqui ipſe homo rerum novandarum ſtudioſiſſimus. Sed vel inde conſtat jamdiu in deſuetu-

c Gell. *Noct. Att.* X. 28. d Plutarch. *C. Gracch.*

dinem abiisse *consuetudinem* illam quæ Lege *nova* revocanda erat. Et plane cum extincto *Graccho*, & Legem quoque illam, quam tulerat, abrogatam fuisse verisimillimum est. Ostendunt hoc exempla illa temporum *Consularium* à nobis prolata *Virgilii* atque *Ciceronis filii*, Imperatoribus antiquiora. Proinde admodum hallucinatos fuisse necesse est Viros illos alioqui eruditissimos qui ex hac *Gracchi* Lege colligunt quæ fuerit *Militaris ætas*, etiam sub *Imperatoribus*. Hinc certe constat non diu tenuisse Legem *Gracchi* illam, si tamen suus ille conatus *Graccho* ad eventum usque processerit. Quod tamen ipsum est incertum. Cæsus autem est *Caius* ille *Gracchus* anno U.C. *Varroniano* DCXXXIII°. cum per *biennium* Rempub. novis illis suis Legibus perturbasset. Ita ante annum circiter DC^m^. exoleverit oportet *ætas* illa *Pubertatis* pro censu *Servii Tullii*. Nec tamen *diu* ante annum illum potuit exolescere. Habemus enim *ætatis* illius vestigia apud *Livium*, non in *primis* modo, proximorumque *Servio* temporum Libris, sed in ipso etiam bello Punico secundo. Anno illius Belli III°. U.C. DXXXVIII. [e] *Dictator M. Junius & T. Sempronius Magister Equitum juniores ab annis XVII. & quosdam prætextatos scribunt.* Hic sane annus ille XVII^us^. ita citimus erat *militiæ*, etiam in junioribus limes, ut qui ætatem illam nondum attigissent illi *Prætextatis* accensiti fuerint. Nec aliter in anno ejusdem belli VII°. U.C. DXLII°. Tum enim *Senatusconsultum* factum, ut [f] *Siqui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent, milites fierent.* Quæ vero illa esset ætas militaris

e Liv. *L. XXII. c.* 27. f Liv. *L. XXV. c.* 5.

ostendit

ostendit *Plebiscitum* pro SC[i]. Auctoritate atque sententia constitutum, *ut qui minores septem & decem annis Sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent ac si septem & decem* [sic enim legendum, non *viginti*] *annorum aut majores, milites facti essent.* Eo nimirum spectavit illud *Plebiscitum*, ut *stipendiorum* numerus ab eo quoque minorenni ætate arcessitus Jus idem conferret ac si à *legitima ætate* cœptus fuisset, ut tanto nimirum citius seu *honores* post stipendia legitimos, seu *vacationem missionemque*, seu etiam *Emerita* consequerentur. Anno ejusdem belli x°. U. C. DXLV°. Censores illos [g] *qui principio belli XVI. annos nati fuerant, nec militaverant, ærarios fecerunt.* Rectius tamen ut existimo hic etiam XVII. reponemus. Hanc enim fuisse ætatem militarem belli hujus initio, jam satis, ut opinor, evicimus. Imo post annum illum supersunt adhuc superioris *Servii Tullii* de *Pubertate* constitutionis vestigia. In fœdere cum *Antiocho* paciscuntur *Romani* ne obsides acciperent [h] *minores octonum denum annorum*, *neu majores* quinum quadragenum. Si quidem annos illos XVIII. intellexerint cœptos, & XLV. erunt pro censu *Servii Tullii* obsides illi viri inter *Pueritiam Senectutemque* medii. Ictum est hoc fœdus anno *Varroniano* DLXVI°. Postea bello in *Perseum Macedonico*, anno ejusdem Æræ DLXXXIII°. *illud præcipuum* (inquit [i] *Livius*) *datum sorti Macedoniæ, ut Centuriones militesque veteres scriberet quos vellet Consul usque ad quinquaginta annos.* Milites hic *veteranos* agnoscit L annis minores. Plane pro constitutione *Servii Tullii*, qui annos natis XLV missionem concessit. Postea certe, cum annum XIV[m].

g Liv. *L. XXVII. c.* 11. h Liv. *L. XXXVIII. c.* 38. i Liv. *L. XLII. c.* 31.

pro

pro *Pubertatis* termino legitimo habebant, *Senectutis* etiam terminum missionibus legitimum annum habebant non XLV^m^. sed LX^m^. Ita certe [k] *Plinius* junior. Rursus anno DLXXXVII. filium *Æmilii Pauli* annos XIV. natum *prætextatum* idem dicit [l] *Livius*. Et annum XLV^m^. missioni legitimum anno U. C. DLXXXV. ostendunt verba ab illius lustri *Censoribus* antiquo Civium jurijurando addita: [m] *Tu minor annis sex & quadraginta es, tuque ex dicto C. Claudii, Tib. Sempronii Censorum ad delectum prodito: Et quotiescunque delectus erit, quicunque Censores Magistratum habebunt, si miles factus non eris, in delectu prodibis.* Omnino *quinque* & *quadraginta* legendum, è notis nimirum numeralibus (in quibus error proclivior erat) in verba mutatis, errore orto. Nec enim erant qui unico anno addito terminum *Senectutis* à *Servio Tullio* præfixum Lege nova augebant. Hinc facile intelligimus à *Censoribus* anno certe DXC°. recentioribus mutatos esse illos *Pueritiæ Senectutisque* modos. *Censoria* enim illa *Potestate* ut *Servius Tullius lustrum* condidit, sic etiam *ætates* Civium *censusque* ordinabat. Nisi forte Legi *Villiæ Annali*, sub hujus Sæculi finem latæ, eam mutationem potius assignemus.

XI.
*Exempla* utriusque *Ætatis Militaris* à *Græcis* desumta sunt.

Et quidem horum omnium, ut & aliorum plerorumque exempla à *Græcis* migrasse videntur ad *Romanos*. Cives etiam illi suos pro *ætatis* pariter ac *Census* ratione disponebant. Et quidem apud *Athenienses* à XVIII°. demum anno militiam inibant, δοκιμασθέντες nimirum, & *Ephebis* accensiti. Sed *cœptus* duntaxat intelligendus

*k* Plin. *VI. Ep.* 23. *l* Liv. *L. XLV. c.* 40. *m* Liv. *L. XLIII. c.* 14.

est

eſt annus XVIII[us]. *Demoſthenem* certe *ſeptennem* reliquit *Pater*; poſt x inde annos *Tutela* liber, ut ex ipſo colligitur [n] *Demoſthene*. Tum *militiam* inibant, ſed *domeſticam* adhuc ἐν περιπόλοις, in limitaneis Patriæ præſidiis. Poſtea ἐπὶ διετὲς ἡβήσαντες, anno ætatis XX°. Λεξιαρχικῷ γραμματείῳ, ſeu λευκώματι (utroque enim modo loquuntur *Græci*) inſeri ſolebant, teſte *Polluce*. Inde ἄνδρες cenſeri ſolebant, & *Patrimonii* Jus plenum aſſequebantur, & ad bella etiam *externa* in hoſticum ducti, ut nos docent, partim *Pollux*, partim *Harpocration*. Sed anno demum XL°. ſtipendia abſolvebant, ſi quidem *Ulpianum* audiamus. *Harpocration*, uſque ad annum LX[m]. militiam duraſſe teſtatur, ſi quidem fides Codicibus ejus hodiernis. Rectius tamen ipſum audiemus in Textu [o] *Demoſthenem*, qui annum memorat eundem quem conſtituerat *Romanis* ſuis *Servius Tullius*, XLV[m]. Et quidem coævos per *decennia* aut etiam *quinquennia* diſtinxerunt, ſic quidem ut in eaſdem diviſiones diſtribuerentur cum ſuis *coætaneis*. Idque tam in *Militia*, quam etiam in *Comitiis*. Sic τριακοντέτεις & τεσσαρακοντέτεις legimus apud *Xenophontem*. Hinc etiam in ſuffragiis *Centuriæ Juniorum Seniorumque* à *Livio* memoratæ. Sic equidem ut pro omnium bellicoſiſſimis illos habuerit [p] *qui minores quinque & triginta annis erant*. Erat præterea & alterius ætatis Militaris à *Græcis* etiam exemplum. *Acarnanas* enim ab anno XV°. ad LX[m]. armatos apud eundem legimus [q] *Livium*. Sed & illa quoque *Ætas militaris* apud *Græcos* recentior fuiſſe videtur, ut fuit apud *Romanos*. Poſtulabat ni-

*n* Demoſth. *Or. in Aphob.* *o* Demoſth. *Olynth.* 3. *p.* Liv. *L.* XXII. *c.* 11. *q* Liv. *L. XXVI. c.* 25.

mirum uſus Reip. nonnunquam, ut Cives quamplurimos in armis haberent. Idque, cum in rebus arctis non male ſucceſſiſſet, manavit deinde ad Poſteros in exemplum. Recte itaque primum *Hadriani* ſtipendium anno xc°. aſſignavimus. Redeamus jam ad noſtrum *Spartianum.*

XII. *Judex* Hadrianus anno forte xcv°. *Tribunus* anno XCVI°.

Sequitur: *Quare à Trajano abductus à Patria, & pro filio habitus.* Hoc ſupra diximus, eodem anno factum quo *Romam* conceſſit ad *Conſulatum* capeſſendum ipſe *Trajanus*, quem quidem geſſit *Ordinarium* anno Æræ noſtræ xci°. Hujus anni initio annum ætatis xv^m^. abſolvit *Hadrianus*, ſic quidem ille ut pars anni ejuſdem longe maxima in annum *Hadriani* incurrerit xvi^m^. Sic recte illa ſubjunxerit Spartianus: *nec multo poſt decemvir ſtlitibus judicandis datus.* Pro ea quæ valuit, ætate *Ulpiani*, Diſciplina, *Judex* fieri non potuit niſi qui xviii^m^. annum ætatis *expleviſſet.* Explevit autem *Hadrianus* annum illum initio anni *Chriſti* xciv^i^. Ut proinde ipſo illo anno *Judicem* egerit, ſi quidem *Judicis* illud munus *non* fuerit annuum. Sin autem fuerit *annuum*, & xviii^m^. ætatis annum in *Candidato* expletum poſtularit, nec alio tempore iniri ſolitum quam quo *cæteri* plerique *Magiſtratus*, Kalendis nimirum ipſis *Januariis*; ſic *Judicandi* munus ſequenti potius *Januario* ſuſceperit, anni nimirum xcv^i^. [r] *Adlegerat* quidem *Auguſtus Judices* xx°. ætatis anno, *labente* ſcilicet. Sic enim legendum eſſe jamdiu viderunt Viri eruditiſſimi *Cujacius* & *Caſaubonus*, pro] eo quod in hodierno legitur *Suetonio*, xxx°. Erat fateor apud [ſ] *Græcos* annus *Judicis* legitimus xxx^us^.

r Suet. *Auguſt. c.* 32. ſ *Vid.* Petit. *ad Leg.* Attic.

Hæc

Hæc autem *olim*, & *Romanis* exempla eſſe poterant ſub *Conſulibus*. Ut autem *Judicis ætas*, jam etiam ante *Auguſtum*, contracta eſt ad annum XXV^m. Ita ad annum XX^m. ipſe contraxit *Auguſtus*, ad XIX^m. *junior* aliquis *Auguſto* Princeps, qui tamen fuerit antiquior *Hadriano*. Rurſus ætatem quæ fuerat ante *Auguſtum* legitima, reſtituit annorum XXV. junior *Hadriano* alius, antiquior [t] *Ulpiano*. Sequitur deinde in Spartiano: *Atque inde Tribunus* II^æ. *Adjutricis Legionis creatus. Poſt hoc in inferiorem Mœſiam tranſlatus, extremis jam Domitiani temporibus.* Hæc ita corrigit è *Regio* Codice *Caſaubonus*, ut pro una eademque habuerit *Hadriani* promotione, quaſi uno eodemque tempore *Hadrianus Tribunus* Legionis creatus fuerit, & in *Mœſiam inferiorem* tranſlatus. Sed *Codicum* plurium *Editionum*que Auctoritate defenditur Lectio recepta, in quibus etiam eſt Editio *Egnatiana*. Ea certe *Salmaſio* potius favet, qui pro *duabus* habet *promotionibus*. Itaque *Legionis* II^æ. *Adjutricis* Tribunus factus eſt *Hadrianus*, anno proximo XCVI°. quo *Judicis* officio ceſſerit, ſi quidem munus *Judicis* fuerit *annuum*. Hoc autem *Tribuni* munere functus eſt in *inferiori Pannonia*, qua conſtituta eſt ab *Auguſto* Legio II^a. *Adjutrix*, teſte *Dione*. Et quidem ut hæc intelligamus, juvat junior [u] *Plinius*. Docet nos ille *Servianum* legatum (*Trajani*, ut videtur) primo in *Germania* fuiſſe, inde in *Pannoniam* migraſſe. *Servianum* certe ſub *Trajano* meruiſſe noſter innuit [x] *Spartianus*. Id ſimul innuit, ſimul cum *Serviano* noſtrum fuiſſe *Hadrianum*, cum in morte

*t* Ulpian. *Dig. L. Tit. IV. n.* 8. *u* Plin. *L.VIII.Ep.*23. *x* Spart. *Adr. c.* 2.

te *Nervæ* nuncianda, *Serviani* eum impedientis *beneficiarium anteverteret.* Sub *finem* autem *anni*, ante menſem *Octobrem*, vere *extremis Domitiani temporibus*, tranſlatus eſt *Hadrianus* in *Mæſiam*, itidem *inferiorem.* Utraque hæc Provincia *Germaniæ* erat finitima, quo jam obſervavimus, ſuperiori anno miſſum à *Domitiano* fuiſſe *Trajanum*, objectumque ferocienti de nupera victoria *Decebalo.* A quo autem tranſlatus fuerit, illud fateor incertum eſſe, ſeu nimirum hoc *Trajanus* ipſe à *Principe* impetraverit, ſeu *ſponte* ſua id fecerit *Domitianus* ut propinquus avunculo eſſet *Hadrianus*; ſeu denique illam tranſlationem præceperit ipſe *Trajanus.* Hoc ultimum ego verius exiſtimo propter ea quæ [y] ſuperius obſervavi de *Tribunatibus* Militum *Ducum* poteſtati permiſſis. Quo autem tempore in *Pannonia* erat *Trajani* legatus *Servianus*, eo ipſum in *Germania* fuiſſe veriſimile eſt, unde & *lauream Germanicam* teſtem rerum in *Germania* geſtarum miſit ad *Nervam.* Et quidem hinc intelligimus quam apte ſecum conveniat illa, quam dedimus, Chronologia. Ut *Tribunatum* illum in *Pannonia* primum, deinde in *Mæſia, Domitiano* etiamnum Imperante, obierit *Hadrianus*; reliqui certe, quos *ante* Tribunatum geſſit *honores* ſic arcto invicem intervallo cohærent, ut obiri vix potuerint ni illis, quibus illos aſſignavimus, annis obierit *Hadrianus.* *Trajano* autem *à Nerva adoptato ad gratulationem exercitus miſſus in Germaniam ſuperiorem tranſlatus eſt* inquit *Spartianus.* *Adoptio* illa facta,

y *Præl. V. in Sp. Adrian.* §. 5.

ut alibi [z] oſtendimus, menſe, circiter, *Octobri* anni xcvii[i]. Miſſus ille poſtquam nuncius *Roma* *Germaniam* veniſſet, qua egit *Hadrianus*, *ſuperiorem*, quem quidem nuncium *Novembris* initio veniſſe crediderim.

z *Append. ad Diſſ.* Cypr. §. 42.

Præle-

# *Prælectio* VI. *ad Spart.* Hadrian.

DECEMB. 12. 1690.

## *Non ſuſcepit* Trajanus *Imperium* Coloniæ Agrippinæ, *ut male hactenus*, Victore *Epitomatore &* Eutropio *Auctoribus, crediderunt Viri eruditiſſimi.*

*Fuit* Trajanus *in* Mœſia *cum nuncium accepit de morte* Nervæ. §. I. Pacis *conditiones à* Decebalo *propoſitæ*. §. II. *De hoc ipſo tempore intelligenda verba* Dionis; *non de bello* Dacico primo, *ut voluiſſe videtur ipſe* Dion. §. III. Coloniæ, *ne quidem initio* Adoptionis, *adeſſe potuit* Trajanus. *Res erat ei præcipue cum* Marcomannis. §. IV. *Literas de* Victoria *Germanica* laureatas *miſit e* Pannonia. §. V. *Poſt* literas *illas adhuc in* motu *erat* Trajanus. §. VI. Trajano *in* Mœſia *conſtituto, ut nuncium* Roma *per* Germaniam ſuperiorem *detulerit* Hadrianus. §. VII. Itinerum Temporumque *ordo quo uſus eſt in omni hac Expeditione* Trajanus. §. VIII.

*Ib. c.* 2.

I. Fuit *Trajanus* in *Mæſia* cum nuncium accepit de morte *Nervæ*.

PErgit Spartianus: *Ex qua feſtinans ad Trajanum ut primus nunciaret exceſſum Nervæ, à Serviano ſororis viro (qui & ſumptibus & ære alieno ejus prodito Trajani odium in eum movit) diu detentus, fractoque conſulte vehiculo tardatus, pedibus iter faciens, ejuſdem Serviani beneficiarium*

*ciarium antevertit.*] Hæc verba, Auditores, expendenda ſuſcepi, quod non viderint viri Eruditiſſimi ubinam loci fuerit *Trajanus* cum nuncium de *Nervæ* obitu acciperet. *Coloniæ* illum *Agrippinæ* fuiſſe exiſtimat *Caſaubonus*, quod dicat illum *Victor* Epitomator apud *Agrippinam nobilem Galliæ coloniam* Imperium ſuſcepiſſe. Nec refragatur, ut ſolet erranti, hoc in loco, *Salmaſius*. Verum dixerit fortaſſe *Victor* de primo Imperii *nuncio* cum adoptaretur à *Nerva Trajanus*. Atque ea fuerit fortaſſe ratio cur in *Germaniam ſuperiorem*, quo propior adeſſet *Trajano*, tranſlatus fuerit *Hadrianus*. Sed non recte inde colligit *Caſaubonus* ibidem fuiſſe cum alius ille de *Nervæ obitu* nuncius ad illum eſſet perferendus. Ego illum in *Mœſia* potius tunc fuiſſe cenſeo, ad ripam *Danubii*, è regione *Daciæ*. Captabat enim illam occaſionem *Decebalus* langueſcentis præ ſenio *Nervæ* & *Prætorianorum* militum tumultibus jam nihil fere *Imperatoris*, præter *nomen*, retinentis; imminebatque ipſis Imperii finibus, bellum illaturus, ni promiſſum à *Domitiano* tributum *Romani* exſolverent. Atque hanc fuiſſe cauſam puto cur *Romam* tam *ſero* venerit *Trajanus*. Secundum enim ejus *Conſulatum* qui hoc ipſo anno fuit quo obiit *Nerva*, XCVIII°. *geſtum* ait Plinius [a] *juxta barbaras Gentes, ut illi ſolebant, quibus erat moris paludamento mutare prætextam, ignotaſque terras victoria ſequi.* Ait illum *imminuiſſe minacibus ripis tutum quietumque, ſpreviſſe barbaros fremitus, nec armorum magis quam togarum oſtentatione compeſcuiſſe.* Sed nimis illa (inquietis) generalia ſunt, nec ſatis adhuc conſtat quinam illi fu-

*a Panegyr. c.* 56.

erint *minaces Barbari.* Interim *Germani* certe esse non poterant, quos nuper vicerat, à quibus etiam nomen *Germanici* reportaverat idem ipse *Trajanus.* En vero clariora. Idem dicit Plinius [b] *adsedisse* Trajanum *ferocissimis Populis, eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum* (inquit) *nobis, cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.* Iterum: [c] *Magnum est* (inquit) *Imperator Auguste, magnum est, stare in Danubii ripa, si transeas, certum triumphi, nec decertare cupere cum recusantibus, quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur.* Palam est non *Coloniæ Agrippinæ*, nec prope *Rhenum*, sed *Danubium*, hæc fecisse *Trajanum. Danubius* certe erat qui *gelu duratus ingentia* solebat *bella transportare.* Ne alia gentium *Transdanubianarum* bella memorem, vel hoc ipso, de quo agimus, bello erat id abunde manifestum. Prælia *Trajani* cum *Decebalo* super ipsum *Danubium* narrat *Dio.* Et *pontem* ait propterea struxisse *Trajanum* ne *congelato*, ut solebat, hyeme *Danubio* coloniæ illæ *Romanorum Transdanubianæ* hostibus proderentur. Cur vero *feroces*, cur *minaces* illi fuerint hostes, alibi exponit. Dicit illos [d] *invasisse Imperium*, dicit *contempsisse.* Tum deinde de *Domitiano* addit, *cujus pulsi fugatique, non aliud magis habebatur indicium, quam si triumpharetur.* Quanquam *Domitianum* hoc in loco non memoret de *nomine*, alium tamen neminem intellexisse manifestum est. Ad eundem spectant & illa postea: [e] *Accipimus obsides ergo, non emimus, nec ingentibus damnis immensisque muneribus paciscimur, ut vicerimus.* Ad eundem & illa. [f] *Accipiet ergo aliquando Capitolium,*

*b Panegyr. c.* 12. *c Ib. c.* 16. *d Ib. c.* 11. *e Ib. c.* 12.

*non inanes currus, nec falsæ simulacra victoriæ.* Fuerat enim à *Dacis* fusus fugatusque *Domitianus*, *emerat* tamen ab illis *obsides*, & *Romæ* de illis *triumphavit.* *Dacos* itaque eosdem hostes qui *Domitianum* fugaverant, arcuit jam ab Imperii finibus *Trajanus.* Ab illa enim victoria eorum in *Domitianum* factos illos animosiores testatur aperte Plinius. [g] *Ergo sustulerant* (inquit) *animos, & jugum excusserant, nec jam nobiscum de sua libertate, sed de nostra servitute certabant, ac ne inducias quidem nisi æquis conditionibus inibant, legesque ut acciperent, dabant.* Hinc intelligimus cur tempus illud *hostibus amicissimum*, recenti nempe victoria ferocientibus, *Romanis* vero *difficillimum*, dicat *Plinius.* Quid vero manifestius esse potest verbis illis *Plinii Decebalum* duntaxat non de *nomine* describentis? [h] *Quod si quis barbarus Rex eo insolentiæ furorisque processerit ut in am tuam indignationemque mereatur; næ ille sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defenditur, omnia hæc tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque sibi non classes nostras, sed terras ipsas, arbitretur.* Flumen illud immensum *Danubius* erat, montes præcipites non alii quam *Dacici* tam à *Statio* in bello Dacico *Domitiani*, quam à *Dione* in nostri etiam *Trajani* bello Dacico secundo memorati. Qui itaque *Daciæ* situm verbis adeo describit luculentis, quem, quæso, *Regem barbarum* ob oculos alium habere potuit quam illum *Daciæ Decebalum*?

g *Ib. c.* 11. h *Panegyr. c.* 16.

II. *Pacis* conditiones à *Decebalo* propositæ.

Et vero *conditiones* illas quas *æquas* vocat *Plinius* (*Dacis* nimirum, non *Romanis*) è *Dione* intelligimus. Causas enim belli quo adortus est *Decebalum Trajanus*, illas recenset: [i] Ἐστράτευσεν (inquit) ἐπὶ Δάκους, τά τε πραχθέντα αὐτοῖς λογιζόμενος, τοῖς τε χρήμασιν, ἃ κατ᾽ ἔτος ἐλάμβανον, βαρυνόμενος, τάς τε δυνάμεις αὐτῶν αὐξανομένας, καὶ τὰ φρονήματα ὁρῶν. Videmus hic *elata* fuisse *Dacorum* φρονήματα, *auctas* indies eorum *copias*, & τὰ πραχθέντα, *hostilia* nimirum quæ illis objecerat *Trajanus*. Videmus *æquas conditiones*, & *leges datas* ut acciperent, *excussum* à suis cervicibus *jugum*, & de *Romanorum servitute* certamen, cum *tributum annuum* exigerent, nec vel *inducias*, nisi hac tam iniqua *Romanis* conditione, concederent. Has *Leges* dederunt *Daci* ut *acciperent*. Sic enim cum *Romanis*, Imperio florente, transigere solebant Barbari, quasi, cum vel maxime *Leges darent*, viderentur tamen *accipere*. Sic *obsides* vendebant *Domitiano*, & *Captivos* in *triumphum* ducendos. Sic & *Pacem* sæpe *tributis annuis*, vendebant Imperatoribus, quæ tamen *tributa*, non infami nomine *tributorum*, sed *honorariorum* & *donativorum*, & *liberalitatis* insigniebant. Ita nimirum & *lucro* suo consulebant *Barbari*, & *honori* suo *Imperatores*.

III. De hoc ipso tempore intelligenda verba *Dionis*, non de bello *Dacico primo*, ut voluisse videtur ipse *Dion*.

Nec vero de alio *tempore* intelligenda sunt verba illa *Dionis*, Πυθόμενος δὲ ὁ Δεκέβαλος τὴν ὁρμὴν αὐτοῦ ἐφοβήθη. Quanquam ipse ad primum *Trajani* bellum retulerit, *Romam* nempe jam reversi, in hujus Imperii temporibus, non adeo, ut solet, accuratus. Sic enim hunc *Trajani* impetum describit *Plinius*, ut

*i Xiph.* Trajan.

metum

*metum hostium* manifestum indicet, ut *certum victoriæ* & *triumphi* Trajanum dicat, ut pugnam *detrectarint hostes*, ut qui paulo antea Imperium Romanum contempserant, eos *Trajanus* ipse contempserit. Postquam enim hostium insolentiam elatosque antea animos memorasset, jam plane alios fuisse indicat ubi accessisset ad eorum fines cum exercitu [k] *Trajanus*. *At nunc rediit omnibus terror & metus, & votum imperata faciendi*. Habemus, ecce, illum *Decebali* φόβον à *Dione* memoratum. Proinde *obsides* dedit *Decebalus*: *Accipimus* (inquit *Plinius*) *obsides*, *non emimus*, quod fecerat *Domitianus*. Imo *supplex* pacem *ipse* rogavit qui paulo antea ne *inducias* quidem nisi *æquis conditionibus*, voluit accipere. *Rogant* (verba sunt *Plinii*) *supplicant*; *largimur*, *negamus*, *utrumque ex Imperii majestate*; *agunt gratias qui impetraverunt*; *non audent queri quibus negatum est*. Et paulo postea: *Sed ubi in proximo Tu*, *non secus ac si mutatæ temporum vices essent*, *illi quidem latibulis suis clausi tenebantur*, *nostra agmina percursare ripas*, & *aliena occasione*, *si permitteres uti*, *ultroque hyemem suam barbaris inferre gaudebant*. Hic itaque habemus in ipsis *Danubii* ripis *Trajanum*, habemus in *proximo*. Ut *ne* dubitemus fuisse qua proxima erat in *Daciam trajectio*.

IV. Coloniæ ne quidem initio *Adoptionis* adesse potuit *Trajanus*. Res erat ei præcipue cum *Marcomannis*.

Sed *Coloniæ Agrippinæ Trajanum* dicit *Imperium sumpsisse Victor* Epitomator. Inde majus est spatium quam ut qui nuncium acceperit ibi *Adoptionis* suæ & *Imperii* sub finem anni XCVII[l]. mense fortasse *Novembri* aut *Decembri*, is idem *Februario* sequenti quo mortui *Nervæ* nuncium acceperit ipsis *Da-*

[k] *Panegyr*. c. 12.

*ciæ* finibus adfuerit. Sed de eo ipſo me dubitare fateor, verumne fuerit quod tradidit Victor, *Coloniæ Agrippinæ* primum de Imperio nuncium accepiſſe *Trajanum*. *Germaniæ* præfuiſſe fateor. Sed longe patebat lateque *Germania*, pro illorum temporum cenſu, tamque *Danubium* attigit quam *Rhenum*. Et quidem *Danubio* propiorem quam *Rheno Trajanum* eo etiam ipſo tempore fuiſſe cenſeo quo primum ſuæ adoptionis nuncium accepit. Imo nec longe ab illis ipſis, de quibus agimus, finibus *Daciæ*. Cur illum ex *Hiſpania* in *Germaniam* evocarit *Domitianus*, rationem jam fuiſſe obſervavimus, ut barbarorum illorum progreſſus repelleret à quibus victus fuerat ipſe *Domitianus*. Atqui *Domitianus* cum *Marcomannis* rem habuit ac *Decebalo*. Fugatus enim à *Marcomannis Domitianus* miſit ad *Decebalum*, impetravitque ab eo inducias quas tamen paulo antea roganti *Domitiano* negaverat. Hoc diſcimus è *Dionis* Fragmentis è *Conſtantini Prophyrogenetæ* Libro de Legationibus à *Fulvio Urſino* editis. Sic enim ibi legimus: [l] Ὅτι ὁ Δομετιανὸς ἡττηθεὶς ὑπὸ Μαρκομάννων καὶ φυγὼν ἔπεμψε διὰ ταχέων πρὸς τὸν Δεκέβαλον τὸν Δακῶν βασιλέα, καὶ ἐς σπονδὰς αὐτὸν ὑπηγάγετο, ἃς πολλάκις αἰτήσαντι αὐτῷ πρότερον οὐκ ἐδεδώκει. Inde manifeſtum eſt nec longe à *Dacis* illos fuiſſe *Marcomannos*. Memorantur præterea in 2°. hoc de quo agimus, bello Domitiani *Germanico*, & *Catti* à [m] *Statio* in *Lachrymis Hetruſci*, cum iiſdem de quibus diximus, *Marcomannis*; *Catti* etiam [n] *Suetonio*; [o] *Sarmatæ* à *Statio* & *Martiali*. Memorat *Martialis Peucen* VII. 6. & *hibernam Arcton* ib. & *Rhenum* ib. & *Iſtrum*.

*l* Porphyrog. περ. Πρεσβ. *n.* 50. *m Sylv. III.* 3. *n* Suet. *Dom. c.* 6. *o* Statius. *ib.* Martial. *VII.* 5.

Unde

Unde intelligimus, eo bello, univerſam fere, qua patebat, in armis fuiſſe *Germaniam*. *Locum* tamen belli *Iſtrum*, ni fallor, deſignat idem *Martialis*. Itaque Captivum à *Marcellino*, qui bello illi interfuerat, ab *Iſtro* mittendum pollicetur VII. Ep. 79. Inde *Victorem Iſtri* Domitianum ſalutat VIII. 2. *Iſtrumque* in eadem cauſa memorat etiam [p] *Statius* Abſcantii in *Priſcillam* pietate. Inde facile colligimus rem eſſe geſtam in confinio *Danubii*. Quod ſi accurate eam Danubii *partem* deſignet quæ *Iſter* ſolebat à *Græcis* appellari, jam certe longe à *Dacia* diſtare non potuit. A *Cataractis Iſtri* nomen deducit [q] *Strabo*, quæ (inquit) *maxime per Daciam feruntur*. Ab Urbe Daciæ *Axiopoli Ptolemæus*. *Plinius* ab eo loco quo primum *Illyricum* alluit. Ita commode διὰ ταχέων mittere ad *Decebalum* potuerit *Domitianus*. *Trajano* itaque *Germaniæ* præfecto cum *Marcomannis* illis primo ac præcipue rem fuiſſe conſentaneum eſt, ut fuit *Domitiano*. Nec enim *Dacici* ſed *Germanici* titulum è ficta illa victoria reportavit *Domitianus*. Unde intelligimus pro belli *Marcomannici* (qui quidem *Marcomanni* ipſi *Germani* erant) appendice fuiſſe cum *Dacis* ſuis *Decebalum*. Aliter fuiſſet, qui & *Decebali* legatos ad *Senatum* miſit, & Epiſtolam ejus nomine confictam; qui & *Regem Dacis* dederat *Diegidem Decebali* nuncium, *Dacici* potius quam *Germanici* nomen affectaſſet. Habuit quidem *Domitianus* utrumque titulum tam *Dacici* illum quam *Germanici*. *Dacicum* enim appellant coævi *Martialis* atque *Juvenalis*. Sed longe tamen *frequentiorem* legimus titulum *Germanici*. Inde colligimus hoſtes illi *præcipuos* fuiſſe *Germanos*.

p Stat. *Sylv. V.* I. q Strab. *L. VII. p.* 304.

V. Literas de *Victoria* Germanica *laureatas* misit è *Pannonia*.

Ergo hoſtes omnium præcipuos *Marcomannos* primo aggreſſus *Trajanus* vicit fuditque, & ab illis vere *Germanici* nomen, quod *Domitianus* falſo, reportavit. Hoc Bellum confecerat antequam nuncium de *Imperio* accepiſſet. Uno enim eodemque tempore cum titulo *Cæſaris* & *Imperatoris*, *Germanici* etiam titulum miſit pater *Nerva*. Quos vicerit *Trajanus Germaniæ* populos non prodit fateor verbis manifeſtis *Plinius*. Sunt enim obſcuriſſimi plerique in *Hiſtoria Oratores*, qui raro id quod volunt verbis expreſſis eloquuntur. Quæ tamen dicit ægre alio quam ad *finitimos* illos *Daciæ* populos *Marcomannos* retulerimus. Sed è *Pannonia* veniſſe literas de victoria *Germanica laureatas* id vero dicit *Plinius*, verbis, quibus potuit, diſertiſſimis. [r] *Allata erat* (inquit) *ex Pannonia laurea, id agentibus diis, ut invicti Imperatoris exortum victoriæ inſigne decoraret.* Eam *Nervæ* occaſionem dediſſe nominandi ad Imperium *Trajani*, verba oſtendunt illa proxime ſequentia: *Hanc Imperator Nerva in gremio Jovis collocarat: cum repente ſolito major & Auguſtior advocata hominum concione Deorumque, Te filium ſibi, hoc eſt unicum auxilium feſſis rebus aſſumpſit.* Cur vero *literæ* venirent *laureatæ* è *Pannonia*, niſi quia in *Pannonia* qui literas miſerat, ipſe aderat *Trajanus*? niſi quia res ipſæ quas geſtas nunciarunt, illæ quoque prope *Pannoniam* geſtæ eſſent? Nec ſane alibi illum recepiſſe veriſimile eſt ſecundas illas *Nervæ* de Adoptione, de Imperio, Reſponſorias. *Pannonia* autem prima quæ antiquiſſimum habuit *Pannoniæ* nomen Cis*danubiana* erat

r *Panegyr. c.* 8.

tota

tota, & *Germaniæ* finibus exclusa. Finem enim *Germaniæ* veteres *Meridionalem* semper posuere *Danubium*. Sed tamen illis *Germaniæ* partibus objecta est in quibus *Marcomannos* ponunt antiquiores Geographi, & ipsos *Dacis* ab *Oriente* finitimos. Sic potuit satis opportune sese illorum rebus immiscere *Decebalus*.

VI. Post *literas* illas adhuc in *motu* erat *Trajanus*.

Et quidem ex hoc ipso *Plinii* loco facile colligimus, jam etiam antequam literas *Adoptionis* accepisset, in motu fuisse *Trajanum*. Domitis enim præcipuis, ut dixi, hostibus *Marcomannis*, movit deinde in *Decebalum* hostem accessorium. Præcipue cum & *copias* ejus indies *auctiores* audiret, & *leges* etiam *induciarum* satis *duras*, & *minas* quoque illas, unde ripas *Daciæ minaces* dixit *Plinius*. Trajecit itaque copias in *Pannoniam*, inde ad ripam *Danubii* Strigam profecturus, qua parte *Daciæ* prætendebatur. Quia nimirum inde facillima erat in *Daciam* irruptio, & inde præcipue metus impendebat à *Decebalo*, si vellet ipse, ut minatus fuerat, in *Romanorum* fines irrumpere. Quod ita properanter fecit *Trajanus*, ut ne quidem literas victoriæ *Marcomannicæ* indices dederit è *Marcomannia*, sed è *Pannonia*. Et sane in *motu* fuisse illum cum primas acciperet literas de *Adoptione*, verba illa *Plinii* alia etiam indicant. [f] *At quo, Dii boni! temporamento potestatem tuam fortunamque moderatus es? Imperator Tu titulis, & imaginibus, & signis; cæterum modestia, labore, vigilantia, Dux, & Legatus, & miles, cum jam tua vexilla, tuas Aquilas, magno gradu anteires.* Sic enim *pedites* anteire *signa* solebant *Imperatores Romani*,

[f] *Panegyr. c.* 10.

ut

ut jam ab illius loci *Pliniani* commentatoribus obſervatum eſt. Eſt vero & aliud exemplum ab illis omiſſum *Alexandri* [t] *Severi*, quod hunc locum *Plinii*, noſtramque Argumentationem univerſam mirifice illuſtret. Ei cum nunciatum eſſet, probatumque, de *Tyrannide* cogitare quendam antiquæ familiæ Senatorem *Ovinium Camillum*, eum ultro in *Imperium* recepit ipſe *Alexander*. Et ut experimentum daret Imperii, " *quum* " *Expeditio Barbarica eſſet nunciata, vel ipſum, ſi* " *vellet ire, vel ut ſecum proficiſceretur, hortatus eſt.* " *Et quum ipſe pedes iter faceret, illum invitavit* " *ad laborem, quem poſt quinque millia cunctantem,* " *equo ſedere juſſit; quumque poſt duas manſiones equo* " *etiam fatigatus eſſet, carpento impoſuit. Hoc quo-* " *que ſeu timore ſeu vere reſpuentem, abdicantem* " *quinetiam Imperium, & mori paratum, dimiſit.* Eandem hanc Hiſtoriam de *Trajano* narrant alii. Unde conſtat in Expeditionibus præcipue *Barbaricis*, ſigna anteire ſolitum *illum*, quicunque tandem fuerit, Imperatorem. *Laboris* enim *impatientem Domitianum* arguit [u] *Suetonius*, quod *per urbem pedibus non temere ambularit*; in *Expeditione* autem, & *agmine, Equo rarius, lectica aſſidue, vectus fuerit.* Contra Auguſtus *in Conſulatu, pedibus fere; extra Conſulatum, ſæpe adoperta ſella per publicum inceſſit*, eodem teſte [x] *Suetonio.* Inde itaque recte colligemus, cum *ſigna anteiret*, jam in *Expeditione Barbarica* fuiſſe *Trajanum.* Sic itaque qui literas *laureatas* menſe circiter *Septembri* ſcripſit in *Pannonia*, is *Februario* ſequenti ſatis commode attingere potuit ripam *Daciæ* oppoſitam *Danubii.*

*t vit.* Alex. *c.* 48. *u* Suet. *Domit. c.* 19. *x* Suet. *Aug. c.* 53.

Sed

Sed ut fuerit *Trajanus* in *Mœsia*, recte *Hadrianus* in *superiori Germania* constitutus, in medio tamen itinere fuit ad perferendum *Roma* nuncium de excessu *Nervæ*. Poterat quidem, cum aliquo fortasse viæ compendio, trajici fretum *Adriaticum*. Sed *cursui publico* parum idonea erant itinera illa *maritima*, incerta propter procellas, & *mari clauso* protinus impedita. Et vero longe frequentius erat iter illud *terrestre*. Ea profectum *Diocletianum* jam alibi ostendimus Dissertatione nostra ad *Lactantium* de *Ripa Striga*. Et tamen illa iter erat, pro maxima parte, *Orientem* versus, nonnunquam sequenti Ripæ Strigæ *circuitus*, versus *meridiem*. Ea etiam *Marcus* & [y] *Verus* in hos ipsos, de quibus agimus, *Marcomannos*. *Altinum* enim, *Aquileiam*, & transcensos *Alpes* in eo itinere memorari videmus. Et quidem [z] *Pannonias* illo quoque *Marci* bello *Marcomannico* servitio liberatas legimus. Unde intelligimus qua proximæ erant *Marcomannis* in Provincias *Romanas* impressiones, nempe in *Pannonias*, & recte adeo è *Pannonia* literas de victis *Marcomannis* laureatas misisse *Trajanum*, qui illos etiam fortasse in ipsa quoque *Pannonia* devicerit. Sic itaque in *Segestica* aut fortasse *Carnunto*, fuerit *Hadrianus*, in cursus publici mansione aliqua qua iter à *Roma* tendebat in *Pannoniam*. Ita enim, nec aliter, primum à *Roma*, de *Nervæ* morte nuncium accipere potuit, & primum inde ad *Trajanum* transmittere.

VII. *Trajano* in *Mœsia* constituto, ut nuncium *Roma* per *Germaniam superiorem* detulerit *Hadrianus*.

y *Marc. vit. Ver. Imp c.* 9. z *vit. Marc. c.* 17.

Cæterum

VIII. *Itinerum Temporumque* ordo quo usus est in omni hac expeditione *Trajanus.*

Cæterum, quam accurate invicem apteque cohæreant nostræ Hypotheses, ita demum optime constabit, si & *itinerum* ordinem, & *temporum*, breviter describamus quo usum opinamur in hac Expeditione *Germanica* *Trajanum*. Evocatus itaque ex patria *Italicensi* in *Germaniam*, non *Roma*, sed nec molestissimis per *Alpes* stationibus, in Provinciam venerit, sed qua via erat planissima atque expeditissima. Ea vero in Provinciam aditum fecisse verisimillimum erat qua sita erant *castra* stativa *Legionum*, ut earum curam quamprimum susciperet. Exercitus Germanicus octo constabat Legionibus *Rhenum juxta* sitis, teste [a] *Tacito*, non quidem in *Urbibus*, sed per *castella*, ut nos docet [b] *Florus*, quæ numerat ille 50. Et vero duas *Germaniæ* inferioris Legiones in *finibus Ubiorum* constitutas fuisse monet idem *Tacitus*. Ibi hyemasse ait, Ann. I. 39. Iisdem ait *æstivis* in finibus *Ubiorum* habitas fuisse, eodem Ann. I. 31. Atqui sedem *Præsidis* ibi fuisse ubi frequentissima erant Præsidiorum *castra*, vix est quod dubitemus. Non quidem in *castellis*, sed in *Civitate*. Atqui Civitas illa *Ubiorum* eadem erat quæ postea *Colonia Agrippinensis* ab *Agrippina Neronis* matre appellata est. Nec sane alibi *Vitellius* inferiori Germaniæ à *Galba* præfectus Imperium adeptus est. Hæc itaque causa esse potuit cur *Coloniam* illam *Agrippinensem*, appulerit *Trajanus*, & Provinciam *inferiorem*, utrique tamen *Germaniæ* præfectus, quod suspecti fortasse essent de superiori sub *Domitiano* motu etiam *Chatti*. Atque hinc oriri potuit erroris satis ve-

*a* Tacit. *Ann. IV.* 5. *b* Flor. *IV.* 12.

risimilis

risimilis occasio, quod in Provincia illa *Germanica*, cujus nimirum administrationem in *Colonia* illa *Agrippinensi* susceperat, Imperium consecutus fuerit; aut quod Provinciam ineunti, & in *Urbe* adeo *Coloniensi*, omen aliquod *Imperii* contigerit, quæ *Victor* ita intellexerit, quasi Imperium ipsum *Coloniæ* suscepisset. Multa sane istiusmodi Imperii omina in honoribus Provinciisque nuper gestis memorant nostri illi Biographi, qui vitas Principum, pro *Suetonii* exemplo, conscripsere. Provincias itaque *Germanicas*, & *Coloniam* adeo *Agrippinensem*, adierit Trajanus, pro nostris Hypothesibus, sub finem anni xcv[i]. Ita in hostem movere non potuit ante initium anni xcvi[i]. Tunc socium habuit, ni fallor, *Hadrianum* Legionis IIæ. *Adjutricis* Tribunum. Nec obstat quod Legionem illam in *Pannonia* ponat *Dio*, de *suis*, non de his, de quibus agimus, temporibus, omnino intelligendus. Primus Legionem illam conscripsit *Vespasianus*, teste ipso Dione. Ab illo in *Germaniam* missa meruit sub *Petilio Cereali* bello adversus *Civilem*, [c] Auctore *Tacito*, ann. 70. Inde nec *translatam* legimus; nec *causam*, cur transferretur suspicari possumus ante finem Domitiani. Primus deinde qui rem militarem innovarit, ipsum legimus *Hadrianum*, vel *Trajanum*, Augustum tamen, &, à *Nervæ* morte, rei jam *Romanæ* Monarcham, è quorum *Commentariis* suos de Militia *Romana* Libros collegit *Vegetius*. Ab horum altero, ni fallor, in *Pannoniam* traducta permansit usque ad tempora *Dionis*. Sic *Tribunatum* illum ita potuit tenere *Hadrianus*, ut tamen ab avunculi

c Tacit. *Hist.* IV. 68. V. 14. 16.

ductu

ductu Provinciave non discesserit. Postea *extremis Domitiani temporibus*, sub hujus nimirum anni XCVI[i]. finem, in *Mæsiam* inferiorem translatum legimus *Hadrianum*. Hoc eo nimirum fine factum arbitror ut *Decebalum* cohiberet, ne aut *Germanis* auxilio esset, de sua nimirum *Dacia* solicitus, aut in Provincias *Romanas* irrumperet. Proximo anno XCVII°. missæ illæ è *Pannonia literæ laureatæ*. Inde intelligimus, jam debellatis *Germanis*, ad *Pannoniam* usque penetrasse *Trajanum*. Tunc ad *gratulandum*, Exercitus *Mæsiaci* nomine, *Trajano* missus *Hadrianus* (sic enim nostri Auctoris locum intelligo) in *Germaniam superiorem* remissus est. Nempe *gratulationem* illam *Trajano* non *Nervæ*, factam existimo. Et quidem eo, ni fallor, nomine quod Exercitus illi tam *Mæsiaci*, quam *Pannonici*, *Trajani* Imperio subjicerentur. Sic enim solebant *Romani* summo belli duci, non illas modo Provincias in quibus bellum præcipue gereretur, addicere, sed & alias quoque hosti præcipuo seu accessorio *finitimos*, ut & in illis pro majori Potestate agnosceretur, & ut earum præsides fasces submitterent, & dictis ejus Imperatisque obsequerentur. Sic enim, in libera quoque Rep. *Pompeius* bello *Piratico*, non *maris* duntaxat, sed & *Provinciarum* quoque *maritimarum*, Jus habuit, ad 50[m]. usque à mari lapidem. Sic ergo Exercitus *Mæsiaci Trajano* obnoxii proinde merito ducis sui novis honoribus gratulabantur. Et recte, *Trajanus* ipse *Mæsiæ* adfuturus *Hadrianum* in *Germaniam* transtulit unde discesserat, pro eodem nimirum exemplo, quo eundem e *Germania* ubi ipse adesset, in *Mæsiam* ablegaverat. Sic itaque *Mæsiam* versus è *Pannonia* illum

movisse

moviſſe conſentaneum erat. Ibi illum hæſiſſe in ripa *Danubii Daciæ* adverſa, ad annum uſque xcix$^{m}$. quo *Romam* rediit, docet *Plinius*. Sic omni prorſus veriſimilitudinis vel ſpecie deſtitutum eſt *Coloniæ Agrippinæ* Imperium accipere potuiſſe, quod aiunt *Victor* Epitomator, & *Eutropius*.

---

---

Præle-

# *Prælectio* VII. *ad Spart.* Hadrian.

JAN. 23. 169⁰⁄₁.

## *Locus* Spartiani *difficilis explicatur, deque* Hadriani *Imperio æmulo cum* Numæ *Regno* sortes *etiam* Virgilianæ.

*Explicatur locus* Spartiani. §. I. Puerorum *servorum amores ne quidem in* vitio *ponebant Veteres.* §. II. Gallus *ille* Eunuchus §. III. Pædagogi *Puerorum e Pueris* exoletis. §. IV. Sortes *de Imperio Hadriani* Virgilianæ. §. V. Pacem, *qualis fuerat sub* Numa, *affectavit* Hadrianus. §. VI. *Idem* Religionis *patriæ, ut fuerat* Numa, *studiosissimus.* §. VII. *Erat* Hadrianus *etiam, ut* Numa, barbatus. §. VIII. Numa Legum *Auctor, sic etiam* Hadrianus. §. IX. Patria Numæ, *præ* Roma, *ignobilis, ut etiam illa fuit* Hadriani. §. X. Numam, *ut* Hadrianus, *sic etiam* Pius, *æmulatus est.* §. XI. *Rectius hæc de* sortibus Virgilianis *interpretabimur, quam de* Oraculis *hodiernæ Collectionis, quæ nulla tunc extabant,* Sibyllinis. §. XII.

Vit. *Adrian. c.* 2.

I. Explicatur locus *Spartiani.*

SEquitur locus *Spartiani* difficilis, quique viros Eruditissimos torsit, Casaubonum & Salmasium: *Fuitque* (inquit) *in amore Trajani, nec tamen ei per Pædagogos puerorum, quos Trajanus impensius diligebat, Gallo favente, defuit.*] Hunc locum ita interpolandum censuit *Casaubonus,* ut intelligatur *Invidiam*

*Invidiam Hadriano* non *defuiſſe* per illos Puerorum Pædagogos. *Salmaſius* mutatione paulo leviore locum ſanaſſe viſus eſt. Legit enim pro *per*, *ſuper*; vultque illum qui *ſuper Pædagogos puerorum* erat *Gallum Hadriano faviſſe*, ejuſque opera factum *Hadriano* novum in *Trajani* amore gradum. Sed nulli prorſus mutationi favent Codices. Ut potius proinde *Interpretatione* hic opus eſſe, quam *emendatione*, cenſeam. Nec enim eſt fortaſſe quod *Interpunctiones* mutationibus accenſeamus, quas & facile negligunt in Codicibus MSS. *Librarii*, & facile rurſus in MSS^orum^. Editione *publicatores*. Nec enim primo ſtatim intuitu conſtat quam ſint momentoſæ interpunctiones, ſententiarumque partitiones, nec fere ultra primum intuitum proſpiciunt primi plerique *Editores*. Sic itaque *interpungendum* cenſeo ut prima illa Verba, *fuitque in amore Trajani*, ad ſententiam præcedentem referenda ſint, deque ipſo *Hadriano* intelligenda ſint, in eum nempe ſenſum, quod ſcilicet *Hadrianus Serviani* beneficiarium antevenerit, fueritque proinde in amore *Trajani*: Inde vero nova ſententia inchoanda ſit, nec de *Hadriano* intelligenda, ſed de *Hadriani* æmulo *Serviani Beneficiario*, aut ipſo potius fortaſſe *Serviano*. Ea itaque ita explicanda erit, ſic nempe fuiſſe in *Trajani* amore *Hadrianum*, ut tamen nec *Serviano*, aut *Serviani beneficiario*, idem ille *Trajani amor defuerit*; *Gallo* nimirum illo non *Hadriani*, ſed *Serviani* potius, partibus *favente*. Ita nimirum factum ut certarit in *Trajano* novus ille *amor* in *Hadrianum*, propter novam illam *boni nuncii* diligentiam, cum veteri *odio* propter *ſumptus æſque alienum* proditum à *Serviano*. Quæ enim gratiam *Serviano* conciliabant, ea fidem etiam

faciebant intentatis in *Hadrianum* à *Serviano* Accusationibus, spectabantque adeo ad novam illam minuendam nuperque conciliatam in *Hadrianum* Trajani *benevolentiam*. Huic certe sententiæ favet nativa illa magisque Grammatica particulæ *tamen* significatio, quam rarior illa duriorque, cujus profert exempla *Salmasius*. Et in hac sententiæ parte aliquid *amori* supra memorato adversum indicant manifeste sequentia. Non aliter solicitus fuisset de Imperatoris erga se *judicio*, si hic de novo duntaxat *amoris gradu* egisset Autor, ut vult *Salmasius*. Sed plane solicitus fuerit oportet cùm novo illo *Galli* favore *Serviani* gratia reviviscerat, & vetus illud, cujus Autor fuerat *Servianus*, *odium* cum nupero *amore* certaret. Ita factum, ut opus esset *Hadriano* suffragante *Sura*, ut ad *amicitiam Trajani pleniorem* rediret.

II. *Puerorum* servorum amores ne quidem in *vitio* ponebant Veteres.

Sed vero *per Pædagogos puerorum, quos Trajanus impensius diligebat*, Trajani gratiam *Serviano* conciliavit iste *Gallus*. Hoc enim nomine libidinis in *pueros* male solet audire *Trajanus*. De eo enim testes habemus in Trajani vita *Dionem*, & *Julianum* in *Cæsaribus*. Nec vero pugnat, ut putant Eruditi nonnulli, Plinius. [a] *Castum* ille quidem & *Diis simillimum* appellat in Panegyrico *Trajanum*. Nec solam ille *castitatem* intellexit quæ *avaritiæ* opponebatur, verumetiam & illam quæ luxuriæ. [b] *Adventum* (inquit) *tuum, non pater quisquam, non maritus expavit. Affectata aliis castitas tibi ingenita & innata, interque ea quæ imputare non possis*. Sed nec *mulierum* amores Ethnici in vitio ponebant quæ non alienæ

*a Panegyr. c.* 1. *b Ib. c.* 20.

fuissent

fuiſſent *uxores*, nec *puerorum* qui non fuiſſent *ingenui*. Ita *Platonis* ſententiam refert *Laertius*, qui tamen habetur Philoſophorum ſanctiſſimus. Ita & multi *Socratem* ſenſiſſe crediderunt, quamvis eum purget *Maximus Tyrius*. Ita etiam *Trajani* ætate [c] *Plutarchus*, Sacerdos ipſe, & Gentilium numinum cultor ſuperſtitioſiſſimus. Recte itaque Deum ait Apoſtolus *tradidiſſe illos in deſideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficerent corpora ſua*. Rom. 1. 24. Sic nempe ut non ipſi modo admitterent facinora illa, verum etiam εὐδοκίαν haberent, pluſquam *conſenſum*, ut vertit vulgatus Interpres, imo *beneplacitum*, in factis tam atrocibus. Loquitur autem ibi de *venere maſculâ*. Nec ſane *Puerorum Servorum* amores excludit *caſtitas* illa *Trajani* à *Plinio* ita celebrata, ſed qui *Patres* haberent in quorum ſcilicet fuiſſent *poteſtate*; ut nec *fœminarum meretricum*, ſed duntaxat *uxorum*, quæ ſolæ *maritos* habebant qui Principum *adventum expaveſcerent*. Eratque etiam hoc ipſum laude dignum, ſi conferretur cum *Domitiano*, quem & mariti & Parentes liberorum ingenuorum expaveſcebant. Quadrabat enim ſatis apte in *Domitiani* mores *Plinii* illa exprobratio. [d] *Contrectaſſe multorum uxores, Domitiam Longinam Æ io Lamiæ nuptam etiam in matrimonium abduxiſſe, nondum ipſum Principem*, Patre nimirum Imperante, teſtis eſt *Suetonius*. Et quidem manifeſtum eſt in his, ut & in aliis multis *Trajani* laudibus, *Domitianum* tacite perſtringi.

*c* Plutarch. *de lib. Educ.* *d* Sueton. *Dom. c.* 1.

III. *Gallus* ille *Eunuchus.*

Sed nec illud viderunt hactenus viri alioquin eruditiſſimi, quis fuerit ille *Gallus* qui tantum potuerit in concilianda gratia *Trajani*. Nullum legimus illo nomine in Hiſtoria *Trajani*, non utique prætermittendum, qui pars tanta in Hiſtoria illa fuiſſet, ſi quidem viri fuiſſet *nomen*. Sed nec *viri* nomen, nec *Gentis* illud crediderim fuiſſe *Galli*, ſed *ſemiviri* tantummodo, ſeu ἡμιάῤῥενος, ut vocat *Cteſias*, Sacerdotis nimirum magnæ Matris Deorum *Dindymenes*. *Eunuchos* enim fuiſſe, & *Gallos* appellari ſolitos illius Deæ *Sacerdotes*, ea ita nota ſunt ut probatione ne quidem indigeant. Nec vero alii obſcænis illis muneribus curandi pueros, & parandi ad uſus libidinoſos, aptiores quam homines illi infamiſſimi atque obſcæniſſimi. Ut *Sacerdotes* alii *primarii* ἀρχιερεῖς, ſic *Galli* quoque primarii *Archigalli* appellati ſunt. At vero *Archigallos frictricibus*, τριβάσι, *picatricibus* nimirum *obſcænorum* ſimiliter munerum miniſtris aniculis accenſet [e] *Tertullianus*, quarum vel *oſcula* damnanda ſint. Ut proinde & *Archigallos* ipſos *obſcænis* muneribus addictos fuiſſe veriſimillimum ſit. Inde forte alibi & [f] *Sanguinem Archigalli* impurum pronunciat idem *Tertullianus*. Itaque *Pædagogis puerorum* obſcænorum præfectus eſt, ut videtur, unus ex illis *Archigallus*, qui in *Pædagogos* omnes, ipſoſque adeo *pueros delicatos* poteſtatem obtinuerit. Atque hunc videtur officiis ſuis deliniviſſe *Servianus*.

IV. *Pædagogi* Puerorum è Pueris *exoletis.*

Porro *Pædagogos* illos *puerorum* obſcænorum è *pueris* olim *exoletis* delectos arbitror. Id mihi videor è prima Inſcriptionum illarum colligere quas adduxit

e Tertul *Reſurr. Carn.* c. 16. f *Apolog.*

*Caſaubo-*

*Caſaubonus.* Ea ita ſe habet: T. FLAVIO. AUG. LIB. GANYMEDI. PAEDAGOGO. PUERORUM. CÆS. N. Vel nomen illud infame *Ganymedis* non accepiſſet, qui ſui fuiſſet juris, nec munus ipſum nomine ſignificatum exercuiſſet. Sed qui erat *Auguſti libertus*, is idem fuerat *Auguſti ſervus*, & cum *puer*, ſi Domino placuiſſet, *delicatus.* Et cum cognomen illud dediſſet *Dominus ſervo*; nec potuit *libertus* recuſare jam olim datum à *Patrono.* *Titi Veſpaſiani* fuiſſe illum *Ganymedem*, vel è *nomine* ſuſpicor. Sic enim ſolebant *liberti* Patronorum nomini *Gentili* & *Prænomini* tertium addere, *cognominis* loco, *nomen antiquum.* *Tiro ſervi* nomen erat, *liberti* nomen *Marcus Tullius Tiro* à Patrono *Marco Tullio Cicerone.* Sic & in hac de qua agimus *familia*, nomen Hiſtorico Judæorum *Joſephus*; cum vero captus in bello manumitteretur, *Titus Flavius Joſephus*, à *Tito Flavio Veſpaſiano* Patre Patrono. Pro eodem itaque exemplo *Ganymedes* ſervus, manumiſſus erat *Titus Flavius Ganymedes* à *Tito Flavio Veſpaſiano* filio Patrono, qui cætera Princeps optimus, his tamen *Puerorum* amoribus male audiebat. Inde captabat *Domitianus* frater memoriæ ejus infenſus occaſionem damnandi ἐκτομίας quod frater ejus id genus *Pueris* delectari ſoleret. Hoc tamen obiter. Reliquas Inſcriptiones ad ſervos pueros *Urbium* publicos libentius retulerim, ni etiam *Pædagogos puerorum* memoraſſent illæ *Auguſti libertos.* Non certe dicuntur *pueri* illi *Cæretani* CÆS. N. ut in prima dicuntur Inſcriptione. Quod vero putat *Cæretanos* à *patria* dictos, in eo neſcio an Viro docto aſſentiendum ſit. *Servi* erant certe, non *Cives*, pueri illi Magnatum *delicati*, quique ad *patriam*, in Legibus *Romanis*, nullam habere p[illegible]

ſent. Sed nec video ut *Cæretani Servi* eſſe potuerint, *Itali* nimirum, cum jam *Itali* omnes *civitatem* etiam *Romanam* adepti eſſent. Non video itaque ut *pueri* iſtiuſmodi *Cæretani* dici potuerint, niſi quod ad *Civitatem Cæretanam* aliquo modo pertinuerint, in ea fortaſſe *nati*, ſed ex *ſtirpe* tamen *alienigena*. Sed cur affectarint aliæ illæ *civitates* pueris ſuis *Pædagogos* è *libertis Auguſti*, illud ſane me neſcire fateor.

V. *Sortes* de Imperio Hadriani *Virgilianæ*.

Pergo jam, Auditores, ad *ſortes* Hadriani *Virgilianas*. Et quidem eo pergo libentius quod nondum obſervatum viderim ab Eruditiſſimis horum Autorum Interpretibus, id operam dediſſe atq; affectaſſe *Hadrianum*, ut vitam ſuam quam ſimillimam affingeret vitæ illi quam in his verſibus elegantiſſimus Poeta deſcripſerat. Id ſane manifeſtum eſt, non de *Hadriano*, ſed de *Numa* cogitaſſe *Virgilium*. Sed *Numæ* voluit *Hadrianus* videri quam ſimillimus. Verſus itaque percurram, & quam *Numæ* vitæ vita *Hadriani* reſponderit, oſtendam., Sic autem incipiunt:

[g] *Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ*
*Sacra ferens?*

Repræſentatur hoc in loco *Numa*, ut Autor *Religionum*. Succeſſit ille *Romulo* Principi bellicoſiſſimo, *eoque ferocem populum* (inquit [h] *Florus*) *redegit, ut quod vi & injuria occupaverat Imperium, Religione, atque Juſtitia gubernaret.* Sic & *Hadrianus Trajano* Principi item *bellicoſiſſimo* ipſe *Pacis Religioniſque* ſtudioſiſſimus. Quod vero ad *ra-*

g *Æneid. VI. fin.* h Flor. L. I. c. 2.

mos

*mos olivæ* attinet, illi duplcem poterant habere ſignificationem: aliam, qua oliva *pacis* eſt Symbolum, indicatque adeo tranquillum Reip. ſtatum ſub *Numa*, & à belli turbis alienum, quæ Rege *Romulo* omnia permiſcebant; aliam, qua *Sacerdotium Numæ* denotat, eo enim refertur à *Servio*. Sic enim ſolebant Sacerdotes *hymnos* canere in laudem Deorum cum *Ramis* in manibus, quem modum cantandi *Græci* Ῥαψῳδίας appellabant. Et quidem *Sacra* & *cæremonias, omnemque cultum Deorum immortalium* [i] docuiſſe volunt *Romani* illum, *Pontifices, Augures, Salios*, cæteroſque *Sacerdotes*. Imo ab ipſo inſtitutos fuiſſe *Pontifices*, eorumque ipſum fuiſſe *primum*, tradiderunt quidam, teſte [k] *Plutarcho*, quos eſt ſecutus, ut videtur, *Servius*. Mitto enim rationem illam *Numæ* propriam, quod regio *Sabina*, unde *Numa*, *olivifera* ſit, à *Sabino* è *Silio Italico* obſervatam.

VI. *Pacem*, qualis fuerat ſub *Numa*, affectavit *Hadrianus*.

Sic etiam affectavit *Hadrianus Pacem*, qualis ſub *Numa* fuerat, etiam conditionibus parum commodis, cum Provincias à *Trajano* in *Oriente* victas hoſti traderet, etiam præſidiis inde, propria ſponte, nec ullo inimico cogente, deductis; cum & *Daciam* quoque tradere vellet Barbaris, ni *colonorum* potius rationem habuiſſet quam *Imperii Romani*. Juſtitiæ laudem proculdubio ille tam egregiis Reip. damnis mercatus eſt, &, qualis fuerat ſub *Numa*, *Pacis*. Sunt enim huc ſpectantia verba ſatis diſerta Spartiani. [l] *Adeptus* (inquit) *Imperium, ad priſcum ſe ſtatim morem inſtituit, & tenendæ per orbem terrarum Paci operam intendit*. Et cum Bellum Parthicum eſſet in *motu*, illud *Hadriani* ait [m] *colloquio repreſſum*. Inde & il-

*i* Flor. *Ib.* *k* Plut. *Num. p.* 65. *l* Spart. *Adr. c.* 5. *m Ib. c.* 12.

la [n] *Regibus multis plurimum detulit: à plerisque vero etiam Pacem redemit, à nonnullis contemptus est.* Et rursus illa: [o] *Expeditiones sub eo graves nullæ fuerunt. Bella etiam silentio pene transacta.*

VII. Idem *Religionis* patriæ, ut fuerat *Numa*, studiosissimus.

Sed & *Sacrorum* curam in *Numa* laudatam idem affectavit *Hadrianus.* Ita *Victor* antiquior *Schotti* verbis disertissimis: *Pace ad Orientem composita, Romam regreditur. Ibi Græcorum more, seu Pompilii Numæ, Cæremonias, Leges, Gymnasia, Doctoresque curare occœpit.* Et, quod ad *rem* ipsam attinet, noster satis diserte Spartianus: *Sacra Romana diligentissime curavit: peregrina contempsit. Pontificis maximi officium peregit.* Quod quidem *Pontificis maximi* officium peregerit, unicus est, qui *ante* illum fecerit, *Domitianus.* Ut proinde eo ipso facto, quo fuerit in *Religiones patrias* animo fecerit testatissimum. Ab eo *Religionis* cultu factum ut [p] *Sacris Eleusiniis* initiatus fuerit ad exemplum *Herculis* & *Philippi*, quem postea secutus est *Marcus.* Ab eodem illo, quod cum in *Sacris* multi *cultros* haberent, cum *Hadriano* tamen nullus *armatus* ingressus fuerit. Et ab *Hadriani* exemplo factum existimo quod juniores Hadriano Imperatores, *Commodus*, *Caracalla*, alii, *Sacris alii Isiacis*, alii *Deæ Matris* initiati fuerint, *cultusque* etiam ac *cæremonias* ipsi peregerint. Nec aliunde profluxisse crediderim morem quoque illum juniorum *Hadriano* Imperatorum quo in *Sacerdotia* à *Numa* instituta admissi sunt. Ita in [q] *Saliorum* collegium 8°. ætatis anno relatum legimus *Marcum*, sic etiam illum, ut & munera *Saliatus* ipse peregerit, ipse *coronam* in *pulvinar Martis* jece-

*n Ib. c.* 17. *o Ib. c.* 21. *p* Spart. *Adrian. c.* 13 *q Vit. Marc. c.* 4.

rit,

rit, ipſe in eo *Sacerdotio* & *præſul* fuerit, & *vates*, & *Magiſter*, & multos *inauguraverit* atque *exauguraverit*, & *carmina Saliaria* omnia didicerit. Sic & *Commodus* XIV°. ætatis anno in [r] *Collegium Sacerdotum* aſcitus eſt. Imo in *omnia* Collegia Sacerdotalia *Sacerdos*, ut idem ejuſdem vitæ Autor alibi loquitur. Sic proximi fere *Hadriani* Succeſſores, quod certe non adeo frequens legimus in ejuſdem deceſſoribus.

VIII. Erat *Hadrianus*, etiam ut *Numa*, *barbatus*.

Sequitur in ſortibus Virgilianis:

*noſco crines, incanaque menta*
*Regis Romani.*

Nempe ait *Servius canum* fuiſſe *Numam* à prima etiam ætate, quod idem dicunt alii de Rege *Tyrrheno*, & de [ſ] *Cycno* & *Seneca* illo qui primo ita cognominatus fuerit. Sed miſſis fabulis, id ſaltem indicarunt *barbæ* Symbolo veteres *Prudentiam* eximiam qua pollebant illi quorum imagines *barbatæ* ferebantur; quo pacto fabulam de *Tyrrheno* explicat [t] *Strabo.* Nec alio proculdubio conſilio *barbatum* repræſentabant veterum picturæ & imagines *Æſculapium.* Itaque inde occaſionem Poetæ fuiſſe cenſeo, quod inter *Regum Romanorum* imagines, quales vulgo habebantur ætate *Virgilii*, *Numam* tamen ſolum *barbatum* repræſentari mos eſſet. Non quod & reliqui *Reges* omnes non fuerint *barbati*, cum ſero admodum, & diu poſt Regum tempora, *tonſores* primi qui *barbam* raderent, teſte *Plinio*, *Romam venerint*; ſed quod illo *Barbæ* Symbolo ſignificarint, *Prudentiæ* nomine præcipuo inter *Reges* celebrem fuiſſe *Numam.* Et quidem hoc ipſo nomine *Numam* æ-

r *Vit. Comm. c.* 1. ſ Euſtath. Παρεκ. β. Ιλιαδ. t Strabo *Geogr. L. V. p.* 219.

mulatum esse constat *Hadrianum*, quod primus ipse in Imperatoribus *barbatus* effingi voluerit. Observavit hoc de *Hadriano* nostro *Dio Xiphilini*. Suffragantur etiam *Numi* qui decessores *Hadriani* nullos *barbatos* repræsentant, sed ipsum & posteros plerosque vix aliter quam barbatos, *Ælium Verum* Cæsarem *Antoninos Pium*, *Marcum*, *Lucium*, *Commodum*, *Julianum*, *Albinum*, *Nigrum*, *Septimium Severum* cum filiis, qui quidem *Severus Marci* filius, & *Commodi* frater, voluit appellari. Inde *Pseudo Sibylla* [u] ἀργυρόκρανον & [x] πολιόκρανον ipsum vocat. Et in *Taciti* vita Senatores *Hadrianum* [y] *senem* dicunt ad Imperium venisse. Non quidem quod admodum *ætatem* senilem attigisset, qui annum egit, cum *Imperium* adeptus est duntaxat XLII^m. quanquam & illam ætatem fateor in citimis *senectutis* limitibus, pro veterum quorundam sententia, contineri; sed quod *barbatum* illum repræsentarent statuæ, quod illi pro *senectutis* signo acceperint. Imo *Senectutem Hadriani* ex his ipsis colligunt sortibus *Virgilianis*.

IX. *Numa Legum* Auctor, sic etiam *Hadrianus*.

Pergunt sortes:

——— *primam qui legibus Urbem*
*Fundabit.*

Male suspicatus est *Casaubonus* mutatam esse Poetæ vocem *primus* in *primam*, & male rursus *Salmasius* memoria lapsum putat *Spartianum*. In plerisque Libris antiquis ipsius Virbilii *primam* legi testatur *Ludovicus Lucius*. Et quidem, pro consilio Poetæ fortasse rectius. *Urbem* enim ipsam *primam*, seu primariam appellavit, & *Curibus parvis* & *pauperi terræ* contradistinxit, unde fuerat

*u Orac. Sib. L. V.* *x Or. Sib. L. VIII.* *y* Vopisc. *Tacit. c.* 5.

oriundus

oriundus ipſe *Numa*. Rectius etiam *Fundabit* legendum, quam *Fundavit*. Priori enim modo *Regium Codicem* teſtatur legiſſe *Gruterus*. Et quidem apud *Virgilium* ita legit *Donatus*. Longe proculdubio aptius. Prædicit enim *Numæ* ſimilem futurum ſcilicet apud *Virgilium Anchiſes*, Hadriani ſortium, quicunque tandem is fuerit, *Virgilianarum* editor. Sic autem *Numæ* proprias *Romanorum Leges* faciunt nonnulli ut *Numæ* ipſum nomen ἀπὸ τῶν νόμων deducat *Servius*. Et quidem ſi fuerit *Numa* cognomen à rebus geſtis ipſi proprium, non avitum; nihil obſtat quo minus illam verè habuerit Etymologiam. Multa enim è magna *Græcia* verba origine *Græca* in linguam *Latinam* ab antiquiſſimis uſque temporibus recepta ſunt. Nec pugnat Analogia, quam appellant, Grammatica. Sic enim quod *Græci* νόμισμα illud *Latini* Numiſma vocare ſolent. Sed fieri etiam poteſt ut è *Sabinis*, unde & ipſe *Numa*, nomen fuerit oriundum. Propius tamen accedit nomen *Numæ*, ut ſcribitur à Critico accuratiſſimo *Dionyſio Halicarnaſſæo*, non Νȣμᾶς, ut *Plutarchus*, ſed Νομᾶς. Sed vero paralleliſmum *Hadriani* cum *Numa*, in hoc *Legum* capite, propter Auditores noſtros *Juris Romani* ſtudioſos, ad proximam Prælectionem reſervabimus.

X. *Patria Numæ*, præ *Roma*, ignobilis, ut etiam illa fuit *Hadriani*.

Pergo jam, & abſolvo *ſortium Virgilianarum* verſus reliquos. Sic autem habent:

*—— Curibus parvis, & paupere terra*
*Miſſus in Imperium magnum.*

Verba enim reliqua ad *Tullum* pertinent *Hoſtilium*, neç quicquam ſpectant ad *Numam* vel *Hadrianum*. Quod vero ad *patriam Numæ* ſpectat, illud

illud ex Hiſtoria perſpicuum eſt, nec ulla prorſus indiget explicatione. Sic & *Hadriano patria* erat, ſi ad *Romam* conferretur, obſcurior, tam vetuſtior illa *Piceni Adria*, quam & recentior alia *Hiſpanienſis*, *Italica*. Et utroque nomine erat tam ipſe, quam *Numa*, non *Romanus* origine, ſed aliunde *adſcriptitius*. Et vero nomen *Imperii* Hadriano aptius conveniebat quam ipſi de quo dixit *Anchiſes*, *Numæ*, ut verba illa ſuperiora *Regis Romani* Numæ aptius conveniebant quam *Hadriano*. Ad eundem plane modum (ut hoc obiter notem) & *res geſtas* veteris Teſtamenti *Hiſtoricas* pro *Symbolis* rerum ſub novo Teſtamento gerendarum *Propheticis* habent N. T. Scriptores. Ut intelligamus ne hoc quidem alienum fuiſſe à receptis illorum temporum dogmatibus de Dei hominumque commercio. Et in illa quoque *geſtorum* Hiſtoricorum accommodatione *Symbolica*, ſunt quæ aptius ad *Typum* retulerimus quam ad *Antitypum*; ſunt viceverſa phraſes nonnullæ quæ *Antitypo* verius quam *Typo* ipſi conueniunt.

XI. Et quidem *Hadrianum* in hac *Numæ* æmulatione ſecutus eſt *Pius*, ipſe quoque *Pacis Pietatiſque* ſtudioſiſſimus. Et quidem Verbis diſertiſſimis *Numæ* illum collatum agnoſcit *Victor* Epitomator. Eum *Numæ contuliſſe* dicit *ætatem ſuam, cum orbem terræ nullo bello per annos viginti tres Autoritate ſola rexerit, adeo trementibus eum atque amantibus cunctis Regibus nationibuſque & Populis, ut parentem ſeu patronum magis quam Dominum Imperatoremve reputarent: omneſque uno ore in cœleſtium morem propitium optantes, de controverſiis inter ſe judicem poſcerent.* Sic & Eutropius: *Vir*

*Numam* ut *Hadrianus*, ſic etiam *Pius*, æmulatus eſt.

*Vir insignis, & qui merito Numæ Pompilio conferatur, ita ut Romulo Trajanus æquetur.* Sed felicius ille *Numæ* exemplum quam *Hadrianus* assecutus est, ingenii nempe vir ipse mitissimi.

XII. Rectius hæc de *sortibus Virgilianis* interpretabimur, quam de *Oraculis* hodiernæ Collectionis, quæ nulla tunc extabant, *Sibyllinis.*

Et quidem hoc *sortium* Oraculum, vere *Hadriano* datum, antequam *Imperium* assequeretur, existimo. Sic ille vitam suam & consilia sua omnia composuit ut *Numæ* hoc exemplum exprimeret, quam potuit, accuratissime. Ita nimirum quæ à *Diis* præstanda erant speravit homo superstitiosissimus, si quæ penes *se*, & in proprio sita essent arbitrio, ea examussim responderent. Sic enim sustulit omnem dubitandi rationem ne alium fortasse quam se *Oracula* designassent. Non ita sentio de Oraculis *Sibyllinis.* Illum certe, quicunque fuerit, Impostorem, si tamen *unus* fuerit, *Hadriano* diu *juniorem* existimo. Nota ejus *Temporis* antiquissima non tamen *Hadrianum* attingit, vel *Imperantem.* Nedum ut Imperii *futuri* omen dare posset. Nec enim est qui id verum suspicetur quod se in arca *Noachica* cum viro inclusam dicat Pseudoprophetissa. Successionem deducit Auctor *Imperatorum Romanorum*, non ad *Hadrianum* duntaxat, verumetiam ad *tertium* ab *Hadriano* κλάδον. Sic enim versus illos Impostoris intelligo:

[z] Καὶ ἐπὶ σοῖσι κλάδοισι τάδ᾽ ἔσσεται ἤματα πάντων·
Τρεῖς ἄρξουσιν, ὁ δὲ τρίτος ὄψε κρατήσει ἁπάντων.

Tres illi *rami*, fortasse, sunt, quos sibi *Successores* designavit adhuc in *vivis* Hadrianus, *Pius,*

z *Sibyll. L. V.*

*Marcus,*

*Marcus*, & *Lucius*. *Tertius* vero, qui *ſero* tandem rerum omnium potiturus erat, *Marcus* erat, qui, extincto *Lucio*, ſolus Imperio *Romano* præfuit. Ita ſub *Marco* illa ſcripſerit Impoſtor, nondum participe Imperii *Commodo*, ſed ſolo ἁπάντων Domino. Sic quidem ille ut ſub illo futuram Mundi συντέλειαν vaticinetur. Eo enim illa refero:

——————— τάδ' ἔσεται ἤματα πάντων.

Poteſt tamen, & fortaſſe veriſimilius, triplex ille κλάδος de triplici potius intelligi *Succeſſione*, ut proinde non *Lucius* qui *Marco* non ſucceſſit, ſed una duntaxat Imperavit, ſed *Commodus* potius, in eum numerum accipiatur. Ita melius conveniet ut *unus* idemque Impoſtor ſub *variarum* tamen *Sibyllarum* nominibus Oracula confinxerit. Et quidem finem Mundi, ſeu συντέλειαν prædixit *Maximilla* Montaniſtarum Pſeudoprophetiſſa, & finis prænuncia bella & clades publicas, pro exemplo Domini, prædixit, quæ tamen nulla per ea tempora contigere, obſervante apud [a] *Euſebium* Auctore coævo. Alia illa tempora quam *Commodi* eſſe non potuerint quod [b] Nos alibi oſtendimus; & *Montaniſtas* de hac fraude ſuſpectos habet, utque puto, merito, *Blondellus*. Poſſunt tamen, fateor, verba illa de *Phrygia* quæ ad *Cataphrygas* retulit *Blondellus*, de *Sibyllæ Phrygiæ* Perſona intelligi. Eodem facit quod Libro etiam VIII°. tres *Hadriani* Succeſſores in diem poſtremum incurſuros idem memoret falſarius. Sunt enim illa ejus verba:

Τὸν μετὰ τρεῖς ἄρξουσι πανύστατον ἦμαρ ἔχοντες.

Hoc certe *Commodi* potius quam *Marci* tempus

*a* E.H.V. 1. *b* *Diſſ. IV. ad* Iren. §. 38.

deſignat;

designat, quod *secundum* Templi *Vestæ* incendium à se visum dicit *Pseudosibylla*, & quidem Libro hujus collectionis v°. quod *Commodi* Imperio assignant tam *Herodianus* quam *Eusebius*. Et quidem posteriori illi, quod sub *Commodo* fuit, incendio Templi illius conflagrationem tribuit [c] *Orosius*, quod XII°. *Commodi* anno, (Æræ nostræ *Christianæ* CXCI°. vel CXCII¹. initio) assignavit *Eusebius*, vel *Romanæ* in *Eusebiano Chronico* Historiæ interpolator *Hieronymus*. Ita anno ad minimum CXCII°. Librum hujus Collectionis III^m. scripserit falsarius. Sic ut in diem vere ultimum incidisset tertius ille *Hadriani* κλάδ☉ς, de *Commodo* tamen, non de *Marco*, erat intelligendus. Ait præterea tres hosce Hadriani *Successores* ἐπȣρανίοιο θεοῖο *nomen* impleturos. Nomen illud quodnam fuerit admodum incertum est quod habuit ob oculos Auctor. Sed numerum nominis idem in L. I. agnoverat 1697. Hic si numerus fuerit *annorum*, retro supputatus, à Regni *Atheniensis* initio non admodum distabit. Nec vero accurata à *Christianis* illorum temporum Chronologis expectanda sunt, cum & *Mythicorum* Temporum Chronologia apud *Græcorum* Auctores celeberrimos admodum fuerit incerta, nec de *Auctore* constet quem sibi delegerit Impostor, nec *Epochæ* suæ *initium* aut *finem* satis aperte designaverit. Quod vero numerum usque ad minutias accuratum dederit, eum non ex ipso, ut opinor, intervallo collegit, sed è nominis illius Tetrasyllabi, quodcunque demum fuerit, apicibus. Paulo recentior est Epocha illa alia *Græcorum*, cujus meminit L. III°. Eorum scilicet qui

c *L. VII. c.* 10.

mortuos

mortuos homines ſtatuis primi coluiſſent. Inde ad ſua tempora annos numerat 1500. Neſcio an adhuc obtinuerint Traditiones illæ fabuloſæ de *Serucho* & *Nachore*, *Scythiſmi* altero & *Picturarum*, altero *Helleniſmi* atque *Idolorum* Auctore. Si quidem obtinuiſſent, non alio referenda cenſerem verba illa impoſtoris. Sed è juniore aliquo his temporibus Auctore, illa hauſit, ni fallor, [d] *Epiphanius*. Itaque libentius ad *Bacchi* conſecrationem retulerim, qui *primus* apud *Græcos* mortalium *Divinos* honores conſecutus eſt, & de cujus geſtis tot olim extabant veterum Dithyramborum *Dionyſiaca*, ut pene ſolum fuerit antiquiſſimorum Poetarum Argumentum, cum quod ad cauſam, quam quis agebat, nihil faceret, id omne ἀπρὸς Διόνυσον appellarent. Nec multum diſcedet calculus, ſi recte inſtituatur. *Cadmi* enim *nepotem* faciunt, ex ejus nimirum *filia* natum, in *Deorum* autem numerum relatum anno Regis *Perſei* apud *Argivos* xxxii°. pro ſententia [e] *Apollodori*. Neſcio tamen an operæ pertium ſit in calculis ponendis eſſe ſcrupnloſiores, cum Chronologiam hanc temporum Heroicorum jam [f] ſupra Nos incertam eſſe probaverimus. Sic itaque ad finem *Commodi* nos deducet nota illa à tertio *Hadriani* κλάδῳ. Quanquam autem πανύστατον ἦμαρ illi κλάδῳ aſſignaverit *Sibylliſta*, gradus tamen in eo die agnovit quem ipſe omnium ultimum profeſſus fuerat. Sequitur enim:

> Ἕκτοτε δ' αὖ Λατίνων ἕκτη γενεὴ βασιλήων
> Ὕστατιον βίον ἐκτελέσει.

Sic enim legendum putat *Opſopæus* pro eo quod

d *adv. Hereſ. lxii. n.* 6. e *ap.* Clem. Alex. *Strom. I. p* 322. f *Præl. inaug.*

vulgo

vulgo legitur ἕκτη γενεῶν. Confirmatque Codex MS. *Gallæi* Nisi forte potius legendum γενεὰ, & producatur ultima ejus Syllaba per Cæsuram. Nec sane in Metri legibus hic noster admodum scrupulosus est. Hæc ergo non alio rectius quam ad *Severum* retulerimus, qui vere VI$^{æ}$. à *Julio* familiæ sese jactavit. *Prima Julii* familia defecit in *Nerone.* Successere *Galbæ*, *Othonis* & *Vitellii* familiæ etiam singulæ. Ita V$^{a}$. Imperii familia fuerit gens *Flavia*, quæ etiam defecit in *Domitiano.* VI$^{a}$. ergo cœpit à *Nerva*, cui sese per Adoptionem inseruit *Severus*, *Commodi* nimirum *Frater* & *Divi Marci filius.* Sic illum postea τῆς αὐτῆς γενεᾶς agnoscit, nimirum cum eo de quo sermo supra fuerat, *Hadriano.* Hujus *filios* & *Nepotes* imperaturos auguratur. Ejusdem nimirum ut videtur, *Severi* filios *Caracallam* & *Getam*, eorumque *filios.* Ita VIII$^{m}$. demum hujus Collectionis Librum scripserit Auctor, imperante *Severo*, vel fine *Commodi*, in quo desiit familia illa Imperatoria VI$^{a}$. nisi familiam illam continuaverit Posthuma illa *Severi* Adoptio. Longe autem in Imperium *Severi* procedere Auctor ille non potuit. Excidium *Romæ* anno assignat DCCCCXLVIII$^{o}$. Omnino *Urbis Conditæ* eam Epocham fuisse verisimillimum est, quam Auctor *Græcus* collegit è numeris literarum *Græcarum* vocis ΡΩΜΗ. Quod si calculum eum secutus est qui à *Claudii* Ludis Secularibus, annoque Urbis DCCC$^{o}$. in vulgarem usum receptus est, sic desinet numerus ille anno Æræ nostræ *Christianæ* CXCV$^{o}$. ipsis *Palilibus.* Ita necesse erit hæc Auctorem ante II$^{m}$. *Severi* annum expletum literis mandasse atque edidisse. Nec enim potuit ea edere cum jam Prophetiæ suæ falsitatem *Eventus* ipse redarguisset. Uno

duntaxat alterove anno difcrepabit, fi Faftos potius *Capitolinos* aut *Catonianos* obfervarit. Ita in anguftos temporum limites concludetur hic Auctor, ut proinde neceffe non fit opus illud pluribus Auctoribus affignare, quod fecit tamen Cl. [g] *Gerardus Voffius*. Interituram Urbem credidit, cum aliis, (eo tamen, ut videtur, duce) Primævis Chriftianis, à redivivo *Nerone* quem pro Antichrifto habuit, putavitque ab *Oriente* venturum. Hoc ille, ni fallor, collegit è loco *Apocalypf.* XIII. 3, 4. quo vulnerati ad mortem capitis beftiæ mentionem habemus, & à *Dracone* fanati. *Beftiam* ille de *Romano Imperio* intellexit, pro exemplo *Danielis*, *Caput* de *Antichrifto* Principe *Nerone*, *Draconem* de *Diabolo*. Quid fi *Pefcennium Nigrum* in *Oriente* Severi æmulum pro *Antichrifto* habuit, & redivivo *Nerone*? *Sæva* indole fuiffe fertur, quæque *Neronem* haud abfurde referret. Et cognomen ejus ab eadem litera cœpit N, numeri *quinquagenarii* nota, ut [h] fupra obfervaverat cognomen etiam cœpiffe *Neronis*. Satis hoc fuit ut illum pro *Nerone* haberet qui tot captat argutias ex iftiufmodi *literarum* apicibus. Acceffit præterea recepta apud illius ætatis Gentiles opinio, recentiffima etiam *Neronis* memoria, [i] *Edicta* ejus *quafi viventis* proferentes, & *brevi magno inimicorum malo reverfuri*. Inde *falfus Nero* anno poft *veri* Neronis cædem XX°. Æræ nimirum noftræ LXXXVIII°. à Parthis *vehementer adjutus, vixque redditus*, adolefcente *Suetonio*. Ita cum eodem quem Urbis Excidio defignavit anno fcribere vix potuerit, fuperiori tamen faltem anno fcripferit Librum illum VIII^m^. fortaffe fal-

g Voff. *Poet. Græc. c.* I. *h* L. III. *i* Suet. *Ner. c.* 57.

farius

ſarius, cœpto *Severi* in *Nigrum* bello, annoque Æræ noſtræ CXCIV°. Nec ſane antiquiores habemus qui Libros hodiernos in Teſtimonium advocent. Proximos habemus *Clementem Alexandrinum* & *Theophilum Antiochenum* Librorum ad *Autolycum* Auctorem, quem Nos *Theophilum* alium ab *Epiſcopo Antiocheno*, pauloque juniorem, alibi [k] oſtendimus. Et ſane his ipſis temporibus, ſub finem Sæculi Secundi, talia de *Romano* Imperio ominatos *Chriſtianos* qualia hæc *Pſeudo-Sibylla* conſtat. Tum demum ſcripſit *Lucianus Philopatridem*, non ſub *Nerone*, ne quidem ſub *Trajano*, ut vulgo exiſtimant Eruditi. Hoc inde certum eſt quod mentionem faciat editorum ab *Artemidoro* Oneirocriticorum, in quibus Agonum [l] meminit *Euſebiorum* ab *Antonino Pio* in memoriam *defuncti* jam *Hadriani* inſtitutorum. Nec *Romæ* modò verumetiam [m] *Smyrnæ* in *Aſia* eoſdem illos memorat Agones. Sic etiam memorat quaſi jam ab aliquot antea quam ſcriberet annis receptos, cum nempe Somniorum experimenta in [n] futuri Operis argumentum colligeret. Nec ullum eſt, quod tamen tanti hactenus fecere Viri Eruditi in contrarium Argumentum, quod *Triephontem* ſuum à S. *Paulo* baptizatum innuat. Eſt enim *Lucianus* ipſe Temporum negligentiſſimus, ut multis, ſi hic vacaret, exemplis oſtendere poſſem, & rerum præterea Chriſtianarum, quas ſprevit, non admodum peritus. Hunc ſane Dialogum in *Ægypto* ſcripſiſſe è mentione menſis *Meſori* colligo. Ibi autem *ſenem* fuiſſe ex Apologia ejuſdem pro Libro *de mer-*

*k Add. ad* Pearſon. *l* Artemid. *Oneiroc.* I. 28. *m* Artem. *On.* I. 66. *n Cum enim ſcripſit jam* Aſiam Italiamque *ante* multos annos *peragraverat*. *Vid* Præf. *ejus ad* Caſſ. Maximum.

*cede conductis* manifeſtum eſt. Hoc etiam tempore ſcripſiſſe *Celſum Luciani* amicum alibi [o] oſtendimus. Eundemque illum fuiſſe qui ſcripſit in *Chriſtianos*, & cui etiam reſponderit *Origenes*, teſtatur nuper editus in *Lucianum* Scholiaſtes *Voſſianus*. Hic autem cum *Chriſtianos Sibylliſtarum* nomine traducit, jam ſane edita *Sibyllina* demonſtrat, nec aliunde nata infauſta illa, quæ deridet *Lucianus*, de *Romano* Imperio *Chriſtianorum* auguria. Nec alio referendum, ut exiſtimo, quod illo anno *Sibyllino* cxcv°. paulo junior [p] *Judas* Chronographus x°. tamen *Severi* anno Mundi συντέλειαν aſſignarit: quod Chriſtianos *Antiochiæ* irriſos memoret ad *Autolycum* [q] *Theophilus*, ut, paulo antea in *Ægypto* irriſerat *Lucianus*. Utrobique ut videtur, propter mala illa & infauſta de Patria vaticinia. Erat porro inter *Sibyllas* una *Ægyptia*, cujus proinde Oracula *Ægyptios Præfectumque*, [r] hoc tempore, *Ægypto Lucianum* incitare poſſent. Illius autem perſonam egit illis VIII^i. Libri verbis Impoſtor:

> Ὁππόταν Αἰγύπτου βασιλεῖς τρὶς πέντε γένωνται,
> Ἔνθεν ὅταν φοίνικος ἐπέλθῃ πενταχρόνοιο,
> Ἥξει πορθήσων, &c.

De *Antichriſto* loquitur, quem ex *Oriente*, non ex *Ægypto*, venturum expectavit, ut ex aliis ejuſdem verbis conſtat, Auctor. Quod vero per *Ægypti* Reges tempora *Antichriſti* deſignarit, illud nempe ex Perſona *Sibyllæ* fecit *Ægyptiæ*. Male autem xv^m. *Ægypti* Regem de xv°. *Imperatore*

o *Diſſ. ad* Iren. *Diſſ.* 1. §. 18. & *Append.* p *ap.* Euſeb. *H. E.* q Theoph. Antioch. *ad* Autol. *III.* r *Apol. pro Libr. de merced. cond.* Lucian.

intel-

intellexerunt hactenus viri eruditi. Chronicum Canonem *Ægyptiorum* conſervavit *Ptolemæus*, ex quo liquet tempora ſuos illos ad annum *receptæ* ab Auguſto *Alexandriæ*, Urbis nimirum *Conditæ*, pro calculo *Varroniano*, DCCXXIV[m]. per familiam Regiam *Macedonum* deduxiſſe, ad annum nimirum *Cleopatræ* XXII[m]. inde autem novam illam Epocham incipere *Auguſtorum* per Principes Romanos. Ita patebit è numero Principum *Ægyptiorum* excludendum eſſe *Julium*. Sed nec ullum in eorum Chronologia locum habere poterant ab *Ægyptiis* nunquam agniti *Otho* & *Vitellius*. Excluſis illis, XV[us]. *Ægyptiorum* Imperator non erit *Hadrianus*, ſed tertius ab Hadriano ſucceſſor *Commodus*. Hoc autem nemo eſt quin videat quam accurate reſpondeat noſtris de hujus Impoſtoris ætate hypotheſibus. Verſus proximi ſententiam obſcuravit menda Librarii. Puto ita ſanari poſſe ſi pro Ἔνθεν legamus Κύκλος, vel talem aliquam, ſimilis tamen ſignificationis, vocem. Sacra nimirum erat Sacerdotibus *Ægyptiis Heliopolitanis* Epocha per *Phœnices* πεντάχρονος, *quingentorum* ſcilicet *annorum*. Eam enim *Phœnicis* ætatem fuiſſe cenſebant, publiciſque χρόνων ἀναγραφαῖς, ut è [f] *Clemente* conſtat *Romano*, Phœnicum denuo redeuntium tempora mandabant. Et quidem ſatis apte *Reſurrectionem* ipſam ad *Phœnicis* ortum retulit quem ipſe pro Reſurrectionis *Symbolo* habebat. Ita perſonam *Ægyptiæ Sibyllæ* hoc in loco egit Impoſtor, quem potuit proinde in *Ægypto* ob oculos habere *Lucianus*. Et ſane talia ominatos eſſe de *Romano* Imperio coævos Impoſtori *Chriſtianos*, exinde conſtat quod

f Clem. Rom. *Ep. ad.* Cor. §. 25.

paulo junior illo Chronographus *Judas* x[m]. ſaltem ejuſdem Imperii, *Severi* nimirum, annum crediderit ei fore fatalem. Neſcio an ea mala Chriſtianorum auguria Perſecutionem illam excitarint, ab eo demum anno cœptam quem Mundi ultimum credidit ille *Judas.* Hoc ergo tempore, inter annum cxci[m]. & cxcv[m]. ſub finem *Commodi*, aut ſub initium *Severi*, ſcripſit hæc ediditque *Sibyllina*, unus idemque, ut videtur, Impoſtor. Alia tamen hodiernæ Collectionis *forma* eſt ab ea quam dedit primus Auctor, ut proinde non eodem *ordine* quo in hodiernis occurrunt Libris eodem ab Auctore ſcripta exiſtimanda ſint. Quam olim habuerint, ſua nimirum ætate, formam docet [t] Lactantius: *Harum* (inquit) *omnium Sibyllarum Carmina & feruntur, & habentur, præterquam Cumææ: cujus Libri à Romanis occuluntur; nec eos ab ullo, niſi à Quindecimviris, inſpici fas eſt. Et ſunt ſingularum ſinguli Libri: qui, quia Sibyllæ nomine inſcribuntur, unius eſſe creduntur, ſuntque confuſi, nec diſcerni, ac ſuum cuique aſſignari poteſt, niſi Erythrææ, quæ & nomen ſuum verum Carmini inſeruit, & Erythræam ſe nominatam iri prælocuta eſt, cum eſſet orta Babyloniæ.* Erant ergo, ætate *Lactantii*, x *Sibyllarum*, (excepta *Cumæa.*) Libri proinde ix. in quibus quæ in *ſingularum* Sibyllarum Perſona ſcripta ſunt, ea ſuum Librum ſingularemque occuparint. Initium Operis conſervavit *Theophilus Antiochenus*, è quo loca nonnulla ſub *Sibyllæ Erythrææ* nomine protulit *Lactantius.* Ea ſub illo titulo legimus in hodierna etiam Collectione: Σιβύλλας βιβλίον Α. Προοίμιον περὶ τȣ̃ ἀνάρχȣ θεȣ̃. Sed omiſſis mediis

[t] Lact. *L. I. c. 6.*

deſlorata

deflorata perperamque invicem commiſſa, quod ſcilicet illa duntaxat ad *locum communem* facerent, περὶ τοῦ Ἀνάρχου Θεοῦ. Hinc facile intelligimus Libris omnibus præfixum illud fuiſſe Προοίμιον in Perſona *Sibyllæ Erythrææ*. Nec adeo aliam fuiſſe ab *Erythræa*, cujus Perſonam primo Libro egerit falſarius. Et tamen aliis hodiernæ Collectionis Libris agi videmus Sibyllæ ejuſdem *Erythrææ* Perſonam. Sic legimus Libro III°. ſed vitioſiſſime:

Ἔστι πόλις κατὰ χθονὸς οὐχάλδαιο
Ἐξ ὧν δὴ γένος ἐστὶ δικαιοτάτων ἀνθρώπων, &c.

Intellexit Librarius *locum* de *Abrahamo* Judæorum Patriarcha ex *Urbe Chaldæorum* oriundo. Longe tamen aliam lectionem è Codice *Regio* repræſentavit *Opſopæus*:

Ἔστι πόλις τῇ κατὰ χθονὸς εὐρυάγυια.
Ἐξ ἧς μοι γένος, &c. Quid ſi ita legamus?
Ἔστι πόλις Βαβυλὼν δὲ κατὰ χθονὸς εὐρυάγυια
Ἐξ ἧς μοι γένος.

Ita fuerit hic ipſe locus à *Lactantio* obſervatus in quo ſe *Babyloniam Sibylla* profeſſa eſt, quanquam *Erythræa* vulgo ſoleret nominari. Et reliqua adeo ſequentia in hanc ſententiam intelligenda erunt. Id quod fortaſſe conſtabit, ſiquando Codicum integriorum auxilio locus hic reſtituatur, vitioſior ſane quam ut ab ingenio Codicibus deſtituto poſſit emendari. Ita cum alio loco hæc jungenda ejuſdem Libri III[i]. ubi hæc eadem legimus quæ proferuntur à *Lactantio*. Et ſane *Babyloniam*, ni fallor, agit ubi *Babyloni* eventura auguratur, quod Libro facit eodem

hodiernæ collectionis III°. Et tamen IV^m. Librum *Sibyllæ Erythrææ* adjudicavit *Ranconetus*, propter multa *Lactantii* Testimonia. Possent & alia proferri è *Lactantio* utriusque generis exempla, tam nimirum illa quibus quæ *Sibyllæ* tribuit *Erythrææ* ea diversis hodiernæ Collectionis Libris legi, quam & illa quibus aliarum *Sibyllarum* dicta in iisdem tamen nostræ Collectionis Libris inveniri observamus cum Oraculis Sibyllæ *Erythrææ*. Sed nimis hic prolixos esse non patitur consilii à nobis suscepti ratio. Ea tamen breviter observabimus quæ ab eruditis occupata nondum observavimus. Ergo hic primi Confictoris ordo erat quo *singularum* Sibyllarum Oracula *singulis Libris* conjuncta legebantur. Hujus primæ Divisionis membra τόμους, ni fallor, appellavit 2^æ. distributionis Auctor. Sic enim legimus in Libri hodierni II^i. medio: [u] Πάλιν ἐν τῷ τρίτῳ αὐτῆς τόμῳ τάδε φησὶν ἐκ τοῦ δευτέρου λόγου περὶ Θεοῦ. Hæc ille, nimirum pro eorum sententia qui cum *unicæ Sibyllæ* mentionem, & quidem *Erythrææ*, in initio factam observassent, proinde tertium illum Tomum eidem Sibyllæ cujus priores fuissent, tribuendum esse censebant. Inde tot illa congesta à *Petito* Testimonia Patrum, *unicam* duntaxat *Sibyllam* memorantium. *Sibyllam* enim in aliorum Librorum initiis memoratam, de *eadem* illa *Sibylla* intelligebant *Erythræa*, cujus nomen legerant in universi Operis initio. Atqui profecto *alia* illa *Sibylla* fuerit oportet quæ in arca *Noetica* fuisse fingitur, à *Sibylla* illa quæ *soror Apollinis* & *Latonæ* junior. Et quidem illa *Phrygia* fuerit oportet pro eorum hypothesibus qui *Phrygiæ* [x] κιβωτὸν ad *Di-*

[u] *Pag.* 306. *Edit. Gallæi.* [x] Bochart. *Phaleg.*

*luvium*

*luvium* retulere *Noeticum.* Erat quidem *Phrygia* etiam illa quæ *Diana* etiam appellata *Delphos* venerit, & *ſororem* ſe *Apollinis* profeſſa eſt, ſi [y] *Clementi* credamus *Alexandrino.* Ea tamen melius *Delphica* habenda eſt. Scio aliam eſſe, pro aliorum opinione *Delphicam* ex *Helicone*, educatam à *Muſis*, filiam *Lamiæ Sidoniæ*, eodem etiam teſte [z] *Clemente.* Ab utraque etiam diverſam fuiſſe neceſſe eſt quæ *Erythræa* appellata eſt, cum tamen eſſet revera *Babylonia.* Mitto interim alia à rebus in *Italia, Samo,* & *Ægypto* prædictis aliarum Sibyllarum argumenta, *Italicæ* certe ſeu *Cumanæ* ſeu *Tiburtinæ*, & *Samiæ*, & *Ægyptiæ.* Hunc autem ordinem *Lactantianum* pervertit alius, *Lactantio* quidem *junior*, noſtro tamen ſenior, Collector. Diſtribuit ille *Sibyllarum* omnium Oracula per *locos Theologicos.* Locos jam vidimus duos, alium περὶ τοῦ ἀνάρχου Θεοῦ, alium περὶ Θεοῦ· poſteriorem è. 11°. Locorum Theologicorum Libro. Antiquioris illum Auctoris Titulum exinde fuiſſe conſtat, quod non δεύτερος ille Λόγος appellatur, ſed ἐκ δευτέρου Λόγου, quem noſter ſcilicet compilaverit. Similes occurrunt formæ etiam alibi. Ita ἐκ τοῦ πρώτου Λόγου legimus, p. 36. Editionis *Gallæi.* Secundi Libri initio illa legimus: [a] Λόγος δεύτερος, περὶ Ἑλλήνων, καὶ περὶ Θεοῦ, καὶ περὶ κρίσεως. Quæ tamen in aliis tam MSS. quam Editionibus deeſſe obſervavit *Opſopœus.* E Regio Codice Inſcriptionem prolixiorem exhibet, ex Perſona, ut videtur, nuperi Collectoris. Ὡσαύτως καὶ τοὺς πολυθεΐαν γονοῦντας ἐλέγχει, τούς τε ἀδίκους καὶ ἁμαρτωλούς· καὶ συμβουλεύει ὡς συγγενεῖς, τὸν ἕνα καὶ μόνον σέβειν τὸν Θεόν· εἶτα παροιμιάζει τὴν ἄθλησιν τῶν ἁγίων· καὶ τε-

y Clem. Al. *Str. I. p.* 323. z Clem. Al. *Str. I. p.* 304. a *p.* 188. *Ed.* Gallæi.

λυτήριον περὶ τοῦ φρικτοῦ τοῦ βήματος σωτὴρ ἡμῶν φησὶ λέγουσα τάδε. Hæc tranſitio eſt Excerptoris à *loco* uno ad alium *locum Theologicum*, reſpondetque formæ illi cujus jam meminimus è Libro hujus farraginis II°. Exemplumque hic habemus quam licenter iſtiuſmodi Collectoris lemmata omiſerint Librarii, Librorum numeris in eorum locum ſuffectis. Similiter in Libro III°. illum Titulum habemus: Λόγος Τρίτος. Μετὰ τάδε προβαίνουσα τοῖς λόγοις περὶ τοῦ ἀπατεῶνος δαίμονος τοῦ Ἀντιχρίστου φησὶν ὧδε πη. Omitti etiam hoc in loco Λόγος Τρίτος, & lemma legi in *Ranconeti* & *Pithæi* exemplaribus, & in veteri Editione obſervavit *Opſopœus*. Hinc ſane ſuſpicio eſt quæ ἐκ Λόγων *Locorum Theologicorum* adduxerat ultimus hujus Operis conſarcinator, ea in Λόγους, quaſi hujus Operis partitiones fuiſſent, mutaſſe Librarium. Manet certe antiquior illa forma in initio Libri VII[i]. qui non Ἕβδομος Λόγος, ſed Ἐκ τοῦ ἑβδόμου Λόγου. Sua nimirum *Oracula* Deorum *Gentilium*, antiquiſſimorumque *Poetarum* Philoſophicorum, quos illi nunc *Theologos*, nunc *Prophetas* appellabant, ſimiliter per *Locos Philoſophicos* digeſſerant *Gentiles*, Philoſophiamque ex *Oraculis* hauſtam appellabant. Illam ἐκ Λογίων hauſtam *Philoſophiam* deinde pro *Textu* habebant *Porphyrius*, junioreſque Prophyrio *Philoſophi*. Hos imitati deinde nuperi *Defloratores*, non *Sibyllarum* duntaxat, antiquiſſimorumque *Patriarcharum*, verumetiam celeberrimi cujuſque Scriptoris *Ethnici* nomine, neſcio quæ *Oracula* commenti ſunt de *Locis* Chriſtianorum *Theologicis*. Nugarum illarum ſpecimen edidit eruditiſſimus [b] *Bentleius*. Suntque alia ejuſdem farraginis multa in MSS. nondum edita, nec luce fortaſſe digna. Fecit

[b] *ad finem* Malelæ.

cit itaque pro more Sæculi ſui, quicunque tandem is fuerit, qui *Oracula Sibyllina* per *Locos* digeſſit *Theologicos.* Hæc autem obiter. Erant, fateor, & alia quoque noſtris paulo antiquiora commenta, ſub eodem *Sibyllarum* nomine venditata, quæ anno U. C. DCCCC°. Civilia Bella *Romanis* minarentur. Sed neſcio quo errore *Dio* ad *Tiberii* tempora aut *Neronis* referat, aut ad illa ſaltem *Bella Civilia* quæ *Neronis* exitum conſecuta ſunt, cum etiam poſt *Tiberium*, & tamen ante exitum *Neronis*, Urbis tamen annum DCCC$^{m}$. anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XLVII°. pro calculo nimirum *Varroniano*, celebrarit *Claudius.* Ne quidem illa omnium antiquiſſima, eademque falſiſſima, *Ennii* ſupputatio annorum ad ſua tempora DCC. Urbis tamen annum DCCCC$^{m}$. in *Galbæ Othoniſque*, & *Vitellii* tempora contulerit. Noſter planus ſeſe *juniorem* prodit, qui annum præterea XLVIII$^{m}$. addendum cenſuit, cum jam certiſſime conſtaret hallucinatum eum, qui bella hæc ſub *Severo* Civilia, aut *Mundi finem*, ad annum *Urbis* DCCCC$^{m}$. retulerat. Alium illum Impoſtorem ante annum CXLVII$^{m}$. qui idem erat, pro recepta jam *Varroniana* ſupputatione, DCCCC$^{us}$. ſcripſiſſe certum eſt. Et quidem alia illa *Sibyllina* in teſtimonium advocat S. *Juſtinus* Martyr qui ſub initium *Pii* ſcripſit. Profert & alia ſub *Sibyllarum* nomine antiquior *Hadriano* [c] *Joſephus*, ſed *metri* lege ſoluta. Senſit hoc noſter, & Carmina quædam eodem ſpectantia ſuis etiam figmentis [d] inſeruit, *verbis* etiam nonnullis è *Joſepho* mutuatis. Sed vel inde conſtat ſua illum potius è *Joſepho* effinxiſſe, quam ab illo ſua accepiſſe *Joſephum*, quod,

c Joſeph. *Ant.* L. IV. d Sibyll. Or. III.

pro more *Gentilium Sibyllarum* Deos *plurali* numero designet *Sibylla Josephi*, nostra illa contra, pro more *Christianorum*, Deum non aliter unquam memoret quam numero *singulari*. Antiquius adhuc habemus de *Oraculis* Christianorum *Sibyllinis* testimonium, si quidem fides Quarti Sæculi Scriptori, qui sub [e] *Justini* Martyris nomine vulgo legitur. Is enim *Sibyllam* à *Clemente* memoratam dicit Epistola ad *Corinthios*. Sed nulla ejus mentio in Epistola quam habemus *hodierna*. Nec ulla præterea suspicio memorari potuisse in Codicis *Alexandrini* lacuna. *Photius* certe qui *integram* legit nihil tale observavit, Criticus alioqui in id genus, quos putàbat, nœvis admodum morosus. Suspicor potius è *secunda* ejus, quæ vulgo habetur, ad *Corinthios* Epistola natam esse erroris illius occasionem. [f] Ego illam Διδαχὴν ejus fuisse suspicatus, sum, nec adhuc conjecturæ pænitet. Διδαχὰς illas etiam ostendi è genuinis Operibus interpolari solitas, quod etiam in hac ipsa apparet Διδαχῇ. Sic tamen interpolari solebant ut alia tamen multa sua addiderit Διδαχῆς Collector. Fateor nihil tale legi in parte ejus illa quam conservavit Codex *Alexandrinus*. Nihil tamen vetat quo minus in antiqua illa, secundi, ut videtur, Sæculi Διδαχῇ locum etiam potuerit habere *Sibylla*. Imo est quod ita se rem habuisse suspicemur. *Constitutiones* quas habemus *Apostolicas* ex illis ipsis Διδαχαῖς consarcinatas credidit maximus [g] *Cestriensis*. Neque id, ut videtur, immerito. Disputat Auctor ille ex professo de *Resurrectione*, & multa adfert è vere *Clementinis*. Inter illa locum etiam [h] *Sibyllæ* de Mundi conflagratione, quem habuit in ani-

e *Quæst. ad Orthodox.* f *Diss. I. ad* Iren. §. 29. g Pearson. *Vind.* Ignat. h *Const. Apostol. V. c.* 7.

mo,

me, ut videtur, Auctor *Quæstionum ad Orthodoxos*. Quidni illa è *Clementis* Διδαχῇ deprompta existimemus? Nihil ſane veriſimilius. Hunc etiam vidit *Sibyllæ* locum [i] S. *Juſtinus*. Adhuc antiquius habetur de *Sibylla* teſtimonium. Ejus enim lectionem *Gentilibus* commendatam à S. *Paulo* Apoſtolo dicit [k] *Clemens Alexandrinus*. E *Prædicatione* fortaſſe, quæ ferebatur, S. *Pauli*. Sed Secundi Sæculi exeuntis, & parum probatæ fidei Traditionibus conſtabant pleræqne illæ Apoſtolorum *Prædicationes*, quo tempore *Sibyllina* illa fictitia innotuiſſe certum eſt. Nullum itaque antiquius *Hadriano* teſtimonium extat de fictis illis in *Chriſtianorum* favorem Oraculis *Sibyllinis*. Sed nec ullum de *Gentilium* Sibyllinorum Collectione aliqua qua *prædici* potuerit Imperium *Hadriani*. Nec puto ſane tale quicquam extitiſſe in coævis S. *Juſtino* Martyri *Sibyllinis*. Aliter fuiſſet, ægre admodum ille qui *Sibyllas* laudat ad proximos *Hadriano* Succeſſores, beneficium illud recentiſſimum tacuiſſet, de prædicto à *Sibylla Hadriani*, imo etiam *Antoninorum*, Imperio. *Trajani* certe *mortem* deſignat, & *locum* ipſum, quo eſt mortuus, *Selinuntem*. Atqui *Trajani* initio, eodem quo *Nerva* deceſſit anno XCVIII°. accepit hoc Oraculum *Hadrianus*. Potius itaque è *ſortibus* hiſce *Virgilianis* junior ille ſua confinxit *Sibyllinus* Impoſtor. Sic non *Hiſtoria* aliqua rei *geſtæ*, ſed ſuis potius conjecturis, freti videntur alii illi à *Spartiano* memorati, qui, cum Imperium *Hadriani* ab *Oraculo* prædictum legerent, & mentionem ejus in his ipſis legiſſent Oraculis *Sibyllinis* diſertiſſimam; non aliud utique quærendum *Oraculum* de quo intelligeretur, arbitrati ſunt, quam hoc ipſum, quod in hodierna Collectione legimus,

*i* Juſtin. *Apol. II.* *k* Clem. Al. *Strom. VI. p.* 636.

*Sibyl-*

*Sibyllinum*. Facile enim fieri potuit, ut tamdiu antea ſub *Sibyllarum* nomine conficta pro *vere Sibyllinis* haberentur, ætate *Spartiani*. Longe autem melius de *ſortibus*, quas dedimus, *Virgilianis* Hiſtoriam illam interpretabimur. Notum enim in *Hadriani* cauſa verſum *Virgilianum* proferunt, imperante *Tacito*, Senatores. Et verſus alios *Virgilianos* dedit *Spartianus*, unde de *Ælii Veri* Cæſaris Imperio auguria cepit *Hadrianus*. Hæc ſane animum arguunt *Virgilianis ſortibus* addictiſſimum.

# *Prælectio* VIII. *ad Spart.* Hadrian.

FEB. 23. 169⁰⁄₁.

## *Cur nulli legantur in* Codice *Principes* Legumlatores, *nec ulli in* Pandectis Jurisconsulti, *antiquiores* Hadriano.

*Incipiunt ab* Hadriano *Corpora* Juris Civilis *antiquissima, & Responsa, quæ extant* Jurisprudentum. §. I. Damnatorum *Principum* Leges *irritæ.* §. II. Julius *tandem e* Divorum *Kalendariis exclusus.* §. III. Divi *honorem habuit aliquantisper* Commodus, *tandem amisit.* §. IV. *Sic etiam* Claudius. §. V. *Multi tamen, ante* Hadrianum, *Principes* Divi *&* legitimi. §. VI. *Eorum* Acta *rata, & sequentium* COSS. Juramentis *plerunque confirmata* §. VII. *Quod* Codices *&* Pandectæ *ab* Hadriani *temporibus incipiant, ratio illa sola esse non potuit, quod* Nerva *novam Principum* Stripem *exorsus esset.* §. VIII. *Sed potius illa, quod in* Legibus Romanis *multa innovarit.* §. IX. Edictum *Prætoris* perpetuum *primus sub* Hadriano *composuit* Salvius Julianus. §. X. *Item* Edictum *Provinciale* Proconsulis *Primi* Proconsules *in* Prætorum Provincialium *locum successerunt.* §. XI. Potestatem Proconsularem Consulari *ipsa majorem habebant* Imperatores, *quorum nomine concipi solebant* Provinciarum *illa* Proconsularia Edicta. §. XII.

I. Incipiunt ab *Hadriano* Corpora *Juris Civilis* antiquissima & Responsa, quæ extant, *Jurisprudentum.*

IN sortibus *Virgilianis*, ut à *Spartiano* referuntur, ita legimus:

> ——— *primam qui Legibus Urbem*
> *Fundabit.*

Hæc verba quatenus ad *Hadrianum* referuntur, latasque ab eo, in æmulationem Numæ, *Leges*, ad hanc, Auditores, Prælectionem

ctionem distulimus, vestra præsertim causa qui *Juri Romano Civili* nomen datis. Jam enim supra observavimus ab *Hadriani* temporibus incipere quæ habemus *Juris Civilis* Corpora antiquissima; ab illis *Jurisconsultos* Pandectarum antiquissimos; ab illis antiquissimos omnium etiam *Codices*, Gregorianum atque Hermogenianum; *Gregorianum* ab *Hadriano* ad *Valerianum*, *Hermogenianum* ab *Claudio* ad *Diocletianum*. Siqua *Imperatorum* superiorum Edicta, aut *Jurisprudentum* vetustiorum Responsa, obiter hic memorari videmus, *Collectionem* tamen utrorumvis habemus nullam, nec ullam illa vim *Legum* obtinent nisi quam *recentioribus* debent *Imperatoribus* aut *Jurisconsultis*. Quæ enim *memorantur* à *junioribus*, jus illud idem assequuntur ut pro *Legibus* haberentur quod etiam illorum fuerat apud quos leguntur vel obiter memorata, juniorum. Id cur ita se habuerit, dignum proculdubio censebitis ut à nobis investigetur.

II. *Damnatorum* Principum *Leges* irritæ.

Non certe *deerant* superiorum *Principum Rescripta* aut *Jurisprudentum Responsa* quæ poterant congerere primi *Corporum* nostrorum Collectores. Hoc manifestum faciunt tot Principum Edicta, & Jurisconsultorum antiquiorum Scripta vel *obiter* saltem memorata. Hoc certe vel è luculenta illa *Juris Historia* constat quam nobis conservavit [a] *Pomponius* in *Enchiridio*. Sed nec illa prorsus abierant in *desuetudinem*, cum nostri scriberent Collectores. Imo *Legum* vim habuisse, & in *Romanorum usu* recepta vel illa produnt supponuntque quæ de superiorum Edictis Responsisque scribunt recentiores. Esto fuerint *damnatorum Principum*

a *Dig. I. Tit. II. l. 2.*

rescissa

rescissa Acta, eorumque qui *hostes Populi Romani* fuerint à *Senatu* declarati. Nec sane memini ullam hic memorari Legem *Caii*, aut *Neronis*, aut *Othonis*, aut *Vitellii*, aut *Domitiani*. Non solum *postrema* eorum *Acta*, cum à *Senatu* damnarentur, irrita facta sunt, sed & alia quoque illa quæ in *Imperio* gesserant universo. Scio quidem indulta nonnulla *Domitiani* legi apud *Plinium* juniorem, etiam Imperante *Trajano*, in causa *Archippi* Philosophi. Sed à *Nerva* confirmata; vim alioqui nullam, ut videtur, habitura. Sic etiam, post *Hadrianum*, nulla legimus Edicta *Didii Juliani*, quanquam ille è Jurisconsultorum stirpe descenderit, & Interdicti, *uti possidetis*, in *Severum*, beneficium vendicarit; non *Nigri*, non *Albini*, non *Getæ*, non *Macrini*, non *Elagabali*, non *Quintilli*, non *Floriani*, sed nec *Tyranni* cujuspiam qui Codicis *Gregoriani* temporibus aut *Hermogeniani* vixerit. Unicum excipio *Maximinum Thracem*, cujus aliquas habemus Leges initio Imperii, nullas tamen postquam oppugnaretur à Senatu, *hostisque* declaratus esset. Sed vero ratio *illa* communis erat damnatis Principibus, etiam junioribus *Hadriano*. Et in priori illa *Hadriano* Periodo multi erant Principes vel bona saltem posterorum fama, pro *Divis* habiti, & *Templis*, *aris*, *Flaminibus*, & *Sacris* solennibus coli soliti. Erant, fateor, nonnulli *aliquantisper* Divi, sequentium tamen, ut videtur, Principum decretis, à *Divorum* Catalogo & honoribus exclusi, qui quidem quousque Divi, utcunque immerentes haberentur, tantisper *Edicta* eorum & Rescripta valuerunt, & *Leges*; cum damnarentur, & illa quoque una damnata vim omnem deinceps *Legum*

*b* Plin. *X. Ep.* 66. 68.

perdidisse videntur. *Tiberii* certe & *Testamentum* & *Acta* irrita fecit *Caius*, nec alio illum honore, præterquam *funeris publici*, prosecutus est. Et tamen observavi, ni fallor, è Pandectarum *Jurisconsultis* qui *Divum* appellarit *Tiberium*. Id si recte fecerit, sequentium Principum decreto factum necesse est, quo *Divis* Principibus *Tiberium* accensuerit. Sed pauca admodum, siqua forte ulla, memorant *Tiberii Rescripta*, aut *Orationes*, aut *Acta* publica aut *cognitiones*, quæ tamen omnia, si *bonorum* fuissent *Principum*, in *Leges* migrasse certum est. Et brevi admodum tempore duraverit necesse est. Nec enim locum prorsus ullum habet *Natalis* ejus, seu in *Natalibus*, seu in *Kalendario Constantii*.

III. *Julius* tandem è *Divorum* Kalendariis exclusus.

Idem observamus & in primo Imperii conditore *Julio*. Illum in *Divorum* numerum relatum esse certum est. Et quidem *Divum* illum appellant quotquot habemus, eorum temporum, quibus *familia* ejus imperavit, Scriptores. *Divum* illum appellant *Horatius* & *Diodorus Siculus*; Divum *Strabo* & *Velleius Paterculus*; Divum & reliqui fere, quos habemus, usque ad tempora *Trajani*, & sub *Trajano* etiam *Tacitus*, *Suetonius*, *Plutarchus*. Qui *Divum* illum postea appellarit raro, ut existimo, quenquam reperietis. Locum certe nullum habet seu in *Natalibus*, seu in *Kalendario Constantii*. Unde intelligimus tunc saltem nullum fuisse ejus, sub *Divi* nomine, cultum publicum. Sed nec in *Jurisconsultis* Digestorum, seu *Leges* ejus ullas, seu *Divi* nomen (quod quidem meminerim) unquam legimus. Ne quidem in *Lucio Floro*, qui tempora attigit *Hadriani*. Divum, fateor, appellat [c] *Spartianus*,

c Spart. *Æl. Ver. c.* 7.

*tianus*, ſed *Veterum* potius, ut videtur, quam *ſui* Sæculi, imitatione. Niſi forte verba, *hoc eſt Divum Julium*, ex imperiti *Librarii* inepto gloſſemate in Textum irrepſerint. Qui enim *Cæſarem Dictatorem* dixerat, non opus erat ut verba illa adderet, cum *Cæſar* nullus, præter *Julium*, fuerit *Dictator*. Imo ab *Auguſto* Cæſarum initium repetunt nonnulli, quaſi *nullus* fuiſſet in *Cæſarum* numero *Julius*. Ita *Victor* Epitomator: *Anno U.C. DCCXXII°. ab exactis vero Regibus quadringenteſimo octogeſimoque, mos Romæ repetitus uni prorſus parendi.* Sed annus *U. C.* corrigendus eſt DCCXXIV. Eum enim numerum abſolvunt anni CCCCLXXX additi anno U.C. CCXLIV. quo Reges exacti ſunt. Eadem fere verba leguntur apud *Victorem* alium *Schotti*, ſimiliter utique corrigendum. Niſi forte ſupputationem *Catonianam* ſecutus uterque fuerit; aut *communem* aliquem, qui ſecutus fuiſſet, *Auctorem*. Sic autem in alio ſaltem annorum CCCCLXXX. errorem eſſe neceſſe eſſet. Sic etiam *Indices publicos* memorat [d] *Vopiſcus*, qui ſeriem purpuratorum ab *Auguſto* ad *Diocletianum Maximianum*que deducerent. Annus ille U. C. DCCXXIV. idem annus eſt quo *Alexandriam* recepit *Auguſtus*. Et quidem ab eo ipſo *anno* Cæſarum annos incipiunt Faſti *Ptolomæi* & *Theonis*, quos alibi explicuimus, *Alexandrini*. Ut proinde inde Æram hanc deſumpſerint *Victor* uterque & *Vopiſcus*. Sed aliam tamen, ni fallor, dedit occaſionem jam antea excluſus à publico *Divorum* honore *Julius*. Occaſionem excludendi fuiſſe ſuſpicor *Trajanum* & *Hadrianum*, aliosque, eorum exemplo, ſtudioſos *Reip.* Principes. Cum enim *libertatem* ipſi Senatui & Reip. indul-

*d* Vopiſc. *Aurelian. c.* 42.

gerent, vel quandam libertatis saltem *speciem*; facile inde sequebatur ut primum libertatis oppressorem honoribus posthumis spoliari paterentur. *Trajanum* legimus gladium [e] Præfecto mandasse, pro se, si bene Imperasset; sin aliter, adversum se usuro. Sub eodem illo licuit [f] *Brutorum Cassiorumque Cæsaris* percussorum, & *Catonis* hostis infensissimi imagines habere palam, & colere. Non ita sub *Tiberio*. Tum capitale [g] *Cremutio Cordo* fuit, quod *M. Brutum* laudasset, quod *C. Cassium Romanorum ultimum* dixisset. Nec tamen erat hoc nomine spoliandus *Augustus* qui *libertatem* ultro ipse *reddidit*, redditis nimirum Imperii acti rationibus & in *Quinquennia* vel *Decennia*, novo Reip. decreto potestatem accipiens. Utcunque tamen factum, ut *Divum* illum non agnoscerent; non erant deinde illius *Leges* in Imperatorum *Codicibus* expectandæ.

IV. *Divi* honorem habuit aliquantisper Commodus, tandem amisit.

Quod porro *Julio*, idem & *Commodo* contigit, (post tempora tamen *Hadriani*) ut etiam ille *aliquantisper* pro *Divo* haberetur, tandem vero sequentium *Principum*, aut novo forte alio *Senatus* decreto, honore illo spoliatus. *Damnatum* primo constat è publicis, quæ hodieque extant, *Senatus* acclamationibus. Sed vero cum faveret in *Severum* Senatus *Albino*, & vero nomen *Commodi* odiosissimum *Senatui* vidisset; sic ultus ille est Senatus illas in se insidias, ut *Commodum*, illis invitissimis, in *Divorum* numerum retulerit, & se D. *Marci* filium, & Divi *Commodi* fratrem appellarit. Factum hoc annis quinque, aut circiter, postquam excesserat *Commodus*, duravitque,

e Vict. *Cæsarib.* & Dio Xiphilin. f Plin. *L. I. Ep.* 17. g Tacit. *Ann. IV. c.* 34.

ut

ut exiſtimo, ad finem *Caracallæ*. Qui enim, imperante *Caracalla*, ſcripſerunt *Juriſconſulti*, illos *Divum Commodum* appellare, & *Leges* ejus pro *legitimis* agnoſcere, in *Pandectis* obſervavi. Et tamen antequam primum *Codicem* colligeret *Gregorius*, temporibus forte *Gallieni*, poſt *captivitatem* tamen *Valeriani*; jam rurſus *Divi* honoribus privatus eſt. Reſcripta enim ejus nulla collegit ille, quicunque fuerit, *Gregorius*. Non alia proculdubio de cauſa quam quod *Acta* ejus iterum reſciſſa, & *Leges* ejus iterum vim legum amiſiſſe repererit. Proinde non eſt quod miremur nullum eſſe *Commodi*, ſeu in *Natalium* Catalogo, ſeu in *Kalendario* Conſtantii, *Natalem*.

V. Sic etiam *Claudius*.

Eſt & alius, ante *Hadrianum Divus* Imperator, qui tamen poſtea honorem illum amiſerit. Intelligo nempe *Claudium* illius nominis primum. Irriſit quidem hunc ejus honorem *Seneca* in Ἀποκολοκυντώσει. Et tamen aliquantiſper obtinuit. Sed locum habet in *Conſtantii* Catalogo & *Calendario*, *unici Claudii* Natalis, qui *primi Claudii* Natalis eſſe non poterat. Is *Divi Claudii* Natalis ad VI. Idus *Maias* refertur. Natales illos *geniture* fuiſſe, non *Imperii*, jam ſupra obſervavimus. Ut proinde *primi Claudii* Natalis ille eſſe non potuerit, quem Kalendis *Auguſtis* natum teſtis eſt [h] *Suetonius*. Sed nec illi potuit eſſe Natalis *Imperii*. Imperium enim, vel exeunte *Januario*, vel *Februario* ineunte, accepit *primus* iſte *Claudius*. Nec etiam *Claudio* 2°. *Imperii* Natalis eſſe potuit. Mors enim *Gallieni* *Romæ* etiam IX°. Kalendas *Apriles* innotuit, qui purpuram miſerat ad *Claudium* moribundus. Cur

h Sueton. *Claud.* c. 2.

tamen ejus Natalis genituræ esse non potuerit, nihil obstat. Nec enim illum aliunde cognoscimus quam ex eximiis hisce *Catalogo* atque *Kalendario.* Illum autem *Divum* fuisse, pariter ac priorem, satis constat. Hoc itaque *Constantii* tempore *primi Claudii* Natalem nullum celebratum *Romæ* fuisse verisimile est. Quis vero illum è *Divorum* Catalogo expunxerit, non facile constare puto. Certe *Jurisconsulti* multi in *Pandectis*, & *Divum* illum appellant, & *Leges* ejus legitimas agnoscunt. Ut proinde qui illum primo è *Divorum* Sacris exclusit, is vixerit oportet post illos *Jurisconsultos*, & tamen ante *Constantium.* Utcunque tamen nulla erat, ut puto, ratio, cur hoc nomine Codicis *Gregoriani* aut *Hermogeniani* Autores excluderent.

VI. Multi tamen, ante *Hadrianum*, Principes *Divi* & *legitimi.*

Sic itaque constat, non propterea cœptos esse ab *Hadriano* Codices, quod nullos, ante illum, Autores *Codicum legitimos Principes* agnoscerent. Imo vero, præter *Claudium*, alii multi erant superiores *Hadriano Divi*, *Augustus* certe, *Vespasianus*, *Titus*, *Nerva*, & *Trajanus.* Hos etiam agnoscunt, eorumque *Natales* conservarunt *Constantii* tam *Catalogus* quam *Kalendarium.* Nec ulla ratio est, cur *mediis* etiam temporibus quibus vixerunt *Codicum* collectores, *Principum* aliquem fuisse suspicemur, qui eorum nomina à *Divorum* Fastis excluserit. Certe *Jurisconsulti* in *Digestis Divorum* titulo illos insigniunt, & *Leges* eorum & *Acta* omnia rata habent. Sed nescio fueritne aliquis eorum *Jurisconsultorum* *Alexandro* junior. Is autem erat *Divorum* cultor observantissimus. Coluit eos ille in [i] *larario majore & sanctiore*, Et qui-

i *Alex.* c. 29.

dem

dem *plerunque horis matutinis quoties esset castus ab uxore.* Imo [k] *Statuas* colossas vel pedestres, nudas, vel equestres illis in *foro* D. *Nervæ*, quod *Transitorium* dicitur, locavit omnibus cum *titulis*, & *columnis æreis*, quæ *gestorum ordinem* continerent, exemplo *Augusti*, qui summorum virorum statuas in *foro suo* è marmore collocavit, additis *gestis*. Utinam extarent egregiæ illæ *columnæ* quæ non *gesta* sola, sed gestorum etiam *ordinem* complectebantur. Si quidem ad formam Marmoris *Ancyrani*, quod habemus hodieque *Augusti* monumentum, conceptæ fuerint, *Historiam* illorum *Augustorum*, atque *Chronologiam* locupletiorem facerent. [l] *Vitas* præterea *bonorum Principum versibus scripsit, Lyra, tibia, organo cecinit; tuba etiam* (inquit Autor) *quod quidem Imperator nunquam ostendit.* Itaque *Divorum* bonorum, illius temporibus oportebit memoriam fuisse notissimam, nec ullo modo ab ipso violandam.

VII Forum *Acta* rata, & sequentium COSS. *Juramentis* plerunq; confirmata.

Dum vero *memoria* eorum in honore esset, fieri non potuit quin & *Edicta* & *Rescripta*, & *Cognitiones*, & *Acta* omnia publica vim *Legum* obtinerent. Potestatem habebant, in *libera* etiam *Rep.* exercituum *Imperatores*, non *Belli* duntaxat & *Pacis*, sed etiam *indulgentias* concedendi & *Privilegia* quæ postea etiam ab *Senatu* rata habebantur, ni qua nova occasio fuisset revocandi. Sic legimus *Pompeii* M. *Dolabellæ*, & *Lentuli* indulta concessa *Asiaticis* apud *Josephum* & *Plinium*, quæ etiam illis quoque temporibus vim obtinuerint, quibus *Plinius* vixerit & *Josephus*. Habebant etiam *Pontifices* Jus quoddam sibi proprium

*k Ib. c. 28. l Ib. c. 27.*

in *Actionibus*, ut proinde eodem illo *Jure* præditi fuerint *mali* etiam, ſub titulo *Pontificum*, *Imperatores*. Erat præterea mos ab ipſo fere Imperii primordio, ut in *Acta* ſuperiorum Principum adjurarentur futuri *Conſules*. Sed vero illud diligenter oportet obſervare Juniores, aliud fuiſſe, in diſciplina *Romanorum*, jurare *in verba*, aliud *in Acta* jurare. Juramentum *in verba* toties, in libera Rep. dari ſolebat quoties novus erat Militum *delectus*, eratque plane nihil aliud quam *Sacramentum militare* quo cavebant milites Imperatoris ſui vel vitam cuſtodituros, vel mortem ſaltem vindicaturos, ἢ φύλακας τοῦ σώματος ἢ τιμωροὺς παθόντι τι ἔσεσθαι. Sic enim vim ejus interpretatur *Appianus*. Sic itaque jurabant, in libera quoque Republica, non illi modo quibus ad manum eſſent, arma, ſed illi etiam qui [m] *ætate* eſſent *militari*. Morem ſub *Imperatoribus* diſcimus è [n] *Tacito*. Jurant enim *Tiberio*, ejuſdem anni quo ſucceſſit *COSS. apudque eos Seius Strabo, & C. Turannius, ille Prætoriarum cohortium præfectus, hic Annonæ. Mox Senatus mileſque & Populus.* Nec niſi *vivo* Imperatori, & quocunque demum anni tempore, præſtari hoc ſolebat juramentum. Mos vero jurandi in *Acta* ab alio liberæ Reip. more oriundus erat, quo Magiſtratus *Acta*, pro tempore Magiſtratus, erant ἀνυπεύθυνα, proximo tamen, quam è Magiſtatu deceſſiſſet, anno, penes *Senatum* eſſent, vim aliquam deinceps, necne habitura eſſent. Sic poſito Magiſtratu *Pompeius*, proximiſque COSS. *Acta* ſua in Provinciis Orientalibus omnia uno voluit eodemque ſuffragio confirmari, τὰ πεπραγμένα αὐτῷ πάντα ἐπικυρωθῆναι. Ver-

[m] Liv. *L. XXII.* [n] Tacit. *Ann. l. 7.*

ba ſunt *Dionis*. Contra *Lucullus* de ſingulis ſeorſim referendum eſſe cenſuit, [o] ἰδίᾳ καὶ καθ' ἕκαστον ὧν ἔπραξεν ἐπεξελθεῖν καὶ μὴ πᾶσιν ἅμα αὐτοῖς τὴν κύρωσιν αἰτεῖν. Quod rógavit, nec conſequi tamen ſub libera Rep. potuit, *Pompeius*, id Imperatoribus omnibus pro *more* conceſſum, ut *ſingulis annis* & Kalendis [p] *Januariis* Acta eorum non modo rata haberent, verumetiam in illa *jurarent*. Exemplum *Dio* ab ipſo deducit [q] *Julio*, quod ſuo quoque tempore obſervatum ait pro omnibus ſummis Imperatoribus, ſive vivis, ſive jam *defunctis*, ὅ μὴ ἀπημωθεῖσι, quorum memoria ſcilicet non fuerat damnata. Idem *Caii* nomen, & [r] *Tiberii* negat in eorum Principum Catalogo fuiſſe quorum mentionem facerent in ſui temporis *Juramentis* atque *votis*. Sic itaque conſtat & *bonorum* Principum *Acta* omnia fuiſſe *confirmata*, & *abrogata* fuiſſe omnia *damnatorum*. Fateor equidem *recuſâſſe* honorem illum, in Juramentis annuis bonos Principes, aut qui ſaltem boni haberi vellent. Recuſavit [ſ] *Tiberius* & [t] *Nero*, &, ſi recte memini, *Trajanus*. Commendabat tamen nomen eorum Poſteris eo magis ipſa illa modeſtia. Bonorum certe *Hadriano* antiquiorum Leges ſolennibus illis annuiſque Juramentis vim adhuc ſuam vigoremque retinuiſſe conſtat è manifeſtiſſimis illis, quæ dedimus, *Dionis* teſtimoniis. Sic *adjurati* ſunt in *Cæſaris Acta* ab *Antonio*. Et quidem nomine illo *Actorum* Antonius munera Reip. quæcunque diſpoſuit, quaſi è Scriptis *Cæſaris*. Nec illa tamen ſola *Actorum* nomine comprehenſa fuiſſe veriſimile eſt. Etiam *Cognitiones*, etiam *Interlocutiones*,

*o* Dio. *L*. 37. *p*. 58. *p* Lipſ. *Excurſ. ad* Tacit. *Ann*. *XVI*. 22. *q* Dio *L*. 47. *p*. 384, 385. *r* Dio *L*. 60. *ſ* Tacit. *Ann*. I. 72. *t* Tacit *Ann*. *XIII*. 11.

&

& *Orationes*, & *verba* omnia à *Notariis* publicis excepta *Actorum* nomine complectebantur *juniores*; nescio tamen an complexi fuerint *Antonio* coævi, qui in primis *Imperii* vixere primordiis. Sed vero illæ *Adjurationes*, in damnatorum Principum causa, erant omnino nullæ. Sic enim obstitit *Caius* ne in *Acta Tiberii* fierent *Adjurationes*. Imo nonnunquam non modo nullæ erant in Acta *Adjurationes*, sed expresso quoque *Senatus* decreto *Acta rescissa* sunt. Atque ita *Officiorum* dispositiones, seu novi *Principis* arbitrio, seu *Comitiis*, reservatæ sunt. Sed non *Acta* modo, sed & *Leges*, in recentiorum Principum damnatione revocatæ sunt. Nonnunquam non à *Senatu*, sed à *Principibus*, priorum Principum *Acta* rescissa sunt. Ita locum in *Juramentis* aut *Votis* nullum habebant, [m] *Dionis* etiam tempore, *Tiberius*, aut *Caius*, nullo tamen SC. sed *Principum* Edictis, damnati. Utcunque tamen bonorum Principum & *Acta*, ni revocarentur, obtinebant. Et certum est multas superiorum Principum *Leges* post *Hadrianum* fuisse receptas. Alia itaque quærenda est causa cur in primis *Codicibus* locum illæ nullum obtinuerint, quam ipsa *Principum* Legislatorum *damnatio*.

VIII. Quod *Codices* & *Pandectæ* ab *Hadriani* temporibus incipiant ratio illa sola esse non potuit, quod *Nerva* novam Principum *Stirpem* exorsus esset.

Et quidem illa causa fortasse negligenda non est, quod ab *Hadriani* familia ortum duxerint Principes usque ad *Alexandrum*, sub quo ultimos pierosque diximus vixisse *Jurisconsultos* quorum mentionem habemus in *Pandectis*. Adoptavit enim *Hadrianus Pium*, sed ea tamen Lege, ut *Marcum* ipse adoptaret, & *Marcus Lucium*. Sic itaque in *Hadriani* familia cense-

m Dio *lib.* [illegible] *p.* [illegible].

batur

batur *Marcus*. Itaq; & *Marci* filius naturalis *Commodus*, & per Adoptionem *Severus*, & *Severi* filius *Caracalla*, & *Caracallæ Elagabalus* & *Alexander* ipſe. Nec ſane Principum, qui, non *Hadriano* oriundi erant, *Leges* ullas agnoſcunt ſeu *Juriſperiti Pandectarum*, ſeu primi etiam *Codices*; non certe *Avidii Caſſii*, non *Juliani*, aut *Albini*, aut *Nigri*, aut *Macrini*. Ut proinde *familiarum* aliarum *Principes* nullos immiſcuerint. Utque in gentis *Flaviæ* numis νεὸν ἱερὸν legimus, propter *Stirpem*, ut videtur, à *Cæſariana*, diverſam; ſic & in *Nervæ* numis legimus primi *Hadrianei* ſtirpis Autoris. Ut tamen fuerit hæc una fortaſſe cauſa, non tamen ſola, aut integra, cur ab *Hadriano* cœperint *Codices*. Imo *Codex* primus qui in *Valeriano* deſiit, tum demum confectus eſt cum & *Hadriani* quoque *familia* defeciſſet, nec *Principes* illum, ſeu *ſanguinis*, ſeu *Adoptionis* jure (quod quidem ſcimus) attingerent. Utque *Nervam* ſtirpis Imperatoriæ originem agnovit forte *Alexander* qui *Divorum* Principum Imagines Inſcriptioneſque in foro *Nervæ* collocaverat: ita recentiores Imperatores, præſertim *Diocletianum* ſic ſæpe loquentem obſervavi, quaſi *ſuperiores* etiam *Hadriano* Principes, pro ſuæ *ſtirpis* Autoribus agnoſcerent. Ut proinde *Hermogeniani* Codicis Autor *Antiquiorum* quoque Principum *Leges* recipere debuerit. Sed nec prioris *Codicis* Autori ratio illa eſſe potuit cum jam *familia* defeciſſet *Hadriani*. Denique & illa *Familiæ* ratio non explicat, cur non ſaltem *Nervæ* & *Trajani*, qui primi erant Familiæ conditores, *Leges* tamen nullas in *Codice* legamus, nec cur *Juriſconſultos* nullos *Hadriano* antiquiores legamus in *Pandectis*.

Ego

IX. Sed potius illa, quod in *Legibus Romanis* multa innovarit.

Ego potius è *Numæ* illa imitatione profectum arbitror, ut primam hodiernis *Legibus* & *Codicibus* originem dederit *Hadrianus*. Sic enim de eo ſcribit melior antiquiorque *Schotti* Victor: *Pace* (inquit) *ad Orientem compoſita, Romam regreditur. Ibi Græcorum more, ſeu Pompilii Numæ, cæremonias, L E G E S, gymnaſia, Doctoreſque curare occœpit.* Habemus hic teſtem diſertiſſimum *Numæ* æmulum fuiſſe *Hadrianum*, & in eo ipſo, de quo agimus, *L E G V M* argumento æmulum. Novavit itaque multa in *Legibus Hadrianus*, ut *Legum* Imperii ſecuti primus veluti Autor fuerit habendus. Non equidem quod nullæ fuerint, ante *Hadrianum*, in Imperio *Romano Leges*, ut fuerant etiam, ante *Numam*, ſub Rege *Romulo*. Et tamen ita *Legum Romanarum* Autor habetur *Numa*, quaſi ante illum nullæ omnino fuiſſent, quod magnas attuliſſet ille in univerſo *Legum* Corpore mutationes. Sic etiam *Hadrianus* eam fecerit tantamque *Legum* mutationem, ut quaſi novus Legum conditor fuerit habendus, *earum* ſcilicet *Legum* quæ deinceps obtinebant. Magna enim ex parte *Leges* veteres revocavit; & quas reliquit intactas, eæ minimam, in nova *Legum* conſtitutione, partem fecerint. Habuitque à deceſſoribus exemplum, novum Imperium novis auſpicandi *Legibus*. Sic enim cœperat *Nerva*, ſublatis *Domitiani* legibus parum gratis, ſuiſque in earum locum repoſitis. Sic & *Trajanus*, cum *Romam* acceſſiſſet, Imperium *Legibus* illis cœpit quas memorat in *Panegyrico Plinius*. Sed *Pacis* artibus quam *Belli* inclareſcere cupienti, & *Numæ* exemplum imitari volenti, plura erant in *Legibus* novanda quam fuerant à deceſſoribus.

Nec

X.
*Edictum* Prætoris *Perpetuum* primus sub *Hadriano* composuit *Salvius Julianus.*

Nec vero *Legum* duntaxat *multitudine* id consecutus est *Hadrianus* ut fuerit pro novarum Legum *autore* habendus; sed quod in *Officiis Officiariisque* Reip. eam fecerit mutationem ut *veteres* Leges pleræque nullum inde locum habuerint, & *novæ* aliæ pleræque post *Hadrianum*, Leges formam illam, non quam veteres, sed quam reliquerat *Hadrianus*, absolverent. Id nos docet *Victor* Epitomator: *Officia sane publica, & palatina, nec non Militiæ, in eam formam statuit, quæ, paucis per Constantinum immutatis, hodie* (inquit) *perseverat*. Imprimis causæ *Civiles* fere omnes ad Jurisdictionem *Prætoris* attinebant. Atqui singulis *annis* Prætores novi *nova* ediderunt *Edicta*, quæ quidem *Edicta* Jus Civile *Prætorium honorarium* omne complectebantur. Inde enim constabat quibus in causis potestatem habebat *Prætor*, & quas *Juris Regulas* in suæ Potestatis exercitio esset observaturus. Hæc autem *Edicta* cum nonnullas mutationes paterentur, pro *arbitrio Senatus*, in *annuis* de *Edicto Pætorio* Senatusconsultis; proinde magnam licentiam concedebant *Jurisconsultis* Prætorii Juris Interpretibus. Sed modum posuit huic licentiæ diu ante *Hadrianum*, etiam sub *libera* Republica, Senatus. Hoc unde (inquietis) intelligimus? ex ineditis *Librorum linteorum* Fragmentis, in quibus ita legimus: *Senatusconsultum factum, ut Prætores suis Perpetuis Edictis jus dicerent*. Factum hoc *V. Kal. April.* COSS *Æmilio* & *Licinio*. Urbis nimirum Conditæ, pro Epocha *Varroniana*, anno DLXXXVI°. quo *Perseus* ab *Æmilio* consule victus est, in iisdem observatum legimus *Pontificum* Archivis. Quod sane nesciendum erat nisi ex his ipsis innotuisset quantivis

pretii

pretii illorum Archivorum Fragmentis. Collegerat hæc Editionique paraverat inedito Inſcriptionum volumine *Paulus Petavius*. Inde exſcripſit Vir maximus memoriæ celeberrimæ *Iſaacus Voſſius*. Ab eo accepit Vir Cl. *Hadrianus Beverlandius* qui mecum communicare dignatus eſt. Ita mecum intelligitis, Auditores, quibus gratiam, hoc nomine, omnes debeamus. Inde quibus gradibus, quantiſque mutationibus ad Imperatorum tempora proceſſerit illud Edictum, nullæ ſunt quæ nos certiores faciant Hiſtoriæ. Illud certum tantas fuiſſe ſub Imperatoribus rerum converſiones, ut merito ſit quod ſuſpicemur fuiſſe aliquas in ipſo etiam officio *Præturæ*, quæ *novum* proinde Legis Prætoriæ *Edictum* poſtularint. Qui tamen Textum innovarit, primus erat, quod quidem ex hodiernis conſtat monumentis, *Hadrianus*. *Illius enim juſſu, quod varie inconditeque* (inquit *Victor* alius Antiquior) *à Prætoribus promebatur, in ordinem compoſuit Salvius Julianus*. Atque hoc *Edictum* quod *Perpetuum* appellant, non ut antea *annuum*, aut Senatus Principiſve non certe Prætoris ipſius libito aliquatenus *arbitrarium*, Commentariis ſuis illuſtrant qui deinceps floruere *Juriſconſulti*, & pro *norma* habent *Juris honorarii Urbani*. Ita factum ut Juriſconſultorum *veterum* Commentarii, de eodem illo *Jure Prætorio*, non aliter utiles fuerint, niſi quatenus cum forma *Edicti Perpetui Hadrianei* conveniebant, aut ad *ſententiam* ejus explicandam facerent, cum tamen illi formam illam *Edicti Perpetui* non cognoviſſent; nec ſententiam illius qui primus compoſuit *Juliani* exploratam habere potuiſſent, niſi qua res ipſa & cauſæ rationiſque paritas ad declarandam illius *ſententiam* conducerent. Ita intelligimus,

telligimus, in colligendis *Pandectis*, juniorum, qui *Textum* ipſum *Edicti Perpetui* ob oculos habuerint, præcipuam habendam fuiſſe rationem, qui *verba* eadem, eandemque etiam adhibuiſſent explicandi methodum; *Antiquiorum* vero non aliter niſi qua probati fuiſſent à *junioribus*, facerentque ad *Edicti Perpetui* ſententiam explicandam judicio juniorum. Sic itaque in Jure *Urbano* novavit *Hadrianus*.

XI. Item *Edictum* Provinciale *Proconſulis*. Primi *Proconſules* in *Prætorum Provincialium* locum ſucceſſerunt.

Eſt & alius in Jure Civili *Textus*, *Edictum* nempe *Provinciale*, quod totum debemus, ni fallor, *Hadriano*. Certe *Juriſconſultos*, qui in illud commentati fuerint, nullos habemus antiquiores *Hadriano*. Et quidem, ut in priori Edicto loquitur *Prætor*, ſic & in hoc Commentatores loqui faciunt *Proconſulem*. Non tamen illud ad *Provincias* duntaxat *Proconſulares* ſpectabat, quæ paucæ erant; ſed Provincias *omnes*, etiam *Præſidiales* & *Auguſtales*. Sic enim ſolent *Provinciæ* opponi *Romæ* & *Italiæ*, ut quodcunque *Italicum* non ſit, id ſtatim neceſſario fuerit *Provinciale*. Tum vero fortaſſe mirum videbitur, cur non *Præſidis* nomine conceptum fuerit, potius quam *Proconſulis*. Omnibus enim *Provinciarum* præfectis commune nomen erat *Præſes*. Datum id fortaſſe *Populo*, ut Reip. liberæ mores quam proxime imitarentur. Nulli enim olim fuerant *Provinciarum* præfecti *Civili* pariter ac *Militari* poteſtate præditi, præterquam *Proconſules* & *Prætores*; nec alios legimus *Edictorum* poteſtatem habuiſſe. Habuit quidem Cæſar *legatos*, non *Prætores*, ſed *pro-Prætore* tantummodo. Sed ignotum erat liberæ Reip. illud etiam officium. Primus enim *Auguſtus* ipſe,

cum

cum *Prætor* non eſſet, *legatum* tamen egit *pro-Prætore*. Fuerint illi *legati* plerique fortaſſe viri *Prætorii*, ut libera Repub. ſolebant appellari, aut *ex-Prætores*, ut recentioribus *Auguſtorum* temporibus. Talis certe erat *Plinius*, quem *legatum pro-Prætore* nuncupant *Inſcriptiones*, qui fuerat nimirum antea *Prætor* ſub *Domitiano*. Id tamen ipſum, fueritne perpetuum, eſt ſane quod dubitemus, cum *Prætor* non fuerit *antea* qui *primus* hoc officium geſſit *Auguſtus*. Sed exemplum illorum *Proprætorum* à *Proconſulibus* fortaſſe deſumptum eſt. Erant autem illi olim *Conſules*, jam tamen non *Conſules*, qui agerent *pro-Conſulibus*. Sic & illi qui *pro-Prætoribus* agebant, *Prætores* olim fuerint, qui tamen jam *Præturam* exuerant. *Pro-Conſule* autem agere, non id ſolum denotaſſe videtur, quod *ornamenta* habuerint & *inſignia Conſularia*, quæ poſtea dabant per *Codicillos* Imperatores; ſed quod *Poteſtatem* habuerint *Conſularem*. Id certe indicant *faſces* & *lictores* quæ *Ciceroni* erant *Ciliciæ Proconſuli*, etiam poſtquam exceſſerat è *Provincia*, dum *Urbem* ingrederetur. Fuerint itaque *Proconſules* illi qui cum *Conſules* non eſſent, *poteſtatem* tamen haberent, in certa aliqua Provincia, *Conſularem*. Tum primum enim inventi *Proconſules*, cum *plures* eſſent *Provinciæ* quam *Conſules*, majori tamen quam *Prætoria* dignitate regendæ. Factum hoc in libera republica An. U.C. *Onuphriano* CCCCXXVIII. * *Quinto* enim *Publicio Philoni* poſt Conſulatum *prorogatus* honor in *annum* ſub titulo Proconſulis. Aliquantiſper autem in *Provincias* non-Conſulares mittebantur *Prætores*. Sed cum & *Prætorum* numerus conſtringendus eſſet, & tamen

* Liv. *VIII.* 26.

indies

indies *novæ* accedèrent *Provinciæ*; Sic tandem factum ut in *minorum* Provinciarum usum assignandi fuerint *Proprætores*, Prætoria utique *Potestate* præditi. Sic titulo *Ægyptiacæ* Præfecturæ [u] *Daciam* noster ornabat *Hadrianus*, quo plus haberet *Autoritatis*, non utique *titulo* tenus duntaxat, sed ipsa quoque *Ægyptiacæ Præfecturæ* potestate, quæ sola utique additura erat *Autoritatem*.

XII. *Potestatem Proconsularem Consulari* ipsa majorem habebant *Imperatores*, quorum nomine concipi solebant *Provinciarum* illa *ProconsulariaEdicta*.

Atqui *Edicti* potestatem & *Jurisdictionem* habebant *Prætores*, & proinde *Prætorum* vicem obtinentes *Proprætores*. Sic itaque tam *Prætoris* nomine,quam *Proconsulis*, Provinciale concipi potuit *Edictum*. Potuit quidem si *Provinciarum* duntaxat *Prætoriarum* illud fuisset *Edictum*; sed cum omnium commune esset, tam *Prætoriarum* quam etiam *Consularium*, jam *potioris* utique potestatis nomine fuerit concipiendum. Sed vero tunc (inquietis) *Consulis* potius quam *Proconsulis* nomine concipiendum erat. *Consulum* enim etiam *Edicta*, sub *libera* quoque *Rep.* legimus apud * *Livium*. Major enim certe *Consul* ipse quam is qui tantum agebat *pro Consule*; major nimirum ipse qui Potestatem habebat *originariam*, quam qui potestatem habebat *mutuatitiam* duntaxat, atque aliunde acceptitiam. Concedo id quidem, si de *Provinciarum* duntaxat intelligatur *Proconsulibus*. Erat autem *Proconsularis* potestas *Consulari* ipsa major, in ipsis *Imperatoribus*. Exemplum nimirum ejus à *Pompeii* M. Potestate

*u* Spart. *Adrian. c.* 7. * Liv. II. 24. *VIII*. 6.

*Proconſulari* acceptum arbitror in bello *Piratico*. Erat enim ea talis ut *maris* quidem *Romani* univerſi dominium complecteretur, & *Provinciarum* etiam *maritimarum*, ſic ut in illis infra quinquageſimum à mari lapidem pro *majori* illam *poteſtate* agnoſcere oportuerit *Provinciarum Præſides*. Agnoſcebant autem *demittendo faſces*, & *juſſa* ejus *exequendo* quæcunque viderentur à Republica. Nullæ itaque *Provinciæ maritimæ*, ne quidem *Conſulares*, ab hac *Proconſulari poteſtate* exceptæ ſunt. Sed in eo major erat Proconſularis illa *Principum* poteſtas quam *Pompeii*, quod *omnes* prorſus Imperii *Provinciæ*, non *maritimæ* ſolæ, *Principem* pro *majori poteſtate* agnoſcebant, faſceſque demittebant. In *Populi Romani* Provincias hanc poteſtatem obtinebant, ſub nomine *Poteſtatis Proconſularis*, exemplo *Pompeii*. In reliquis, quæ à *legatis Cæſareis* regebantur, Jure ipſo *Imperatorio*. Parebant enim, in libera quoque Repub. *legati Imperatoribus*, quorum nimirum *legati* fuiſſent. *Major* itaque erat poteſtate *Conſulari* ipſa Poteſtas illa *Principum Proconſularis*, tam *ditionis* amplitudine, quam *loci* etiam ipſius dignitate. *Provinciis* ſingulis præfici ſolebant, pro *Imperii* diſciplina, à *COSS.* Provinciis omnibus, etiam *Conſularibus*, ipſiſque adeo *COSS.* leges dedit *Poteſtas* illa, de qua agimus, *Proconſularis*. Atque inde factum arbitror, ut cum *perpetuam* haberent *Poteſtatem* illam, cum *Tribunitia*, etiam *Proconſularem*; proinde & *Conſulatum* ordinarium *perpetuum* affectarit non ſolus *Domitianus*, ſed reliqui *Flaviæ* gentis Imperatores. Ut ſcilicet *poteſtas* illa *Conſulatu* ordinario major, *Conſularis* deinde potius, quam *Pro-*

*conſu-*

*consularis* haberetur. Cum enim *Censorum* nomen, & quidem *perpetuorum*, è *numis* conſtet, novo quodam exemplo accepiſſe hos Gentis *Flaviæ* Principes; non erat certe alienum ut & *Consulatum* ambirent ſimiliter *perpetuum*, propter illam, quam dedimus, præſertim rationem.

# *Prælectio* IX. *ad Spart.* Hadrian.

F E B. 13. 169$\frac{0}{1}$.

*Transitio.* §. I. *A prima* Titulorum Imperatoriorum *mentione in* Numis Inscriptionibusve *male* rerum *ipsarum* initia *colliguntur.* §. II. Imperatores *multi* Proconsules *appellati ante* Severum §. III. *Imperium* Proconsulare *idem cum Imperio* Provinciarum omnium *atque* Exercituum, *&* *cum ipso adeo* Imperio. §. IV. *Alia* Provinciarum *Jura ante illud* Edictum Hadriani, §. V. Edicti Provincialis *usum sustulit concessa Provincialibus* Civitas *ab* Antonino Caracalla. §. VI. *Ab eodem, ut videtur,* Hadriano *Edictum Perpetuum* Ædilis Curulis. §. VII. Italia *ab* Hadriano *quadripertita, & quatuor* Consularibus *assignata.* §. VIII. Italis *non ingrata, nec ab* antiquo more *prorsus aliena, nova illa distributio,* §. IX. *Horum* Consularium *loco suffecit* Marcus Juridicos, *quos etiam ipsos sustulit* Macrinus. §. X. Juridici *illi à* Jurisperitis *&* Jurisconsultis *distinguendi.* §. XI. Juridicis *successere fortasse* Correctores. §. XII. *In disciplina etiam* Militari *multa novavit* Hadrianus. §. XIII. *Cur nulla* Jurisconsultorum Responsa *recitentur in* Pandectis Hadriano *antiquiorum, aut recentiorum* Alexandro. §. XIV. *Quo* tempore *hæc constituerit* Hadrianus. §. XV.

I. Transitio. PRiori, Academici, Prælectione causas cur *primus* in *Codice* Princeps *Legislator* legatur *Hadrianus*, & *primi* in *Pandectis Jurisconsulti* eidem *suppares*, enucleavimus. Idque quo commodius exequeremur, ostendimus

oſtendimus *malorum* quidem Principum damnatorumque Acta reſciſſa, *Legeſque* fuiſſe *abrogatas*; bonorum tamen *Hadriano* antiquiorum *Leges* vim ſuam omnem, etiam poſt *Hadrianum*, vigoremque ſervaſſe, quæ fuerint propterea in *Codice* commemorandæ. Oſtendimus præterea, ante *Codicem Gregorianum* fuiſſe Principes *alienarum* à familia Hadriani *familiarum* memoriæ *probatæ*, nec etiam *primos* familiæ *Hadrianeæ* Principes in *Codice* Legiſlatores reperiri, non certe *Nervam*, aut *Trajanum*. Cauſas itaque veriſimillimas fuiſſe *novitates* illas quas, pro *Numæ* exemplo, *Legibus* Romanis *Hadrianus* invexerit. Et quidem *Textus* Legum *Romanarum* ab *Hadriano* novatos recenſuimus; *Civibus* nimirum Romæ *incolis Edictum perpetuum*, *Provincialibus* autem *Edictum* aliud quod tribuunt Juriſconſulti *Proconſuli*. Rationem autem, cur potius *Proconſuli* quam *Prætori*, aut *Conſuli* aſſignaretur illud Edictum, ab *Imperatorum* ipſorum *Poteſtate Proconſulari* deduximus.

II.
A prima *Titulorum Imperatoriorum* mentione in *Numis Inſcriptionibuſve* male *rerum* ipſarum *initia* colliguntur.

Sed vero hæc *Poteſtas Proconſularis* viris alioqui doctiſſimis fere penitus incognita eſt; ac proinde à nobis aliquanto enucleatius, quam hactenus, enarranda. Ne quidem obſervavit *Scaliger Proconſulis* nomen *Imperatoribus* attributum in antiquioribus *Severo* numis. Inde ſiquis colligat tam *nuperam* fuiſſe in *Principibus* Poteſtatem ipſam *Proconſularem*; nobis erit prorſus inutilis, ut *Imperatoris Proconſulis* nomine conceptum fuerit *Edictum Provinciale* temporibus *Hadriani*. Sed longe antiquior erat *Poteſtas* Imperatorum *Proconſularis*. Eſtque illa Argumentatio incertiſſima, ſiquis res ipſas toties cœpiſſe putat aut deſiiſſe,

 quoties

quoties mentionem earum facere incipiunt aut desinunt *Numi*. *Censoriam potestatem* Augustis adjunctam ab ipsis *Augusti* temporibus deducit [a] *Dio*. Ita non cœpit à gente *Flavia*, quæ tamen *prima* illam memoravit in *numis*. Sed nec cum illa gente desiit. *Censoriæ* enim *Potestatis* nomine *lustra* condebant, in mores vitamque *civium* inquirebant, & *ordini* tam *Equestri* quam *Senatorio*, quos visum esset seu *adscribebant*, seu etiam *amovebant*. Hæc enim *jure* quidem *Censorio*, & tamen sine *nomine*, suis etiam temporibus fecisse, testis est idem *Dio*. Idem tradit de admissione *Principum* in *Collegia Sacerdotalia*, quo factum ut *Sacra* omnia in sua haberent Potestate, cum tamen id in paucis recentioribusque duntaxat Principibus legamus. Mentio itaque illa *Titulorum* in *Numis Inscriptionibusve*, pro *arbitrio* erat ipsorum (ut placuit titulus quisque) Principum, non autem *temporis* nota est quo cœperit *potestas* ipsa titulo designata, aut desierit.

III. *Imperatores* multi *Proconsules* appellati ante *Severum*.

Verba *Dionis* in nostra causa satis diserta sunt, quo loco agit de *titulis* Principum ab *Augusti* ipsius temporibus ad sua usque tempora; ut proinde mirer fugisse viros alioqui maximos atque oculatissimos. Sunt autem illa: [b] Ὕπατοί τε γὰρ πλειστάκις γίγνονται, καὶ ἀνθύπατοι ἀεὶ ὁσάκις ἂν ἔξω πωμηρίου ὦσιν, ὀνομάζονται. Quod ait, dum *extra pomærium* essent, *Proconsules* appellatos, recte id nimirum dixit, pro disciplina *potestatis Proconsularis* in libera Repub. Sic enim *Cicero*, cum *triumphum* meditaretur pro gestis in Provincia Proconsulari *Ciliciæ*, noluit *pomœrium* ingredi, ne fa-

*a* Dio. *L. LIII.* *b* Dio. *L. LIII.*

sces

ſces *Proconſulatus* inſignia deponere cogeretur ante *triumphum*. Oportuit enim illum in curru *triumphali* indutum apparere officii quod geſſerat, inſignibus. Nec tamen illud obſtat quo minus, etiam in *Pomœrio*, *Officium* idem *Proconſulare* habuerint Imperatores, licet Officium non niſi extra pomœrium *exercuerint*, & cum uſu, etiam geſſerint ejuſdem inſignia. Imo *Poteſtatem* habuiſſe neceſſe eſt, cum *nova* nulla *Poteſtate* aſſumpta, *extra Pomœrium* tamen conſtituti, jam deinceps audirent agerentque reipſa *Proconſules*. Firmant præterea poteſtatem hanc *Proconſularem* in *Tiberio* Inſcriptiones; alia ita: *Sex Paipelio P. F. Vel. Hiſtro. Legato. Ti. Claudi. Cæſ. Aug. Proconſul.* alia ita: *Legatus Ti. Cæſaris. Aug. Procos. Præfectus. Frumenti dandi. Ex. S. C.* Sed male viri Eruditi titulum *Proconſulis* ad illum retulerunt cujus nomine illæ dedicatæ erant Inſcriptiones, cum eſſet potius ad *Tiberium* ipſum *Auguſtum* referendus. Locum autem *Tertulliani* de [c] *Proconſulatu Tiberii*, de alio potius *Tiberio Africæ procos.* privato homine intellexerim, qui humana Afrorum Sacrificia, nupera admodum, atque recentiſſima *Tertulliani* memoria, ſuſtulerit. Teſtem enim *ipſam* appellat *militiam patriæ* (inquit) *noſtræ, quæ id ipſum munus illi Proconſuli functa eſſet*; non *Acta* aliqua publica, aut *Scripta Hiſtorica*, quæ ſola de *Tiberio Auguſto* jam ante aliquot Sæcula defuncto poterant in Teſtimonium advocari. Imo tunc etiam, cum illa ſcriberet, in *occulto* illud *Sacrificiorum Humanorum* flagitium perſeverare teſtatur. Sic nimirum recenti metu ut *minuerit* quidem, non tamen penitus *extinxerit*, humana illa

c Tert. *Apol. c.* 8.

Sacrificia. Vix tamen potuit *metus* ante *ducentos* fere *annos* incussus vel illud saltem efficere ut *rariora* essent, aut occultiora, *humana Sacrificia*, ætate *Tertulliani*. Potuit nuperus & recenti adhuc Sacrificantium memoria. Imo vetita illa *Humana Sacrificia* ab *Hadriano*, testis est [d] *Porphyrius*. *Hadrianum* autem intellexit, ni fallor, non *Trajani* Successorem, sed Hadriani *Pium*, qui etiam ipse *Ælius* est *Hadrianus Antoninus*, tam in *Inscriptionibus*, quam in *Numis*. Is potius fuerit oportet, cujus milites testes advocat *Tertullianus*. Et sane *juniorem* etiam *Tiberium Proc.* memorant *Inscriptiones*, seu *Procuratorem* illum Augusti, seu *Proconsulem*, velint. Nec tamen desunt proinde *Principum* etiam, qui *Proconsules* appellati fuerint, exempla, Sic dicitur [e] *Germanicus* ἀνθ' ὑπάτȣ ἄρχων à *Dione* in gestis ann. U. C. 764. [f] *Tacito* tamen, post *triennium*, in gestis anni 767. *Germanico Cæsari Proconsulare Imperium petiit Tiberius*. Sic & *Neroni* anno 51. decretum ut [g] *Proconsulare Imperium extra Urbem* haberet, ac *Princeps Juventutis* appellaretur, eodem teste *Tacito*. Et *Hadrianum* simul & *Pium* [h] *Pro-COSS.* agnoscit noster, illis in *Pii* vita verbis: *factusque est Patri & in Imperio Proconsulari, & in Tribuntia Potestate, Collega*. Et *Marcum Procos.* appellat Inscriptio [i] *Gruteriana*. Sed & noster in vita [k] *Marci*. Eundem & *Vero* delatum à nostro *Proconsulatus* honorem idem testis est in vita *Veri* [l] *Imperatoris*.

*d* Porph. *de Abst.* *e* Dion. *l.* 56. *f* Tacit. *Ann. l.* 14. *g* Tacit. *Ann.* XII. 41. *h Vit. Pii. c.* 4. *Vid.* Gruter. *Offic. Dom. Aug. L.* I. *c.* 41. Salm. *ad Marc. c.* 6. *i* Grut. 258. 7. *k Marc. c.* 6. *l Ver. Imp. c.* 4.

IV.
Imperium *Proconsulare* idem cum Imperio *Provinciarum omnium* atque *exercituum*, & cum ipso adeo *Imperio*.

Redeamus itaque ad modo memoratas *Inscriptiones*. Inde enim discimus *legatos* Cæsaris in *Provinciis*, etiam *Cæsareis*, fuisse ejus, qua *Proconsulis*, legatos. Sic itaque potestas *Provinciarum omnium* ad hanc erit *Potestatem* referenda *Proconsularem*. Erat ergo ab eo usque tempore *Proconsul Augustus* quo *Provincias* cum *Senatu P. Q. R.* partitus est, in *decennium* ab anno U. C. DCCXXVII°. *Proconsul* & *Tiberius*, cum etiam illi *Lege* per *COSS.* lata decerneretur, ut [m] *Provincias* cum *Augusto* communiter administraret, quod anno demum U. C. DCCLXV°. factum discimus è *Velleio Paterculo*. Imo præter *Provincias Exercitus*, etiam complectitur decretum *Senatus* apud Velleium, [n] *Ut* (inquit) *æquum ei jus in omnibus Provinciis exercitibusque esset*. Inde discimus verum esse quod modo ex *Inscriptionibus* observabamus, ejusdem Juris *utrasque* fuisse *Provincias*, tam *togatas Populi*, ubi *nulli* erant *Exercitus*, quam & *armatas Cæsaris* quæ *Exercitibus Præsidiisque* tenebantur, quod, cum fuerit in *togatis Proconsulare*, pariter & in *armatis* fuisse *Proconsulare* consentaneum erat. Nec sane aliter *Pompeius*, unde primum Potestatis *Proconsularis* desumptum diximus exemplar. Is etiam præerat non solum *Civilibus Provinciarum Rectoribus*, verumetiam *exercitibus*. Nempe decretum ei *Imperium* æquum in omnibus *Provinciis* cum *Proconsulibus usque ad quinquagesimum milliarium à mari*, teste [o] *Velleio*. Sic item sententiam tulit *Gabinius* : [p] Στρατηγὸν ἕνα αὐτοκράτορα ἐφ᾽ ἅπαντας αὐτοὺς ἐκ τῶν ὑπατευκότων ἑλέσθαι τρισί τε ἔτεσιν ἄρξαντα καὶ

*m* Sueton. *Tib. c.* 21. *n* Vell. *L. II. c.* 121. *o* Vell. *L. II. c.* 31.
*p* Dio *L. XXXVI.*

δυνάμει

δυνάμει πεπληθεῖ μεθ' ὑποστρατήγων πολλῶν χρησόμενον. Atque hanc Poteſtatem ei ἀντὶ ὑπάτου dicit idem *Dio* decreviſſe *Senatum*. Ad illam itaque Poteſtatem *Proconſularem* ſpectabat *plures* habere *Legatos*, cum alioqui *Proconſules* Ordinarii, ut *unicam* habebant *Provinciam*, ſic & *unicum* quoque *Legatum*. Et plane eadem eſt ex hoc *Dionis* loco Poteſtas hæc *Proconſularis* in *plures Legatos* cum Poteſtate illa αὐτοκρατορικῇ abſolutiſſima, unde *Imperatores* Αὐτοκράτορες audiebant. Inde & *Trajanum*, cum vellet *Neratium Priſcum* Succeſſorem in *Imperio* adſciſcere, ea uſum forma noſter tradit Spartianus, [q] *Commendo tibi Provincias, ſiquid mihi fatale contigerit*, hanc nempe *Provinciarum poteſtatem Proconſularem* eandem exiſtimans cum ſuprema omnium *Imperatoria*. Quæ tamen verba non intellexit Cl. *Caſaubonus*. Omnino *Provinciarum* illam curam *Proconſularem* à Rep. creditam in animo habuit *Reip.* Princeps *libertatiſque* ſtudioſiſſimus. Inde factum ut *Præfecto prætorii* ſui cum *pugionem* daret inſigne *poteſtatis*, ea forma ſit uſus: [r] *Tibi iſtum ad munimentum mei committo, ſi recte agam; ſin aliter, in me magis.* Quod nempe *Reip.* potius *Provincias* cenſeret, quam *ſuas*.

V. Alia *Provinciarum* Jura, ante illud *Edictum Hadriani*.

Cum itaque *Provinciarum* omnium poteſtatem includeret Poteſtas illa Principis *Proconſularis*; cum etiam ipſum *Proconſulis* nomen idem *extra Pomœrium* ſoleret, ut audivimus è *Dione*, tribui; cum & *Proconſul* alius, præter *Principem*, nullus eſſet, qui *unus* Provinciis *omnibus* leges dare poſſet; & *provincias omnes* teneret hoc *Provinciale* de quo agimus, *Edictum Proconſulis* no-

q Spart. *Adrian.* c. 4. r Vict. *Cæſarib.*

mine

mine conceptum: Certe vix eſt quod dubitemus quin *Hadriani* ipſius qua *Proconſulis*, nomine conditum fuerit editumque hoc *Provinciis omnibus* Edictum. Et quidem *novus* erat hic Juris *Textus* in quem commentatur *Caius* recentioreſque *Juriſconſulti*, *veteribus* tamen prorſus incognitus, qui adeo nullum prorſus locum habere poterant, niſi quatenus à recentioribus probarentur. *Exemplum* fortaſſe aliquatenus præbere potuit *Prætor* ille *Peregrinorum* apud *Romanos* in libera quoque Rep. vetuſtiſſimus. Jus enim dixit ille *non-Civibus* omnibus quicunque *Romæ* verſarentur. Nec incredibile eſt etiam illi fuiſſe, tanquam *Prætori Urbano*, annuum *Edictum*. Ut tamen aliquatenus *occaſionem* dare potuerit *Prætor* ille *Peregrinorum Edicto* huic *Provinciarum Proconſulari*: ſic certe *occaſionem tantummodo*, vix *exemplum*. Longe enim diverſa erat cauſa *Peregrinorum* in *Urbe* verſantium, atque in *Provinciis*, & alio quoque atque alio jure judicanda. Qui enim in *Urbe* agebant *Preregrini*, & cum *Civibus* commercium exercebant, illos *Civitatis* legibus magis obnoxios fuiſſe conſentaneum quam *Provinciales*, ſuis plerique legibus viventes, & ſibi invicem diverſiſſimis. Quare difficillimum erat moribus vivendi tam diſcrepantibus unas tamen, eaſdemque *Leges* aptare. *Gentes* itaque *Provinciaſque* diverſas diverſis plerunque legibus moderabantur, ante *Hadrianum*, Provinciarum *præſides*. Sic tamen, ut *Cives coloniaſque Romanas* non aliis vivere legibus permitterent, quam *Romanis*. Sic etiam ut iiſdem *Romanis* legibus viverent ipſi, quippe etiam ipſi *Romani*. Sic etiam, ut in omnibus quæ ad *Regimen Provinciarum* ſpectarent, potiores fuerint *Leges Romanæ* quam *Leges* gentis

cujuſ-

cujuſcunque propriæ. *Non eſt* (inquit *Feſtus*) *Romanis conſuetudo damnare aliquem hominem prius quam is qui accuſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina quæ ei objiciuntur.* Act. xxv. 16. Provinciales itaque ſuos exigit *Feſtus* ad *conſuetudines Romanorum.* In illis nimirum, quæ *Magiſtratuum* eſſent *Romanorum.* Habebant enim *Urbes* & *Municipia* leges *gentium* proprias, non item *Provinciæ*, quarum *regimen* nullis aliis concedebant *Leges Romanæ*, præterquam *Civibus Romanis.* Cedebant itaque *Leges civitatum Municipiorumque* propriæ *Legibus Romanis* qua viſum eſſet conducere ad bonum Reip. Ita *jus gladii Urbibus* omnibus *Municipiiſque* ademptum ſibi *ſolis* vendicabant *Romani.* Ut proinde in cauſis *Capitalibus* Legum *Romanarum* beneficio uterentur etiam *Provinciales*, non à *Magiſtratibus* aut *Decurionibus* audiendi, ſed *Judicibus Præſidibuſque Romanis.* Ita etiam exempti à quibuſdam *Magiſtratuum* pœnis *Romani cives*, ut in cauſa S. *Pauli* Apoſtoli conſtat & *Sylvani.* Ita & *Servos* à Dominis *occidi* noſter vetuit [f] *Hadrianus.* Imo ipſis *Judicibus Romanis* vetitum, ne *Cives Romanos* aut *flagris* cæderent, aut *crucifigerent*, aut in illos *quæſtionem* exercerent. Pœnæ multæ vetitæ in *milites*, in *Decuriones*, in *Senatores.* Sed vero leges haſce Juris Provincialis *Romani* nemo, ut opinor, in unum collegit *Edicti corpus*, ante *Hadrianum.* Antea plura permiſſa arbitrio *Præfectorum*; deinde *Præſidum* ipſorum poteſtas repreſſa, ne pro *arbitrio* Provincias regerent.

[f] Spart. *Adr.* c. 18.

Et

VI. *Edicti Provincialis* usum sustulit concessa Provincialibus *Civitas* ab *Antonino*.

Et tamen in hoc *Edictum Provinciale* pauci admodum erant *Jurisconsulti* Commentatores. *Unicum* habemus, ut puto, qui id fecerit in *Pandectis*, *Caium*. Mirum id videri possit tam fuisse paucos qui tot *Provincialium* commodis inservire vellent. Rationem ego illam fuisse censeo, quod non diu post *Hadrianum Civitatem* dederit *Provincialibus* omnibus *Antoninus*. [t] Non *Pius* ille tamen, aut *Marcus*, ut volunt alii; sed *Caracalla*, ut è *Dionianis* è *Porphyrogenneto* Editis à *Valesio* Fragmentis jam tandem constat. Sic enim factum, ut jam magna ex parte inutile esset Edictum *Provinciale*, *Provincialibus* præsertim, non *Civibus Romanis*, destinatum, cum alioqui *civibus* satis fuisset *Edictum Prætoris Urbani*. Et quidem ita deinceps *Edictum Prætoris Urbani* interpretantur *Jurisconsulti*, quasi *totius Imperii* communis Judex fuisset *Prætor Urbanus*. Sic [u] *restitutionem in integrum* concedit Prætor *si quis suæ Civitatis causa absfuisset, aut si quis Testimonii causa evocatus fuisset è Provincia*. Ne alia exempla innumera proferam eodem spectantia. Inde satis constat in *Provincialium* quoque *foris* atque *tribunalibus* usum tamen fuisse hujus *Edicti Prætoris Urbani*, saltem temporibus illius, qui hæc docuit, *Ulpiani*.

VII. Ab eodem, ut videtur, *Hadriano Edictum* perpetuum *Ædilis Curulis*.

Erat præterea & alius Juris Romani *Textus*, *Edictum* scilicet *Ædilis Curulis* de *emptionibus* & *venditionibus*, atque id genus aliis mercantium hominum contractibus. Et quamquam *Edicta annua* ante *Hadrianum* edere potuerint *annui Ædiles*, vix tamen crediderim hac

*t Dig. de Stat. hom. l.* 17. *u Dig. l. IV. Tit.* 6. *n.* 26.

forma

forma ullum fuisse antea eorundem *Edictum perpetuum*. Conveniunt satis accuratè ætates *Commentatorum*. Fecit itaque *novum* hoc etiam *Edictum* ut inutiles fuerint veterum, quibus nondum innotuerat, de hoc adeo copioso Juris Argumento plerique Commentarii. Hoc in *Edicto* idem contigit quod in Edicto *Prætoris Urbani* contigisse diximus. *Ædilium* non aliorum erat *Edicta* condere, præterquam *Curulium*; nec alii illi uspiam, præterquam in *Urbe Romana*. Et tamen ita in hoc *Edictum* scribunt Commentatores antiqui quasi ubique obtineret, qua patebat Imperium *Romanum*. Aliud certe *Edictum Ædilitium Provinciale* nullum ullibi memorant, nec alias de *Emptionibus Venditionibusve* Leges *Provinciales*. Ut proinde, in hoc etiam Edicto *Provinciis* consultum fuisset, deficere necesse esset, hac tam insigni Juris parte, Jus Civile *Romanum*. Hoc etiam ex eadem *Antonina* Indulgentia, qua *Civitatem* Orbi *Romano* concessit *universo*, ut & *Edicta* Civitatis *Romanæ Ædilitia* Romano *Orbi* essent etiam communia.

VIII. *Italia* ab *Hadriano* quadripertita, & quatuor *Consularibus* assignata.

Hæc itaque novavit *Hadrianus* in ipso Legum *Textu*. Sed & alia quoque novavit, ut observavit *Victor* in *Officiis*, tam *publicis* nimirum, quam *Palatinis*, quam etiam *militaribus*. Quæ certe mutationes multas una mutationes intulerint necesse est in priorum *Principum* Edictis Responsisque *Jurisprudentum*. Nec enim poterant illi *præcipere* de *Officiis* quæ nondum essent *excogitata*. Sed nec *utiles* esse poterant eorum *Præceptiones* de Officiis *aliis* quæ jam penitus sublata in desuetudinem abierant. Sic raro admodum locum deinceps habere poterant *prio-*

rum

*rum* Principum *Edicta* aut *Jurisconsultorum Responsa*; nec digna prorsus quæ in juniorum *Codices* colligerentur aut *Pandectas* tam pauca *utilia* cum plerisque *inutilibus* permixta. Illud itaque novavit imprimis *Hadrianus* in officiis ipsius *Italiæ* quod [x] *quatuor Consulares* per omnem *Italiam* Judices constituerit. Nempe *Italia* universa in *quatuor* partes distributa, non autem quod *Italiam* omnem judicarint in communi. Illud enim discimus è vita *Pii*, ubi ita Autor: *Ab Adriano inter quatuor Consulares, quibus Italia committebatur, electus est ad eam partem Italiæ regendam in qua plurimum possidebat, ut Adrianus viri talis & honori consuleret & quieti.* Illam partem *Campaniam* fuisse existimat *Salmasius.* Et quidem ut partem ditionis ejus fecerit *Campania*, nescio tamen an accurate illam expleverit. *Italiam* enim illam intelligo quæ *Bellum* gesserit cum *Romanis*, nunc *Sociale*, nunc *Marsicum*, nunc *Italicum* appellari solitum. Habebat enim *Gallia* jam *antea* suos rectores, *togata* quoque illa quæ *Italiæ* accenseri solet. Nempe *Campaniam*, *Samnium*, *Lucaniam*, *Brutios*, *Apuliam*, *Calabriam*, *Hetruriam*, *Umbriam*, *Picenum*, *Flaminiam*, *omnemque annonariam Regionem* hujus *Italiæ* nomine complectitur [y] *Trebellius Pollio*. Quanquam autem *Populos* plures illa complecteretur *Italia*, quatuor tamen usa est ducibus, [z] *Popedio* qui *Marsos* regebat, *Afranio* qui *Latinos*, *Telesino* qui *Samnium Lucaniamque*. *Umbria* autem, ut *Romani*, *Senatui* parebat & *Consulibus*. Sic & quadrifariam victos legimus, ut *Cato* discusserit *Etruscos*, quibus *Latini* accensiti sunt; *Gabinius Marsos*, *Carbo Lucanos*, *Sylla*

x Spart. *Adr. c.*22. y Poll. *trig Tyr. c.*24. z Flor. *L.III.c.*18

*Samnites.* Itaque *quadripertitam* quandam diſtributionem obſervaverant olim illius Corporis *Itali.* Sic tamen illi, ut pro *arbitrio* ſuo nunc uni parti nunc alteri gentes ſuas, quæ numerum illum ſuperabant *quaternarium*, contribuerent. Hanc diſtributionem quid ſi aliquatenus imitatus fuerit *Hadrianus*? *Italiam* latiori ſenſu acceptam in *Provincias* XVII. partitur *Notitia Imperii Occidentalis* ſub *Theodoſio* juniori. Sed adeo multæ aliæ harum Provinciarum diviſiones à junioribus *Hadriano* Principibus introductæ ſunt, ante tempora *Theodoſii*; ut, etiam, excluſis aliis illis *Italiæ* Provinciis quæ ab hac *arctiori* Italiæ *ſignificatione* excludendæ ſunt, ſit tamen ita quoque difficillimum *quadripertitæ* illius diſtributionis, quam fecit *Hadrianus*, vel *veſtigia* ſaltem aliqua, in tam obſcuris imperfectiſque illorum temporum monumentis reperire.

IX. *Italis* non ingrata, nec ab *antiquo more* prorſus aliena, nova illa diſtributio.

Eſt autem hæc *Hadriani* prima *Italiæ* atque omnium ſimpliciſſima diviſio. Antea enim *ſuis*, etiam poſtquam *Civitatem* adepta eſt, *Legibus* pariter atque *Magiſtratibus*, uſa eſt *Italia*, nunquam *Provinciis* accenſeri ſolita, ſed *Provinciis* ſemper oppoſita. Nec tamen difficile admodum *Hadriano* fuiſſe puto ut ſuam hanc diſpoſitionem *Italicis* perſuaderet, cum nullam *libertatis* jacturam novum hoc *Provinciæ* nomen inferret. Jam enim antequam *Urbis Romanæ* jura adepti eſſent, placuiſſe tamen illis *Urbis Romanæ* formam inde intelligimus, quod *Senatum* ſibi & *Conſules* propria ſponte adſciviſſent *Umbri*. Cum vero *Civitatem* adepti eſſent, jam *ſuos* quoque, qui *Romæ Conſulatum* geſſiſſent, habere poterant *Conſulares*; nec duriorem adeo paterentur

Servi-

Servitutem quam *Romani* ipsi cum *Italos* haberent *Magistratus*. Habebant enim in ipsis *Consulum* Comitiis, paria cum *Romanis* suffragia, ita nimirum in sua potestate habentes ne *ingrati* ipsis imponi possent Consulares. Accedebat præterea *Imperatoris* ipsius gratia, qui ipse fuerat ex *vetustiore* origine, eorum *Civis* & *Italicus*. Inde enim factum ut nullus fuerit ab *eo* metus aut suspicio, ne quas forte duriores conditiones *Italis* suis fuerit impositurus. Imo *Adriani* patriam agnoverat cùm *quinquennalibus*, ut *civis*, præsideret. Accessit præterea quod etiam olim, grassante *Bello*, in *Italiam* viros *Consulares*, quos ἀνθυπάτους appellat [a] *Appianus*, miserint nonnunquam, saltem extra ordinem, *Romani*. Unde *veterem* ab *Hadriano* dispositionem restauratam potius quam novam institutam, ipse existimaverat *Appianus*. In eo recte, si ita nimirum intelligatur, ut quam formam Regiminis, *extra ordinem* constituerit sub libera Rep. Senatus, eam fecerit *Hadrianus Ordinariam*, quæ mutatio erat longe facillima. Quid quod *Consulares* honoratissimi omnium essent Provinciarum Præsides. *Prætorios* enim plerisque *Provinciis* dedit *Populus*; *Cæsar* etiam nonnullis *Equites*, ne quidem *Senatores*. Et usus ille *Consularium* ad *Judicia* idem fere erat qui *Romæ*, Pace vigente, ipsorum *Consulum*.

X. Horum *Consularium* loco suffecit *Marcus Juridicos*, quos etiam ipsos sustulit *Macrinus*.

Et tamen nulla horum *Consularium* mentio in hodiernis *Codicibus* aut *Pandectis*. Durasse enim ἐς βραχὺ ipse indicat *Appianus*. Datis enim [b] *Juridicis Italiæ* consuluit *Marcus*, ad id exemplum quo *Adrianus Consulares*

a App. *Bell. Civil. L. I.* b *Marc. c.* II.

 *viros*

*viros reddere Jura præceperat*, inquit noſter, in vita *Marci*. Si quidem eodem tempore ſublati fuerint *Conſulares* quo dati *Juridici*; jam *Marci* tempore neceſſe erit ſcripſiſſe *Appianum*, quod non vidit tamen in Hiſtoricis *Græcis* doctiſſimus *Voſſius*. Primis quidem *Marci* temporibus quibus collegam habuit in Imperio fratrem *Lucium Verum*, quod illis *Marci* geſtis hoc accenſuit noſter quæ ante *obitum Lucii* contigerint, methodum nimirum ſecutus *Marii Maximi*. Sed vel ita ſuperaſſe annum U. C. DCCCCm. oportet *Appianum*, qui annus erat Ær. noſtræ CXLVII. Imo & CCm. ab initio *Julii Cæſaris* quod ille à rotundo U. C. DCCo. arceſſit. Nec tamen agnoſcit ab illo initio CC annos *plenos*, ſed [c] ἐγγυτάτω διακοσίων ἐτῶν. Sed potius exiſtimo jam antea ſublatos fuiſſe illos *Hadriani Conſulares*, quàm *Juridicos* ſufficeret in eorum locum *Marcus*. Semper enim in ea *Præfatione* ita ſcribit *Appianus* quaſi *unicus* eſſet, non *duo*, cum illa commentaretur, Imperatores. Inde colligimus non ſub *Marco* ſcripſiſſe, cum collegam haberet in Imperio *Lucium*. Aitque ſe vidiſſe *Romæ* gentium legatos qui ſe ſuoſque *Romano Imperatori* dederent, non receptos tamen. Hæc certe pacificis *Pii*, quam turbulentis *Marci* temporibus aptiora ſunt. Et favet noſter, cum dicit non quidem in *Conſularium locum*, ſed ad eorum *exemplum* ſuffectos fuiſſe à *Marco* hoſce *Juridicos*, cum tamen ſublatos illos fuiſſe *Juridicos* teſtetur *Appianus*, teſtetur & [d] *Dio* qui ſublatos à *Macrino* illos quoque *Marci* docet *Juridicos*, nulla *Conſularium* facta leviſſima mentione. Sic enim ſententiam *Dionis* repræſentavit in Eclo-

c Appian. *Præf.* d Dio. *l.* 78. Fulv. Urſin.

gis

gis ſuis [e] *Porphyrogeneta* Ἀνεκαινόμει δὲ τὴν Ἰταλίαν διοικοῦντες ἐπαύσατο ὑπὲρ τὰ νομισθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρκου δικάζοντες. Quare veriſimilius eſt *Pium*, qui fuerat olim *Conſularis* ipſe, illos ſuſtuliſſe *Conſulares*. Sed & ſuffectos in illorum locum *Juridicos* ſuſtulit ante *Macrinus* quam primus Imperatoriorum Reſcriptorum *Codex* colligeretur à *Gregorio*. Meminerunt quidem *Conſularium* nonnullæ Inſcriptiones. Sed & alia erant Officia multa viris credita *Conſularibus*. Et in his ipſis *Italiæ* Provinciis nonnullas *Conſularium* memorat *Notitia Imperii Occidentalis*, poſt aliquot tamen *Secula* ex quo in deſuetudinem abierant illi *Hadriani Conſulares*.

Quod vero attinet ad illos *Marci Juridicos*, diſtinguendi ſunt à *Juriſprudentibus* & *Juriſconſultis*, nec invicem, quod fieri ſolet ab imperitis, confundendi. *Juriſprudentes* erant qui *Juris peritiam* callebant, iidem plane qui *Juriſperiti*; etiamſi nullum in Rep. Officium gererent. *Juriſconſulti* erant qui conſulti *Reſponſa* ediderunt in Lege valitura, ſeu *Principis* Autoritate, ut ab *Auguſto* ad *Hadrianum*; ſeu *legibus Reip.* ut ante *Auguſtum*, & poſt *Hadrianum*, uſque ad *Alexandrum Severum*. *Juridicus* longe major erat, qui *Jus dicere* poterat, ut *COSS.* & *Prætores*, ſed ſine *faſcibus*, qui erant *Prætoriorum* pariter atque *Conſularium* inſignia. Nempe qui *Juris* habebat *dictionem*, potuit, ut *Prætor*, verba juris pronunciare ſolennia, *DO, DICO, ADDICO*. Poterat, ut *Prætor*, *dare Judices*, & *Tutores*, & plane eadem omnia facere quæ *Prætor*, ſine *Prætoris*, ut dixi, inſignibus, *faſcibus* aut *Lictoribus*. Proinde præfectus *Alexandrinis*, quod veteri forte

XI. *Juridici* illi à *Juriſperitis* & *Juriſconſultis* diſtinguendi.

*e* *Eclog.* Porphyrog. *de Leg. p* 429.

*Sibyllina* proditum ferretur, magno Reip. malo cessurum, si cum *Imperio Romani Ægyptum* adiissent. Meminit hujus *Oraculi* [f] *Cicero*, [g] *Dio*, [h] *Pollio*. Missus itaque sine *fascibus*, *lictoribusve Juridicus*, cæteroqui illis par qui *lictores* habuerant & *fasces*, metum nullum fecit, ne forte *Oraculum* videretur impleri. Sic & *Juridicos* potius quam *consulares Italiæ* præfecit *Marcus*, quod nullam imminutæ *libertatis* vel speciem faceret, aut redactæ in *Provinciam Italiæ Juridicus*; facere tamen videretur cum fascibus lictoribusq; *Consularis*.

XII. *Juridicis* succeffere forte *Correctores*.

Silet porro *Dio* quos Magistratus in *Juridicorum* locum suffecerit *Macrinus*. Ego *Correctores* suffectos existimo: Proximi certe illis temporibus *Correctorum* meminerunt Autores, & quidem in *Italia*. Meminit [i] *Papinianus* ante tempora *Macrini* Officii tamen *Correctorum*. Meminit & [k] *Hermogenianus* discipulus *Papiniani*, idem proculdubio cum nostro *Hermogene* cujus *Consiliis* usum legimus [l] *Alexandrum* Imperatorem, easdemque causas *Correctoribus* assignat de quibus *P. Urb. Præf. Præt. Consules* aut *Prætores*, cæterique *Romæ* cognoscerent. Et quidem *Correctorem Italiæ* totius *Tetricum* ab *Aureliano* factum dicit [m] *Trebellius Pollio*, *Correctorem* saltem *Lucaniæ Vopiscus*, *Victor* uterque, & *Eutropius*.

XIII. In Disciplina etiam *militari* multa novavit *Hadrianus*.

Erant proculdubio & alia quoq; *Officia Imperii* multa, quæ novavit *Hadrianus*. Sed desunt bona illorum temporum monumenta quibus probemus vere illas intulisse mutationes, quas intulit, *Ha-*

*f* Cicer. *Fam. I. Ep.* 7. *g* Dio. *l.* 39. *h* Poll. *trig. Tyr. n.* 22. *i* Papinian. *in Dig. I.* 18. 20. *k Ib. n.* 10. *l Vit. Alexand. c.* 68. *m* Poll. *trig. Tyr. n.* 24.

*drianum.*

*drianum*. Conſtitutiones *Auguſti* habemus in *Dione*, in *Strabone*, in *Suetonio*, in *Tacito*. Et multa nova *Officia* in noſtris legimus *Codicibus* & *Pandectis*, quorum origines è paucis quæ habemus Antiquitatis ruderibus eruere non poſſumus, quorum aliqua *Hadriano* forte tribuenda ſunt. Sed nimis operoſum eſſet, in tanta monumentorum incertitudine, ſi ſingula percurramus. Sed & in *Officiis Palatinis* multa agnoſcit ab *Hadriano* novata *Victor* Epitomator. Nempe in *Militia non armata*, ut pro recentiorum more loquamur, cum *caſtra* appellaretur ipſum Imperatoris *Palatium*, & *Officia* adeo omnia *Palatina* verbis denotarentur *Caſtrenſibus*. Hic enim *Officia* illa *publica* & *Palatina Militiæ Officiis* opponuntur, *armatæ* nimirum illius, uti diximus. Et quidem multa legimus vocabula nova, & ab *Auguſti* diſciplina aliena, in utraque hac *militia*, quorum aliqua attigerint fortaſſe tempora *Hadriani*. *Draconum* uſus in ſignis *Romanorum*, non aliunde fortaſſe quam à *Dacis* acceptus eſt, nuper à *Trajano* devictis, vel etiam à *Parthis*. Certe præter *Hiſtoricos*, etiam *columna Trajani* vexilla *Dacorum ſerpentum* inſignibus ornata repræſentat. Quod maxime conveniet temporibus *Hadriani* qui *Trajano* proxime ſucceſſit. Et quidem *prætenturas limitaneas* illas munitiſſimas, quales deſcripſimus in noſtra Diſſertatione de *Ripa Striga* Lactantii, primus induxiſſe videtur *Hadrianus*. Sic enim noſter de eo Spartianus: [n] *Per ea tempora, & alias frequenter, in plurimis locis in quibus Barbari non fluminibus, ſed limitibus dividuntur, ſtipitibus magnis in modum muralis ſepis funditus jactis atque connexis, Barbaros ſe-*

[n] Spart. *Adr. c.* 12.

*paravit.* Nondum itaque ubi *flumina* erant, alii erant præter flumina *agrorum limites*; & qui erant, ubi deessent fluvii, *limites*, non *munimenti*, sed *distinctionis* causa introducti sunt, quales legimus in Autoribus *Gromaticis*, qui scripsere de *limitibus Agrorum*. *Hadrianus* munivit, & *vallis arcibusque* tutatus est, & *præsidiis* fortasse *Ducibusque limitaneis*, quæ omnia pendebant ex hisce *limitum munimentis*. Et quidem *primus* ille *murum* in nostra duxit *Britannia* præsidiis limitaneis muniendum. Ita mutata est disciplina fere universa *castrensis*. Nam præter *milites Prætorianos* qui *Castra Prætoria* habebant prope *Urbem* gentium Dominam, aut ubi ipse versaretur Imperator; aliæ legiones deinceps omnes in his agebant *præsidiis limitaneis*, & disciplina huic tutelæ congrua. Et quidem multa ab *Hadriano* in *disciplina militari* constituta, ipse collegit [o] *Spartianus*, scripsitque ipse *Hadrianus* de eo Argumento *Libros* à *Vegetio* memoratos. Sic itaque inutiles erant pleræque decessorum *Hadriani Leges* quæ in *Codices* referrentur, inutilia pleraque antiquiorum *Jurisprudentum Responsa*, quæ multa tradiderant de moribus jam abolitis, pauca de receptis atque etiamnum vigentibus.

XIV. Cur nulla *Jurisconsultorum Responsa* recitentur in *Pandectis Hadriano* antiquiorum, aut recentiorum *Alexandro.*

Quod vero ad *Pandectas* attinet, cur nullum locum in illis habuerint *superiores* Hadriano *Jurisconsulti*, & aliam quoque habemus è [p] *Pandectis* rationem. Ante tempora *Augusti* qui *fiduciam studiorum suorum* habebant, consulentibus *respondebant*, neque *Responsa* utique *signata* dabant: sed plerunque *Judicibus* ipsi scribebant, aut *testabantur* qui il-

[o] Spart. *Adr. c.* 11. [p] Pomponius *Dig. I. tit. II. l.* 2.

los consulebant. Primus *Augustus*, *ut major juris autoritate haberetur, constituit ut ex Autoritate ejus responderent, & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. Et ideo* (inquit *Pomponius*) *optimus Princeps Hadrianus, cum ab eo viri Prætorii peterent, ut sibi liceret respondere; rescripsit eis hoc non peti, sed præstari solere: & ideo, si quis fiduciam sui haberet, delectari se, Populo ad respondendum se præpararet.* Ita *Pomponius*. Itaque *Jurisconsultis* potestatem, qualem sub *libera* habuerant *Rep.* primus ademerat *Augustus*, ne aliter quam è *sua Autoritate* responderent. Ultra progressurus erat *Caligula*, qui, quasi omnem eorum usum aboliturus, sæpe jactavit, [q] *Se, mehercle, effecturum ne quid respondere possent præter eum.* Id nimirum se effecturum minatus est, ut ne quidem *Imperatorum* nomine responderent *Jurisconsulti*, sed ut *soli* de *Jure* consulerentur *Imperatores*, & proprio etiam nomine atque Autoritate consulti responderent. Sic enim *Jurisconsultis* locus nullus futurus erat. Id cum vehementer improbaret [r] *Macrinus*, in contrarium, ut fieri solet, propendebat extremum, sic quidem ille ut veterum *Principum* Rescripta omnia sublaturus fuerit, ut *Jure*, non *Rescriptis*, ageretur, nefas esse dicens *Leges* videri *Commodi* & *Caracallæ & hominum Imperitorum voluntates*. Mediam quandam viam tenuit *Alexander* Princeps prudentissimus, ut & *Principibus* suum, & suum nihilominus *Jus* esset *Jurisconsultis*. Negotia enim & causas *prius à* [s] *Scriniorum principibus, & doctissimis Jurisperitis & sibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari ordinarique, atque ita referri ad se præcepit.* Nec ullam *constitutionem* sancivit

q Sueton. *Calig. c.* 34. r *Vit.* Macrin. *c.* 13. s *Vit.* Alex. *c.* 15.

ſine [t] *Viginti Juriſperitis* & *doctiſſimis ac ſapientibus viris, iiſdemque diſertiſſimis non minus quinquaginta, ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ quam Senatuſconſultum conficerent.* Et id quidem, ita ut *iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur quod quiſque dixiſſet, dato tamen ſpatio ad diſquirendum cogitandumque priuſquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Fuit præterea* (inquit noſter) *illi conſuetudo, ut ſi de Jure aut de negotiis tractaret, ſolos doctos & diſertos adhiberet: ſi vero de re militari, milites veteres & ſenes ac bene meritos, & locorum peritos ac bellorum & caſtrorum, & omnes literatos, & maxime eos qui hiſtoriam norant.* Ita factum ut *Leges Alexandri* eædem & *Senatuſconſulta*, & *Reſponſa Juriſprudentum* eſſent accuratiſſima, nec ulla deinceps legamus in *Pandectis Reſponſa Juriſconſultorum Alexandro* juniorum. Jam enim coaluerant cum ipſis *Principum Edicta.* Et tamen vim eandem, quam antea, obtinebant ſuperiorum *Principum Reſcripta*, & *Juriſconſultorum Reſponſa*, non quidem *omnia*, ſed quæ per *liberæ Reip.* Leges erant omnium maxime legitima, quæ quidem initium à noſtro accipiebant *Hadriano.* Ita nimirum quod *Juriſconſultis* liberam Reſpondendi facultatem primus indulſerit *Hadrianus. Libellis* enim ne quidem *Trajanum reſpondiſſe* teſtem habemus, in *Macrini* vita [u] *Capitolinum, ne ad alias* (inquit) *cauſas facta præferrentur, quæ ad gratiam compoſita viderentur.* Inde intelligimus quam vim habuerint, & quam fuerint æqua, *Juriſconſultorum*, illa *Reſponſa*, & cur etiam fuerint *Trajani* Edicta tam pauca, ſi forte ulla, in juniorum *Codices* referenda.

[t] *Ib. c.* 16. [u] *Vit.* Macrin. *c.* 13

Porro

XV. Quo *tempore* hæc constituerit *Hadrianus.*

Porro *tempus* quo ad *Leges* hasce se totum accinxit *Hadrianus*, ex antiquiore discimus *Schotti Victore*, nempe *Pace ad Orientem composita*, postquam fuisset *Romam regressus*. Quo tempore contigerit reditus ille, infra patefaciemus ubi ad ejus *Itinerarium* pervenerimus. *Pax* illa erat cum *Parthis*, à quibus [x] *Bellum* cum immineret, *solo* illud *alloquio repressit Hadrianus*. Certe post *Consulatum* [y] *Antonini Pii* qui in annum incidit cxx^m. *primis* ille *Italiæ Consularibus* ab *Hadriano* accensitus est. Post *Consulatum* omen *Imperii* factum narrat *Spartianus*, ut proinde non statim à *Consulatu* in Provinciam Proconsul profectus fuerit. Imo post illum etiam *Proconsulatum* in consiliis [z] *Hadriani Romæ* frequens vixit, de omnibus quibus *Hadrianus* consulebat, *mitiorem sententiam semper ostendens*. Hoc tempore *Consularem* factum verisimile est, quo nempe *Hadrianus* ab *Oriente* reversus jam *Romæ* esset *frequens*. Quod certe ante an. [a] cxxii^m. fieri vix potuit. *Militiam* tamen antea in *Germania* exercuerit *Hadrianus*, & *militaria* fortasse *Officia* constituerit à *Victore* memorata, & *Libros* quoque illos de *re Militari* scripserit quorum meminit *Vegetius*. Tunc ille *Legum* Emendationes fortasse cœperit. Sed anno Imperii xv°. Æræ nostræ cxxxii°. *Perpetuum Edictum* à *Salvio Juliano* conditum in *Chron. Eusebiano Latino* tradit *Hieronymus*. Si quidem de Anno *Autorem* habuerit, nec temere hoc, ut & alia pleraque, certo anno assignaverit. Nec quicquam sane video quod obstet quo minus hoc verum esse possit.

x Spart. Adr. *c.* 12. *y Vit.* Pii. *c.* 2. *z Ib. c.* 3. *a Diss. ad* Iren.

# *Prælectio* X. *ad Spartiani* Hadrian.

MAII. 8. 1691.

## *De* Quæstura Hadriani, *deque* Quæsturæ *obeundæ tempore* legitimo.

*Solebant Principes sua* recitare *e Scriptis per* Quæstorem. §. I. *Mos* recitandi *illis* temporibus *frequentissimus.* §. II. *Alia multa, illis temporibus, præter rem* Numariam, *administrata per* Quæstores §. III. Quæstores *omnes* Senatores §. IV Quæstores *nonnulli* Plebeii; *nec id tamen obstat quo minus fuerint* Senatores. §. V. *Cur* Candidati Principis *appellentur illi* Quæstores. §. VI. *Hanc ipsam* Candidati Principis Quæsturam *obiit* Hadrianus. §. VII. Ætas *Quæsturæ annus XXV*us. §. VIII. *Ætas* togæ virilis, *apud* Romanos, *eadem cum ætate* Tyrocinii. §. IX. *Eodem anno* togam virilem *acceperunt, &* Militiam *inierunt* Augusti *nepotes*, Caius *&* Lucius. §. X. *Serius* Caligula, *simul & togam* Virilem *sumsit, &* barbam *posuit*. §. XI. Decem *stipendia per* Leges *necessaria a* Tyrocinio *ad* Quæsturam. §. XII. *Militibus* gregariis *plura* stipendia *necessaria ad* Veteranorum emerita, *quam* Nobilioribus *ad* honores *capessendos*. §. XIII. Quæsturam *itaque Ætatis anno XXIV*o. absoluto *obire poterant, per Leges*, Romani. §. XIV.

*Spartian.* Adrian. c. 3.

I. Solebant Principes sua *recitare* è Scriptis per *Quæstorem.*

QVæsturam gessit Trajano quater & *Articuleio Consulibus.*] Quæstorum *Romanorum* non unum erat genus. Alii enim erant *Vrbani*, alii in *Provincias* missi, alii quos proprio quodam nomine *Candidatos Principis* appellat

at [a] *Ulpianus.* Poſtremorum proprium illud erat officium *libris Principum vacare, Epiſtolis* nimirum in *Senatu recitandis,* eodem teſte *Ulpiano,* ipſo nimirum abſente Principe. Ita ſcilicet de filiæ *Juliæ* moribus impudiciſſimis abſens Auguſtus, *libello per Quæſtorem recitato, notum Senatui fecit,* Autore [b] *Suetonio.* Ita [c] Tacitus: *Oratio* (inquit) *Principis per Quæſtorem ejus audita eſt.* Sic *Titus* Patris Veſpaſiani [d] *Orationes iu Senatu recitavit etiam Quæſtoris* (inquit) *vice.* Suetonius. Mutavit hunc morem pauliſper [e] *Nero* qui *Orationes ad Senatum miſſas, præterito Quæſtoris Officio, per Conſulem plerunque recitabat.* Videmus itaque tam *Epiſtolarum,* quam *Orationum* recitandarum officium, penes hunc fuiſſe *Quæſtorem*; ſeu potius eaſdem fuiſſe *Epiſtolas Ulpiani* cum *Taciti* & *Suetonii Orationibus. Epiſtolæ* nimirum erant qua *miſſæ* erant ab Imperatore abſente ad Senatum, non autem ab eodem ore tenus, & *præſente,* pronunciatæ; *Orationes* autem qua Imperatoris Senatum *alloquentis* Perſonam repræſentabant. *Recitatio* autem illa erat è *Scriptis.* Certe Auguſtus [f] *neque in Senatu, neque apud Populum, neque apud Milites, locutus eſt unquam niſi meditata & compoſita Oratione, quamvis non deficeretur ad ſubita extemporali facultate. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediſcendo tempus abſumeret, inſtituiſſe recitare omnia dicit Suetonius. Sermones quoque cum ſingulis, etiam cum Livia ſua graviores, non niſi in Scriptis, & e libello habebat, nè plus* (inquit) *minuſque loqueretur ex tempore.* Imo *filiam nepteſque ita inſtituit ut vetaret loqui aut agere quidquam niſi propalam & quod in diurnos Commentarios*

*a* Ulp. *Dig. I. tit.* 13. *n.* 1. *b.* Sueton. *Aug.* 65. *c* Tacit. *Ann. XVI.* *d* Suet. *Tit. c.* 6. *e* Suet. *Ner. c.* 15. *f* Sueton. *Aug.* 84.

*rios referretur*, teſte [g] *Suetonio.* Quo minus miremur ſi ipſe ſibi in officio publico conſtitutus hunc morem impoſuerit. Inde intelligimus unde habuerit *Dio* Orationem *Auguſti* illam de *maritandis Ordinibus*, unde & *Colloquium* illud cum *Livia* de *Ordinanda Republica*, vitandiſque in poſterum inſidiatoribus; Nec illum hæc è proprio confinxiſſe ingenio, ut ſolent alii *Hiſtorici*, aut ab aliis *Sophiſtis* conficta accepiſſe, ſed ex ipſius *Auguſti* ſcripto jam conceptis *Orationibus*. Quod certe ut ſciatis plurimum intereſt. *Legum* enim vim habebant, in diſciplina *Romana*, non *Sophiſtarum* illæ, ſed *Auguſtorum* Principum, *Orationes*, ut è plurimis *Pandectarum* locis conſtat, in *Ærarium* proinde, ut reliquæ ſolebant *Leges*, referendæ. Nihil itaque *Sophiſtis*, nihil recitaturis *Quæſtoribus*, nihil *extemporali* Principis ipſius *facultati* permittendum erat, cum ex *Orationum* illarum ſingulis, leviſſimiſque ſæpe apicibus vitæ *Romanorum Civium* fortunæque penderent.

II. Mos *recitandi* illis *temporibus* frequentiſſimus.

Prudentiſſime itaque *Auguſtus* ita ſibi à *rerum* novitate temperandum ſtatuit, ut ne quidem *verborum* delectum extemporali ſuæ facultati permitteret. Sed otium *ediſcendi* tantis occupationibus gravato ſæpe erat nullum. Proinde alios adhibuit *recitatores*, in *Senatu* illos quos dixi [h] *Quæſtores*, ad *Populum Præcones*, eoſdem fortaſſe quoties alloqueretur *exercitus*. Jam enim erant in uſu frequentiſſimo illæ è Scriptis *recitationes*. *Recitantes* ipſe audivit *Auguſtus carmina* & *hiſtorias*, & *Orationes* & *Dialogos*. Etiam *libros* totos & *Senatui recitavit*, & *populo notos per Edictum ſæpe fecit*, *teſte* [i] *Suetonio.*

g Suet. *Aug. c.* 64. *h* Suet *Aug.* *i* Suet. *Aug. c.* 89.

Imo ipſe [k] *nonnulla in cœtu familiarium, velut in Auditorio, recitavit.* Tum erant etiam aſſidua *recitandi* illa è *Scriptis* exercitia, tantoque ſtudio & labore exculta, ut non minori fortaſſe gratia *recitarent* quam ſi edidiciſſent memoriter. Dabant operam *phonaſcis*, *liquido plaſmate guttur colluebant*, magno fragore ſubſellia tundebant, ut vehementiam illam dicendi, quam tantopere celebrant *Oratores*, aſſequerentur, & quidem audientibus ſummis dicendi artificibus, monituris etiam ſi quid minus apte, aut præter decorum, extuliſſent. Ita factum ut ne quidem opus eſſet ut *Orationes* ſuas, ſeu *Principes* ipſi, ſeu etiam recitaturi *Quæſtores*, memoriter ediſcerent. Et vero alienum videri potuit à *Majeſtate*, ſi ipſi perpetuo *recitarent*, & *vocis* etiam *infirmitate* laborantibus neceſſarium erat ut alii, eorum vice, ſufficerentur. Sic enim in *privatis* quoque *recitationibus*, ſi *voci* aut *lateribus* diffiderent Autores, *Lectorum* ſæpe, ſeu *Anagnoſtarum*, uſum adhibebant.

III.
Alia multa, illis temporibus, præter rem *numariam*, adminiſtrata per *Quæſtores*.

Ita conſentaneum erat ut *recitandi* vices aliis delegarent Principes *Auguſti*. Sed cur (inquietis) *Quæſtoribus*? cur illis præſertim operam adeo à *Quæſtura* alienam? Sed non à *quæſtu*, ſed ab *Inquiſitione* potius, *Quæſtores*, quaſi *Quæſitores*, appellati ſunt, nec rem *numariam* duntaxat, ſed & alia quoque ſatis aliena à re numaria officia obibant. Jus dixit [l] *Quæſtor*, etiam in *Provinciis*, ut è *Suetonii* Cæſare intelligimus, *mandatu* ſcilicet *Prætoris* qui *Provinciam* ſortitus fuerat. *Quæſtorum* Collegium pro [m] *Stratura viarum*, in vita *Claudii*, apud eundem

*k* *Ib. c.* 85. *l* Sueton. *Cæſ. c.* 7. *m* Suet. *Claud.* 24.

legimus

legimus *Suetonium*. Erat, fateor, *Ærarii* cura olim penes *Quæstores*. Nec tamen id perpetuo. Transtulit illam [n] *Augustus* à *Quæstoribus Urbanis* ad *Prætorios*, *Prætoresve*, quam reddidit postea *Quæstoribus* [o] *Claudius*. Tenuerant etiam illam, ante *Quæstores*, sublati à Cæsare [p] *Ærarii Tribuni*. Missis in *Provincias* cum Imperio, i. e. cum *Jure gladii*, *Præsidibus*, seu *Consulibus*, seu *Prætoribus*, *Quæstores* comites addidere *Romani*. Sic quidem illos, ut munera *Præsidis* pleraque, tam *Civilia* quam *Militaria*, mandatu tamen ipsius exequerentur. Utrorumque munerum à *Quæstoribus* præstitorum in *libera* etiam *Rep*. habemus exempla. Quod autem missis cum *Imperio* in *Provincias* ducibus concessum legimus, quidni dicamus ipsis concessum *Imperatoribus*? Ita consentaneum erat ut & ipsis fuerint, qui vices absentium supplerent, vicarii *Quæstores*.

IV. *Quæstores* omnes *Senatores*.

Sed vero alia erat, ni fallor, & præcipua, ut puto, ratio quod res in *Senaculo* gerendæ non utique per alios gerendæ essent, præterquam *Senatores*. Ita certe videmus, cum recitaretur in *Senatu* Testamentum [q] *Augusti*, ne quidem *admissos* fuisse alios *Testamenti*, quam Ordinis *Senatorii signatores*. Multo itaque minus admittendi ad munus in *Senatu perpetuum*. Et quidem *Quæstores* hosce *Principis Candidatos* locum in *Senatu*, in quo recitabant, habuisse facile concedunt Jurisperiti. Dubitant tamen nonnulli idne Juris habuerint *Quæstores* alii *Urbani* atque *Provinciales*. Sed ratio nulla est cur iisdem *Populi* creati *Comitiis*, iisdemq; *suffragiis*, Jus tamen aliud atque aliud habuerint. Nec vero

*n* Suet. *Aug*. 36. *o* Suet. *Claud*. 24. *p* Suet. *Cæs*. 41. *q* Suet. *ib*. c. 23.

Autores

Autores qui locum *Quæstoribus* in *Senatu* concedunt, de proprio aliquo *Quæstorum genere* loquuntur, sed de *Quæstoribus* in *universum*. Ita certe *Prætores*, *Ædiles*, *Quæstores minoribus* Reip. *Magistratibus* opponit in *Julio* [r] *Suetonius*. Cur illud, quæso, ni fuissent omnes *Senatorii*? Sic etiam in Principum virorumque insignium honoribus *Quæsturas* sæpe legimus *Urbanas Provincialesque*, alias certe ab his *Principis Candidatorum*, de quibus agimus *Quæsturis*, quæ tamen viam similiter straverint ad ad honores alios *Curules*, *Ædilitii*, *Præturæ*, *Consulatus*, non proculdubio straturæ ni fuissent & ipsæ quoque *Senatoriæ*. Sic & *Quæstorios* viros ab aliis *Quæsturis* appellatos legimus, ad eandem plane formam qua & *Prætorii* & *Consulares* appellati sunt. Legimus & *munera* [s] *Quæstoria*, & *ornamenta* [t] *Quæstoria*, proculdubio in *imaginibus* repræsentari solita. *Equitibus* superiores, qui nullos habebant, præterquam ab *Equo publico*, titulos, oportet viros illos fuisse *Quæstorios*. Nec *munera* ediderunt, aut jus *Imaginum* contulerunt honores ulli præterquam *Senatorii*.

V. *Quæstores* nonnulli *Plebeii*, nec id tamen obstat quo minus fuerint *Senatores*.

Erroris occasionem accepere Jurisconsulti ex *Ulpiano*, qui tam *Plebeiis* quam *Patritiis* communem tradit, ætate sua, fuisse *Quæsturam*. Inde colligunt *Quæsturam* illam saltem *Plebeiorum* non utique fuisse *Senatoriam*. Ignari scilicet, jam diu ante *Ulpianum*, communes omnibus *Patritiis Plebeiisque* fuisse *summos* omnes Reip. *Magistratus*. Jam olim *Ædilitatem*, *Præturam*, *Consulatum*, etiam *Dictaturam*, capessebant *Plebeii*. Proprius fuerat aliquantisper *Plebeiorum*

r Suet. *Jul.* 41. s Suet. *Dom.* c. 4. t Suet. *Claud.* c. 28.

*Tribu-*

*Tribunatus Plebis*, nec ſuſpectis de *Patritiæ* factionis ſtudio communicandus. Et tamen illum, diu ante *Ulpianum*, invaſerant *Patritii*, invaſerant etiam ſummi *Principes*, quos nemo certe *Plebeis* accenſuerit. Nec locum jam dedit in *Senatu genus*, ſi aut *ætate*, aut *cenſu Senatorio* deſtitueretur. Sed ne *cenſus* quidem *Senatorius*, ni *nomina* eorum in albo *Senatorum* à *Cenſoribus* fuiſſent recitata. Soli locum dedere *geſti* in Republica *honores*, *Dictatura* (antequam illam decreto perpetuo aboleret *M. Antonius*) *Conſulatus*, *Prætura*, *Ædilitas*, *Cenſura* ipſa atque *Quæſtura*, loco omnium noviſſimo. Sic quidem illi, ut locum quidem ſolum in *Senatu* darent, quem olim habuerant *pueri* quoque uſque ad *Papirium Prætextatum*, *Senatorii*; non autem Jus *ſuffragii* aut *ſententiæ* ferendæ. Unde factum ut pro [u] *pedariis Senatoribus* illos habeat *Gellius* dum à *Cenſore* in *Senatum* admitterentur. Et tamen *Patritios novos* adlegit *Cæſar*, [x] *Suetonio* teſte, atque [y] *Tacito* & *Dione*; adlegit & *Auguſtus*, teſte [z] *Dione*; adlegit *Veſpaſianus*, teſte *Aurelio Victore*. Sic quidem ille, ut cum *ducentas* ægerrime reperiſſet, in *mille gentes* auxerit. In illum ſcilicet numerum excrevere gentes *Patritiæ*, cum initio *centum* duntaxat fuiſſent ſub *Romulo Senatores*, qui cum ipſi *Patres* appellarentur, inde factum ut eorum poſteri *Patritiorum* nomen acceperint. Cui vero, inquietis, bono factæ ad *Patritias* gentes acceſſiones, ſi tamen nulli fuerint *Patritiorum* proprii *honores*? Cauſam ipſe prodit *Dio*, non *honorum* cauſa, ſed *Sacrorum*. Ἐς τὴν ποίησιν τῶν πατρίων ἀναγκαῖοι (inquit) ἀεὶ εἶναι νομίζονται. Erant nimirum *Sacra* aliqua publica quæ niſi à *Patri*-

*u* Gell. *Noct. Att. L. III. c.* 18. *x* Suet. *Cæſ. Jul.* 41. *y* Tacit. *Ann. XI.* 25. Dion. *L. LII.*

tiis

*tiis* rite peragi non poſſent. Sic enim hoc ipſo Argumento honores *curules* aliquantiſper ſibi vendicabant *Patritii*, quod *Auſpicia* nulla, præterquam apud [a] *Patritios* legitima eſſe poſſent. Et quanquam *honores* ipſos ambierint, communeſque tandem fecerint, *Plebeii*; *Sacra* tamen, quà ſejungi poterant ab *honoribus*, *Patritiis* propria reliquerunt. *Polluere* enim *Sacra*, & *piaculum* contrahere, credebantur, pro receptis illorum temporum opinionibus, ſiqui illegitimi miniſtri Sacra peregiſſent. Ita *Virgines Veſtales* non niſi è *nobilium* filiabus capi ſolitæ. Et *Carmina Sæcularia*, & in laudem [b] *Caii Caligulæ*, canebant *pueri puellæque nobiles patrimi* & *matrimi*, qui ſcilicet parentem utrumque haberent in vivis, quos Græci ἀμφιθαλεῖς appellare ſolebant, ne etiam *adultorum Patritiorum* propria *Sacerdotia* hic commemorem. Alios itaque, præterquam *Sacerdotales*, Reip. *honores Patritiorum* proprios nullos ſupponit, hoc in loco, coævus *Ulpiano Dio*.

VI. Cur *Candidati Principis* appellentur illi *Quæſtores*.

Sed cur (inquietis) *Candidatos Principis* appellavit *Ulpianus* deſignatos *libellis Principum recitandis in Senatu Quæſtores*? Rationem puto è *Suetonii Julio* eſſe diſcendam. *Populi* nimirum *Romani Magiſtratibus* ſolebant accenſeri *Quæſtores*, proinde *Populi comitiis ſuffragiiſque* conſtituendi. Oppreſſa tamen Reip. libertate Julius *Comitia* (inquit [c] *Suetonius*) *cum Populo partitus eſt, ut, exceptis Conſulatus competitoribus, de cætero numero Candidatorum, pro parte dimidia, quos Populus vellet, pronunciarentur; pro parte altera, quos ipſe edidiſſet.* Editionem autem illam, qualis fuerit, deſcribunt

*a* Liv. *VI.* 41. *b* Suet. *Cal. c.* 16. *c* Suet. *Jul.* 41

verba *Suetonii* proxime ſequentia: *Et edebat* (inquit) *per libellos circum tribus miſſos ſcriptura brevi, Cæſar Dictator illi tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut veſtro ſuffragio ſuam dignitatem teneant.* Itaque & illi quoque *libellatici Quæſtores à Populo* tamen in *Comitiis Tributis* conſtituendi erant. Sic tamen illi ut *Commendationi* illi refragari non fuerit *Populo* permiſſum. Intermiſſa deinde illa *Populi Comitia*, bellis, ut videtur, Civilibus, & Triumvirorum tyrannide, reſtituit *Auguſtus*, teſte [d] *Suetonio* & [e] *Dione*. VIII°. nimirum ſuo Conſulatu, anno U. C. *Varroniano* DCCXXVIII°. Ademit poſtea *Populo* Jus illud [f] *Tiberius*, tranſtulitque ad *Senatum*, eo ipſo anno quo mortuus eſt *Auguſtus*, U. C. DCCLXVII°. Sed *Conſules* fere διὰ πάσης, ὡς εἰπεῖν, τῆς ἡγεμονίας αὐτοῦ, pro ſuo arbitratu illum tradit feciſſe [g] *Dio*. Reliquos autem à Conſulatu *Magiſtratus* ad *Senatum* miſit, quoſdam à ſe *commendatos*, quoſdam etiam *liberis* Patrum *ſuffragiis* permiſſos, quoſdam etiam à *Senatu* ad *Populum* illius quoque ſuffragiis comprobandos. Hæc *Dio*, *in* geſtis anni DCCLXXXV[i]. Quam vero vim habuerit *Tiberii* illa commendatio, docet *Tacitus*, ut nempe quos *Candidatos* ille commendaverat, illi [h] *ſine repulſa & ambitu deſignarentur*, ſive à *Populo*, ſeu etiam à *Senatu*. Tentavit *Caius*, *Comitiorum more revocato, ſuffragia Populo reddere*, teſte [i] *Suetonio*. Feciſſe illum, quod tentavit, ne innuit quidem. Itaque à temporibus *Tiberii* Comitiorum *Popularium* Poteſtas ita penitus abrogata eſt, ut cum ſcriberet [k] *Juvenalis* (qui noſtri initio ſcripſit *Hadriani*) jam nihil aliud haberet Po-

*d* Suet. *Aug*. 40. *e* Dio *L*. 53. *f* Tacit. *Ann*. *I*. 15. *g* Dio *L*. *LVIII*. *U*. *C*. 785. *h* Tacit. *ib*. *i* Suet. *Cal*. *c*. 16. *k* Juven. *Sat*. *X*.

pulus

pulus quod curaret quam *Panem* & *Circenses*. *Senatus* quidem Jura paulo erant longæviora. Sic etiam illa ut quæ, *libera* vigente *Rep.* seu *Populum* gerere oportuerit, seu *Senatum*; ea, jam oppressa, *solus* gesserit *Senatus*. Sed ne *Senatui* quidem constabat integra suffragii libertas. Quas equidem *Provincias Populo Romano* concesserant, suo arbitratu, Principes, illorum *Magistratus* non *Populus* tamen deligebat, sed *Senatus*, *Proconsules* nimirum, *Prætores*, *Quæstores*. Et tamen siquos honorum illorum *Candidatos* commendassent *Principes*, repudiare illos ne quidem poterat *Senatus*. Id discimus è celeberrimo *SC.* facto in gratiam *Vespasiani*, in quo *Juris Imperatorii* Prærogativæ plenissime describebantur. Sic enim ibi decernunt Patres: *Utique quos Magistratum, Potestatem, Imperium, curationemve cujus rei petentes Senatui Populoque Rom. commendaverit, quibusque suffragationem suam dederit, promiserit, eorum Comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur.* Ea nimirum erat *Prærogativa suffragii* apud [l] *Tertullianum*. Proinde siquid; Autore Principe, ad *Senatum* fuisset relatum, non licuit *Senatui* illud repudiare. Hoc certe intellexit *Tiberius*, cum illum qui [m] *autore eo* Senatum se adiisse dixerat, verba mutare, & pro *Autore Suasorem* dicere coegit. Sed vero de *Prærogativa*, itemque de *Auctoritate* Nos alibi plura in [n] *Cyprianicis*. Illud certum, qui proprie fuissent *Principis Candidati* sic utique *Senatui* fuisse *commendatos*, ut non fuerint ab illo *repudiandi*. Sic itaque *Quæstores Principis Candidatos* appellatos intelligimus, ut cum alii *Quæsturæ Candidati* penes *Senatum* fuissent, seu accipiendi viderentur seu etiam

*l* Tert. *Apol.* *m* Suet. *Tib.* 27. *n* *Diss.* Cypr. *VIII. IX.*

rejiciendi; hos tamen *Principis Candidatos* necessario oportuerit *Senatum* comprobare. Et quidem cum non Populi Romani *Provinciis*, ut reliqui, sed negotiis *Palatinis*, præficerentur; proinde consentaneum visum est, ut ab ipso *Principe* deligerentur.

VII. Hanc ipsam *Candidati Princip. Quæsturam* obiit *Hadrianus*.

Et quidem hanc ipsam *Candidati Principis Quæsturam* gessisse *Hadrianum*, verba nostri *Spartiani* indicant proxime sequentia. [o] *In qua* (inquit) *cum Orationem Imperatoris in Senatu agrestius pronuncians risus esset, usque ad summam peritiam & facundiam Latinis operam dedit*: Summis nimirum *recitationis* illius, quam ea diximus ætate viguisse, artificibus. Quid hic manifestius quam *recitandis* in *Senatu* Trajani *libellis* nostrum vacasse *Hadrianum*? Et vero, præter *loci* majestatem, alia quoque erat propria *Trajano* ratio, cur *recitandis* in *Senatu libellis* alienam operam adhiberet. Erant sane plerique *Trajani* in Imperio decessores tam *componendi*, quam etiam *recitandi*, ipsi peritissimi. Longe alius erat *Trajanus*, quem [p] *bonarum artium expertem* agnoscit *Dio*. Παιδείας μὲν γὰρ (inquit) ἀκριβοῦς, ὅση ἐν λόγοις, οὐ μετέσχε. Si itaque aliis Principibus *utiles* fuerint, *Trajano* certe necessarii erant tam qui *Orationes* ejus *componerent*, quam qui etiam in *Senatu recitarent*. Recte porro legi *COS*. posterioris nomen *Articuleium*, præter *Editionem*, qua usus est *Salmasius*, antiquissimam *Mediolanensem*, & proximam illi *Venetam* qua usus est *Casaubonus*, & *Codicem* quoque *Palatinum* & *lapidem*, firmat etiam Editio *Veneta Egnatii*.

*o* Spart. *Adr. c.* 3. *p* Dio. *Xiphil.*

Recte

VIII. *Ætas* Quæſturæ annus *XXV*us.

Recte præterea monet *Caſaubonus*, legitimum hunc fuiſſe *Hadriano annum* petendæ *Quæſturæ*, ætatis nimirum xxv^m^. *Conſulatum* enim egit *Trajanus* iv^m^. cum collega *Sex. Articuleio Pæto* anno Ær. noſtræ ci°. Nec ante *Jan.* xxiv. annum *ætatis* xxv^m^. abſolvit *Hadrianus.* Hallucinatum enim jam agnoſcunt Eruditi doctiſſimum [q] *Paulum Manutium*, cum pro lege *Villia Annali*, annum ætatis xxvii^m^. *Quæſturæ* legitimum exiſtimaret. Sed vero annum *ætatis* xxv^m^. *Senatoribus* conſtituit *Mæcenas* in celeberrima ejus ad *Auguſtum* Oratione de Rep. conſtituenda apud [r] *Dionem.* Cum tamen *primus* in *Senatum* gradus, illis præſertim temporibus, quibus non *natales*, nec *cenſus* etiam *Senatorius*, ſed *honores* locum in *Senatu* dedere, fuerit *Quæſtura.* Occaſionem dediſſe *Mæcenati* videntur tempora illa, poſt oppreſſam Remp. licentiſſima , quibus *Quæſturam* geſſerat *puer*, qui *poſtea togam* ſumpſerit *virilem. Ætatem* itaque illam *Senatoriam* omnino conſentaneum eſt fuiſſe *Quæſtoriam*, & revocaſſe hac occaſione *Mæcenatem* Legem veterem de *ætate* Quæſtoris *Annalem*. *Puerum* certe illum, & *puerilem* adeo *ætatem*, in animo habuiſſe ſeu *Mæcenatem*, ſeu *Dionem*, indicant ſequentia. Sic enim Argumentatur *Mæcenas*; cum ante illam *ætatem* nemini propriorum bonorum adminiſtrationem concederent, turpe fore atque damnoſum ſi iiſdem tamen *Reip.* adminiſtrationem conceſſiſſent. Illo autem *tempore*, quo hæc loquutus fertur *Mæcenas* , ætas duntaxat *Pueritiæ* togæque *Prætextatæ* propriorum bonorum adminiſtratione inter-

q Man. *de leg.* r Dio *L. LII.*

dicta est, si nostro fides, in *Marci* vita, *Spartiano*. *Curatores* enim *lege Lætoria*, negat ille dari solitos, ante [f] *Marcum*, adolescentibus, nisi propter *lasciviam* aut *dementiam*; primum autem *Marcum* statuisse ut *omnes adulti* Curatores acciperent, *etiam non redditis causis*. Id si verum, jam liberam à *Curatoribus*, *Mæcenatis* tempore, *bonorum administrationem*, mentis compotes, nec prodigi (illos enim *lascivorum* nomine noster intellexit) habebant adolescentes. Ita *puerilem* illum duntaxat *Quæstorem* ratiocinio illo perstrinxerit *Mæcenas*, & *Quæstorium* proinde munus pro primo *Senatus* gradu habuerit. *Dementium* certe Adolescentum *Curatores* ne quidem anno Adolescentis xxv°. munere abiisse constat. *Prodigorum* tamen *Curatoribus* arctiorem fateor limitem esse potuisse, ut *lasciviam* illam *adolescentiæ* anno ætatis forte xxv°. concluserint. Intra illum siquis *adolescentem* detulisset, bonis erat, levioribus etiam de causis (*aliquas* enim reddendas verba nostri modo prolata demonstrant) interdicendus, &, pro *legis Lætoriæ* præscripto, *Curator* imponendus. Ultra illam *ætatem*, si quid peccasset *juvenis*, jam suo peccaturum periculo, nec locum deinde ullum habuerit *Lex Lætoria*. Sic fieri potuit ante *Marcum*. Postea nullos limites legimus quibus *Prodigi curatio* fuerit absolvenda, ni *adolescens* ad bonam frugem rediisset. Et sane aliquam de *prudentia* Adolescentis in propriorum bonorum administratione suspicionem necessario supponit ratiocinatio illa *Mæcenatis*, si tamen *temporis* decorum in ea observarit *Dio*, quem sub initio *Commodi* Senatorem nupera illa *Marci* Constitutio

[f] Marc. *vit. c.* 10.

latere

latere vix potuit. Recte itaque *Quæſturæ ætatem*, primi nimirum honoris *Senatorii*, ex *ætate* illa *Senatoria* colligimus.

IX. Ætas *togæ virilis*, apud *Romanos*, eadem cum ætate *tyrocinii.*

Sic porro *Hadrianus* Quæſturam xxv°. *ætatis* anno adeptus eſt ut eo ipſo ætatis anno *labente* Quæſturam non *petierit* modo, verum etiam *geſſerit*, locumque adeo in *Senatu* capeſſiverit, primis nimirum anni xxv[i]. Kal. *Januariis*. Id quoque recte, & pro *Lege* veterum *Annali*. Jam ſupra vidimus *togæ virilis* ſumendæ tempus ab anno demum *ætatis* xiv°. abſoluto cœpiſſe; inde *virilia* Reip. munera adoleſcentes *virili* nimirum indutos *toga* ſuſcepiſſe, in quibus & *militiam*, quod ipſum vidimus feciſſe & noſtrum quoque *Hadrianum*. Sic autem invicem connecti ſolebant *togæ virilis* tempus & *militiæ* ineundæ, ut *tirocinium à toga* ipſa *virili* arceſſere ſoleant Scriptores accuratiſſimi. Sic in *Caligulæ* vita Suetonius: [t] *Uno* (inquit) *atque eodem die togam ſumpſit, barbamque poſuit, ſine ullo honore, qualis contigerat tyrocinio fratrum ejus.* Quid hic manifeſtius quam *togæ ſumptæ* tempus idem etiam fuiſſe tempus *tirocinii*? Idem & ex alio quoque loco conſtat quo nos retulit idem *Suetonius*, de fratrum *Caligulæ Neronis* & *Druſi tirocinio.* [u] *Neronem* (inquit idem) *& Druſum P. C. commendavit, diemque utriuſque tirocinii, congiario plebi dato, celebravit.* Hinc quoque liquet, ſi cum priori loco conferatur, fratribus Caligulæ *Neroni* & *Druſo*, pariter ac ipſi *Caligulæ*, eundem fuiſſe *togæ* ſumtæ diem atque *tirocinii.* Quod certe de majore fratre *Nerone* confirmat etiam *Tacitus* in hæc verba:

*t* Suet. *Cal. c.* 10. *u* Suet. *Tib. c.* 54.

 [x] *Addi-*

[x] *Additur Pontificatus, & quo primum die forum ingressus est, congiarium Plebi, admodum lætæ, quod Germanici stirpem jam puberem adspiciebat.* Habemus hoc loco ipsum illud, de quo fuerat locutus *Suetonius, congiarium.* Nec alio habemus *die* quam *pubertatis*, quam repetunt *Romanæ Leges* in *maribus* ab anno demum *ætatis* XIV°. Non alio, inquam, quam quo *forum ingressus* est ipse *Nero*, quod ipso *togæ virilis* die fieri solitum docet *Lipsius*. *Togæ* scilicet *virilis* die *adolescentem* pater proximique primum in *forum*, tum deinde in *Capitolium* deducere solebant, testibus [y] *Valerio Maximo*, [z] *Plutarcho* & [a] *Suetonio*. Sed & alia quoque illa nota *Suetonii* de *Congiario* dato *die tirocinii*, ea quoque in *diem virilis togæ* accuratissime convenit. Sic enim scribit de *Nerone* Suetonius: [b] *Deductus in forum tiro Populo congiarium, militi donativum proposuit.* Ne vero id miremur in *Principibus*, in *togæ* sumendæ solennibus, erant etiam *privatis* suæ quoque, teste *Plinio* juniore, liberalitates: [c] *Quo* (inquit) *virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt Magistratum, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque vel singulos dare.*

X.
*Eodem anno togam virilem acceperunt, & militiam ineunt Augusti nepotes Caius & Lucius.*

Sed & ante illos *Germanici* liberos, idem factum in *Augusti* nepotibus *Caio* & *Lucio*, ut cum *togæ virili* inierit uterque *militiæ tirocinium*. Sic enim [d] Suetonius: *Duodecimum* (inquit de *Augusto*) *magno, id est Septemdecim annorum intervallo, & rursus tertium decimum biennio post ultro petiit ut Caium & Lucium fi-*

x Tacit. *Ann. III.* 29. y Val. Max. *V.* 4. z Plut. *Brut.* a Suet. *Aug.* 26 *Tib.* 15. Appian. *Civil. IV.* Apul. *Ap.* b Suet. *Ner. c.* 7. c. Ep. *L. X. Ep.* 117. d Suet. *Aug. c.*26.

*lios*

*lios ampliſſimo præditus Magiſtratu ſuo quemque tirocinio deduceret in forum.* Illud *biennium* de mediis *COSS. binis* intelligendum eſt. Conſtituta itaque *tirocinio* ineundo ætas eadem omnino fuerit quæ & *togæ virili* accipiendæ.

XI. Seriùs *Caligula* ſimul & *togam virilem*, ſumſit, & *barbam* poſuit.

Quæ tamen ita intelligi nolim quaſi illo ipſo *anno togam Romani* omnes *virilem* ſumſerint, aut *militiam* inierint. Erat hoc plerumque penes *arbitrium* ſumentium, quo citius cuperent tardiuſve rebus gerendis admoveri. De *Caio Caligula* ita [e] Suetonius : *Inde viceſimo ætatis anno accitus Capreas à Tiberio, uno atque eodem die togam ſumſit, barbamque poſuit.* Sic enim locum repræſentabant Codices *Torrentii.* Vulgati pro *Inde viceſimo* reponunt una voce *Undeviceſimo*, ſuffragante etiam Codice *Salmaſii.* Neutri recte. Legendum enim, ni fallor, *Inde uno & viceſimo.* Vel forte, *Inde unetviceſimo.* Eam enim vocem uſurpat [f] *Tacitus*, qui *Legionem unetviceſimam* aliquoties appellat. Quam vocem opinor in aliam notiorem, ſignificationis tamen alieniſſimæ, *undeviceſimo*, imperitum mutaſſe Librarium. Egit certe *Caius* annum ætatis, cum à *Tiberio Capreas* accerſeretur, XXI$^{m}$. natus nimirum *Auguſti* ultimo Patre *Germanico* & *Fonteio* COSS. teſte eodem [g] *Suetonio*, anni ſcilicet Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XII$^{i}$. *Capreas* autem accitus eſt, autore [h] *Tacito, Servio Galba* & *L. Sulla* COSS. Æræ nimirum noſtræ XXXIII$^{i}$. Quod mirum eſt nondum obſervaſſe viros Eruditiſſimos *Suetonii* enarratores. Firmat præterea lectionem noſtram nota illa *temporis* alia *ponendæ barbæ.* Lex certe nulla fuit, quod

*e* Suet. *Cal.* 10. *f* Tacit. *Ann.* I. 45. 64. *g ib. c.* 8. *h* Tacit. *Ann.* VI. 15. 20.

quidem

quidem ſcimus, quæ tempus aliquod certum *barbæ* præcidendæ aſſignaverit. Erat tamen in [i] *more* ut non ante annum ætatis XXI^m^. præciderent. Id certe indicat *Macrobius* in *Somnium Scipionis*; quo loco ait [k] *ter Septenarium numerum requiri ad radendam barbam*. Sed rari admodum erat Exempli *Caligulæ* illa ſumendæ *togæ puræ* mora. Nec propterea erit inutilis ad uſus Chronologicos noſtra illa de *togæ virilis* tempore obſervatio. Potuit quis de Jure ſuo cedere ut *ſerius*, quam per *Legem Annariam* liceret, *togam* ſumeret. *Citius* accipere non adeo facile potuit, niſi *venia* Legis impetrata. Nos de *lege* agimus, deque *tempore* ad honores capeſſendos *legitimo*. *Lex* enim proculdubio pro *norma* conſuetudinis, ubi nihil in contrarium conſtat, habenda eſt. Nec facile quiſquam, præſertim honoris *avidus*, vel *primum* honoris capeſſendi *tempus* erat prætermiſſurus. Nec facile rurſus potuit *antevertere*, ſi præſertim fuiſſet *privatus*, nec *ſpe* ulla fretus *Imperii*; cum *venia* illa *Legis*, in hominibus *privatis*, fuerit ipſa difficillima, nec facile concedi ſoleret quin fuerit verbis diſertiſſimis à Scriptore memoranda. Cauſæ enim rariores, quæque adeo à Lectore expectari non poterant, de illis monita Autorum eſſe ſolent expreſſiſſima, quæ adeo, ubi *deſunt*, pro *more* geſta, & *legibus* receptis, eveniſſe præſumendum eſt.

XII. *Decem* ſtipendia per *Leges* neceſſaria à *Tirocinio* ad *Quæſturam*.

Legitimo itaque *militiæ* ineundæ tempore conſtituto; Quærendum inſuper quot fuerint *Stipendia* ad *primos* illos in *Senatu* honores *Quæſtorios*, per *Leges*, neceſſaria. Eſt enim id mani-

i *Vid.* Lipſ. *Excurſ. ad* Tacit. *Ann.* XIV. 15. k Macrob. *in Somn. Scip.* L. I. c. 6.

feſtum

feſtum, non aliter *locum* in *Populo* illo *bellicoſo* patuiſſe in *Senatum*, quam per *Militiam*, nec alia fuiſſe quam *annua* Militiæ illa *ſtipendia*. Id diſcimus è *Plutarcho* in vita *Caii Gracchi*. Cum enim *Graccho* illi ab Adverſariis objiceretur quod *Quæſtor* ipſe COS. ſuum *Oreſtem*, ante *tempus* à *Lege* conſtitutum, in *Sardinia* reliquiſſet; ſic illum ait ſe purgaſſe *Plutarchus*, ἐστρατεῦσθαι μὲν δώδεκα ἔτη, τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐν ἀνάγκαις· ταμιεύων δὲ τῷ στρατηγῷ παραμεμενηκέναι τριετίαν, τοῦ νόμου μετ' ἐνιαυτὸν ἐπανελθεῖν διδόντος. Duo hic videmus deſignari ſpatia, poſterius aliud *annuum Quæſturæ* in *Provincia* gerendæ, aliud ſuperius à *tirocinio* ad ipſam uſque *Quæſturam*. *Quæſturæ* ſpatium *Legi* tribuit verbis quibus potuit expreſſiſſimis. Et *decem* quoque *ſtipendia* ad *Quæſturam* requiſita fuiſſe dicit ἐν ἀνάγκαις. Illam *neceſſitatem*, jamdiu antea condita Lege *Villia Annali*, nulla prorſus eſt ratio cur aliunde quam à *Lege* illa oriundam exiſtimemus. Et quidem cum *petendæ Quæſturæ* moram illam fuiſſe verba *Gracchi* ſequentia oſtendant; palam erit ad *Quæſturam ſtipendia* illa fuiſſe *neceſſaria*.

XIII. Militibus *gregariis* plura *ſtipendia* neceſſaria ad *Veteranorum emerita*, quam *nobilioribus* ad *honores* capeſſendos.

Nec tamen hoc viderunt Viri eruditiſſimi *Pliniani Panegyrici* Elucidatores. Numeravit *Plinius decem* Trajani *ſtipendia*. Et recte. Quod tamen illi mirati ſunt, nempe intelligentes *plures* illi quam *decem* fluxiſſe à primo militiæ tirocinio *annos*, quos illi omnes *ſtipendiis* accenſendos exiſtimabant. *Stipendia* enim xx, aut etiam nonnunquam *plura*, neceſſaria erant antequam *Veteranis* ſolveretur *emeritum*, qui etiam ipſi *milites emeriti* deinceps appellari ſolebant. Sic enim *Veterani*

tempus

tempus ex antiquiori aliquo Autore descripsit *Suidas*: Βετερανὸς παρὰ Ῥωμαίοις ὁ ἀπολυθεὶς τῆς στρατείας. Ἐπὶ εἰκοσαετίαν δὲ ἔτοι ἐδούλευον. Sic & in illa celeberrima *Spurii Ligustini* apud [l] *Livium* Oratione, duplici sese nomine à delectu excusat ille *Spurius*, tam quod XXII. stipendia explevisset, bina nimirum supra numerum legitimum; quam quod etiam annum ætatis absolvisset L^m^. quam normam *Missionis* constituerat illud ipsum, de quo agebatur, *Senatusconsultum*. Satis nimirum & illud, pro rei exigentia, durum, cum ab anno demum XLV^o^. missionem concessisset *Servius Tullius*. Sufficiebat itaque harum rationum alterutra, seu numerus *annorum* legitimus, seu etiam *Stipendiorum*. Sic etiam *vicena Stipendia* meritis missionem rogarunt Legati tumultuantium, sub initium *Tiberii* Legionum [m] *Germanici*; *Exauctorationem* illis qui *sena* etiam *dena* stipendia fecissent; *Sacramenti* nimirum *militaris* remissionem, vacationemque à *muniis* militiæ, præterquam *pugnæ*, reliquis universis. Imo *sena dena* stipendia meritis extorserunt *Legiones* absolutissimam militiæ missionem. Quod tamen ne deinceps fieret cavit [n] *Tiberius*, fore nimirum inquiens, ne par esset oneri ferundo Resp. ni *vicesimo* militiæ anno *veterani* dimitterentur. Inde enim factum ut *missiones Veteranorum rarissimas* fecerit *Tiberius*, [o] *e senio* nimirum *mortem, e morte compendium captans*, teste *Suetonio*. Proinde illos legimus in illis Legionum *Germanici* seditionibus qui *tricena*, qui etiam *quadragena* stipendia fecissent. Ex illa tamen *Tiberii* concessione constat, *civili* quidem militiæ *Legionariorum* finem fuisse legitimum in

*l* Liv. *XLII. cap.* 34. *m* Tacit. *Ann. I.* 36. *n ib. c.* 78. *o* Suet. *Tib.* 48.

*vicesi-*

*viceſimis* ſtipendiis, *Prætorianæ* autem in ſtipendiis *decimis ſextis.* Sed vel inde conſtat non *eaſdem* fuiſſe omnibus militiæ *generibus* ſtipendiorum *leges.* Imo diverſis temporibus ipſa erant etiam diverſiſſima. Satis enim erant ſub *Auguſto* Veteranis *Civilibus* ſtipendia *ſedecim, Prætorianis duodecim,* ut è [p] *Dione* intelligimus. Quam formam habebant proculdubio ob oculos ſeditioſi illi ſub *Germanico,* qui tamen illud etiam urgent, nullam fuiſſe rationem cur ſua apud *hoſtium fines* militia minus laborioſa cenſeretur, quam fuerit illa *Prætorianorum.* Id fortaſſe in animo noſter habuit *Hadrianus,* qui *tria* in militia *Civili* ſtipendia facienda conſtituit priuſquam quis in militiam *Prætorianam* eſſet admittendus, ut ex ineditis diſcimus Fragmentis [q] *Doſithei* qui ſcripſit ſub *Septimio Severo.* Sic enim factum ut etiam *Prætorianis unici* duntaxat gratia fieret *Stipendii.* Non tamen interim viderunt Viri illi eruditiſſimi aliam fuiſſe *gregoriorum militum* rationem, aliam *nobilium* qui *locum* quidem in *Senatu* nullum adhuc habebant, & tamen *cenſum* jam etiam haberent *Senatorium,* aut *equeſtrem.* Jura quidem alia *Militiæ communia* erant *nobilioribus* hiſce atque *gregariis* militibus, *Teſtamenti* nimirum *Militaris, peculii caſtrenſis, vacationiſque* ab *oneribus tutelaribus. Fines* tamen erant militiæ longe diſcrepantiſſimi. Militiam enim inibant *nobiliores* illi qui Jus aſſecuti fuerant *Imaginum,* ut avitos in Rep. *honores,* vel etiam nonnunquam majores aſſequerentur. *Veterani* nunquam, quod quidem ſciam, appella-

[p] Dio *L.* 54. *p.* 539. *L.* 55. 563. *Ed.* Leuncl. [q] *Hæc Ego deſcripſi è Codice* Voſſiano, *eodem nimirum illo qui olim fuerat* Cl. Rumpſii, *è quo Teſtimonia aliquoties in* Opere *de* Uſuris *adduxit* Salmaſius. Doſithei *autem nomen in hoc Codice nullum erat, quod in alio tamen ejuſdem* Operis exemplari *fuiſſe teſtabatur ipſe* Voſſius.

ti ſunt, nedum ut *præmia* captarent conſtituta *Veteranis*, non *agros* dividundos qui *plebeiorum* erant hominum commoda, & à *Tribunis Plebis*, qui *Plebis* gratiam in libera Rep. affectabant, agitari ſolita, nedum *emerita* illa *militaria*, è *fiſco militari*; pro *Auguſti*, qui fiſcum ipſum inſtituit, præcepto, militibus emeritis ſolvenda. Hæc ſoli milites *gregarii* aucupabantur, quibus *honorum* ſpem omnem præciderat *cenſus* minime *Senatorius*. Sic itaque cum *ſedecim ſtipendia* militibus etiam *Legionariis*, *Prætorianis duodecim* duntaxat præceperit *Auguſtus*; non eſt proinde quod miremur *decem* ſuffeciſſe ambiendis *honoribus*. Imo *decem* ſtipendia vetuſtiſſimus erat Militiæ [r] *limes*. Poſtea inductum, ut neceſſitate Reip. exigente, xx ſtipendia imperare liceret, quæ tamen neceſſitas in Legem moremque verſa eſt. Nobilibus autem ad *honores Vrbanos* capeſſendos x ſtipendia neceſſaria fuiſſe teſtis eſt *Polybius*. Horum autem honorum *Senatoriorum* primum *Quæſturam* fuiſſe jam oſtendimus. Quod vero *gregariis* militibus ſtipendiorum numerum auxerint juniores *Auguſto* Principes, in cauſa erat illud, quod modo obſervabamus è *Suetonio*, lucrum è præmiis *Veteranorum*. Ea cum in *nobilioribus* locum prorſus nullum habuerit, quibus non *numi*, ſed *honores* deberentur *emeritis*; proinde non eſt quod *ſtipendiorum* numerum illis auctum ſuſpicemur. Conſtat autem è *nobilioribus* illis fuiſſe *Trajanum*. Et quidem *miſſionem* è *militia* impetraſſe ipſa *Hadriani* tutela ab eo geſta demonſtrat, cum fuerit alioqui à *tutelis* excuſandus ſi Reip. cauſa abfuiſſet; & vero qui *miles* fuiſſet eum *Reip. cauſa* cenſerent abeſſe Juriſperiti.

r Lipſ. *Mil. Rom. L. I. Dialog. II.*

Demon-

Demonſtrat etiam quod è patria ejus *Hiſpania* illum in *Germaniam* acciverit *Domitianus.*

XIV. *Quæſturam* itaque *Æt.* anno XXIV°. *abſoluto* obire poterant, per Leges, *Romani.*

Sic itaque anno *ætatis* XXV°. *labente Quæſturam* inire poterant ac gerere *nobiles Romani.* Toga enim XIV°. anno ſumpta *abſoluto*, ſic X *ſtipendia* abſolverent anno *ætatis* etiam XXIV°. etiam *abſoluto.* Ut nihil proinde deinceps obſtiterit quo minus proximis Calendis *Januariis* quæ in annum *ætatis* XXV^m^. *labentem* inciderent, *honorem* illum gerere potuerint, & locum in *Senatu* capeſſere, anno *ætatis* etiam XXV°. capeſſendum, ut noſter fecit *Hadrianus.* Ita *Quæſturam undeviceſimo* ætatis anno geſſit, [f] *Velleio* teſte, *Tiberius. Quinquennio* nempe, quam per *Leges* licuit maturius, ut è [t] *Dione* diſcimus ac [u] *Tacito.* Sic fuerit annus abſolutus XXIV^us^. legitimus, quem attigit, *quinquennio* illo expleto, *Tiberius.* Sic notam præbebit Quæſtura *Chronologicam* ſatis accuratam, quoties de *ætate* conſtat, & illud una conſtat *ætate* geſtam eſſe *legitima.*

*f* Vell. Pat. *L. II.* *t* Dio *l.* 53. *u* Tacit. *Ann. III.* 29

*Præ-*

# *Prælectio* XI. *ad Spartiani* Hadrian.

MAII. 15. 1691.

## *Quo tempore* Senatus Acta *curaverit*, Trajanumque *ad Bellum* Dacicum prius *prosecutus fuerit* Hadrianus. *Itemque de prioribus quatuor* Trajani *titulis* Imperatoriis.

Nonis Decembris Quæstores *Magistratum incepisse ait Auctor Anonymus. Sed parum verisimiliter.* §. I. Annuam *fuisse sub Imperatoribus* Quæsturam *verisimile non est.* §. II. *Quod* Senatus *Acta curaverit* Hadrianus, *non erat id alienum ab Officio* Quæsturæ. §. III. *Quæ fuerint illa quæ in* Acta Senatus *referri solebant.* §. IV. Cura *Actorum potius* Quæstorii *erat*, *quam* Quæstoris. §. V. *Bellum* Trajani Dacicum primum *qui justo faciunt* maturius. §. VI. *Refelluntur.* §. VII. Romanorum *Principes* summi *omnes* Imperatores *appellati.* §. VIII. Prænomen *hoc* Imperatoris *ut a* Cognomine *distinguendum sit.* §. IX. Primum *tamen titulum* Imperatorium *in* Principibus *facit* Prænomen *illud* Imperatoris. §. X. *Trajanus* Imp. II. *de* conftmtis, *non* Domitis, Dac is; *Fine nimirum anni* 98. §. XI. Imp. III. *propter res gestas in* Oriente *a ducibus*, *anno* 101. *vel* 102. §. XII. Imp. IV. *propter Bellum* Dacicum *I*^m^. *fine anni CII*^i^. *finitum.* §. XIII. Cœpit *bellum illud ante* Octobrem *anni C*^i^. §. XIV. *Non certe* diu *ante initium* Octobris. §. XV. *Priori hoc*

*hoc Bello* victa, *&* præsidiis *occupata, pars* Daciæ *maxima.* §. XVI. *Hoc e* Dione, *& coævis* Trajano *Testimoniis evincitur.* §. XVII. *Et e* Pontis Danubiani *tempore, quod* Medium *erat inter Bella* Trajani Dacica. §. XVIII.

Spartian. Adrian. *c.* 3.

I. *Nonis Decembr. Quæstoris* Magistratum incœpisse ait Anonymus. Sed parum verisimiliter.

*Post Quæsturam Acta Senatus curavit, atque ad Bellum Dacicum Trajanum familiarius prosequutus est.*] Pergo jam, Academici, in serie *honorum* ab *Hadriano* nostro gestorum. Prius tamen quam ad reliquos progrediamur, disquirendum erit *quamdiu* gesserit hanc, de qua agimus, *Quæsturam*; & quo demum *tempore* susceperit. Ut à posteriori Quæstione ordiamur, est sane locus observatione dignissimus, quem è veteri Grammatico Anonymo qui in *Ciceronis* Orationes commentatus est, produxit [a] *Andreas Morellus*, è thesauro viri Maximi, & mihi nuper amicissimi, *Isaaci Vossii.* Sic autem ille: *Omnes cæteri Magistratus Kalendis Januariis procedebant, soli vero Quæstores Nonis Decembris.* Utinam de Scriptoris *ætate* constaret. Quanquam & illud incertum sit de *suis* loquatur, an potius de *Ciceronis*, quem enarrandum susceperat, *temporibus*. Nec enim *procedere Nonis Decembris* Quæstores dixit, sed *processisse*. Morem nimirum *præteritum* designavit, & à *suorum* temporum moribus alienum. Vereor omnino ne legitimo omni *Quæstorum* apud *Romanos usu* junior ille fuerit Anonymus, nec è *coævæ consuetudinis* comperto *usu*, sed ex *antiquioribus* Ciceronis *Scholiastis* sua compilarit. Aliter fuisset, *diversum* alium

*a* Morell. Spec. *Tab.* 5.

*ſuorum temporum* Præturæ ineundæ morem ſaltem ſubindicaſſet. Et quidem multos habemus *Scholiorum veterum* compaginatores longe juniores. Tales ſunt plerique illi quos habemus, non modo juniorum nomina aperte candideque profitentes, *Euſtathii*, *Tzetzis*, *Demetrii Triclinii*, ne & alios nominem innumeros, ſed qui *Anonymi* habentur plerique, ſed qui & *Veterum* nomina, & *vere* etiam, agnoſcunt, multa tamen complectuntur ab *alienis*, & quidem *juniorum*, manibus addititia. Diu eſt ex quo Eruditi queſti ſunt multa ſe in *Servio* doctiſſimo *Virgilii* Enarratore, & in *Cornuto Perſii*, *Servii* nomine & *Cornuti* indigniſſima obſervaſſe. Idem queruntur de *Aſconio Pediano*, & *Donati* in *Terentium* commentario. Et quæ *Didymi* leguntur in *Homerum* Scholia, ea quanquam multa veri habeant *Didymi*, adeo tamen *Didymi*, ipſius eſſe non poſſunt, ut ne quidem proximi à *Didymi* temporibus, *compilatoris*, qui *Didymi* Scholia excerpſerit. Quod *Didymum* tertia plerunque Perſona nominet, quem & ἡμέτερον appellat, quod illum præcipue farraginis hodiernæ Autor duxiſſet excerpendum, id *hactenus* à Doctis animadverſum eſt. Nos illud potius impræſentiarum indicamus quod nondum illis animadverſum ipſi obſervavimus, tam longe illum à veri *Didymi* temporibus abfuiſſe ut etiam *Euſtathium* ipſum teſtem advocaverit. Il. E. v. 203. Et ne alium fuiſſe ſuſpicemur *Euſtathium*, hoc idem docet de voce Ἄδδω noſter *Theſſalonicenſis*, non quidem hoc ipſo in loco, ſed ſuperiori alio, quo tamen Lectorem hoc ipſo in loco retulit, nempe *Il*. B. v. 87. Tam ſunt incerti temporis illa quæ ex his proferuntur *Scholiaſtis*. Itaque ex *Anonymo* hoc *Scholiaſte* colligi nequit fueritne

tempus

tempus illud *Quæsturæ* ineundæ temporibus *Hadriani.* Et ſane ut *vere* illa ſcripſiſſet de temporibus *Ciceronis* Autor ille, quicunque tandem is fuerit unde ſua hauſerit Excerptor Anonymus; mores tamen ævi *Ciceroniani* longe alios fecerant ſecuti poſtea inter *Ciceronem* atque *Hadrianum Imperatores.* Nec ſane ullum extare puto vel minimum veſtigium ſub *Imperatoribus* alio honorem iniiſſe tempore *Quæſtores* quam quo cæteri inierint *Senatorii Magiſtratus.* Sed nec *rationem* ullam video cur *Conſulum Prætorumque* miniſtri, & in *Provinciarum* ſortitione *Collegæ* Quæſtores, munus tamen alio *tempore* quam quo *COSS. Prætoreſque,* quibus miniſtraturi eſſent, ſuſceperint. Ut proinde mihi de *Ciceronis* etiam *tempore* ſuſpectum ſit Autoris hujus obſcuri incertique teſtimonium. Non certe illis *Decembris* Nonis *Quæſturam* noſter inire potuit *Hadrianus.* Si ſuperioris anni menſe *Decembri* iniiſſet, quo licuit illi per *Leges,* ut vidimus, *Annales,* non utique hujus anni *COSS.* Quæſturam ejus tribuiſſet *Spartianus.* Sin horum COSS. *Decembri* iniiſſet; deeſſet, ut videbimus, ſpatium ad reliqua ejus, quæ *poſt* Quæſturam munia obiit, obeunda. In Kalendario *Sylvii* à * *Bollando* edito ita legimus: *X. Kal. Febr. Sen. leg. Quæſtores Romæ deſignantur.* Ita quidem *Sæculo,* quo ſcripſit exeunte Auctor ille, *Quarto,* ſic etiam forſitan intelligendus ut *Quæſtores* in *menſes* anni omnes, proximique anni *Januarium* uno illo die fuerint deſignati, non tamen eodem illo quo deſignati eſſent *anno,* ſed *ſequenti,* ſuo quique ordine, Magiſtratum inituri. Factum hoc die *Senatus legitimi,* nempe *Senatuſconſulto,* cum jam *Populi* Ju-

* Bolland. *Præf. ad Act. Sanctor. p.* 44.

ra omnia *Comitiorumque* ad *Senatum* devoluta essent. Hic ergo mos si ætate etiam *Hadriani* obtinuerit, ut eodem, sequentis tamen anni, die Magistratum *inierint* quo fuerint antea ad Magistratum *designati*; ita *primorum mensium* anni C[i]. *Quæsturam* obire non potuit *Hadrianus*, X. nimirum Kalendas *Februarias*, qui nondum nimirum *ætatis* annum XXIV[m]. absolverat, *Quæsturæ*, uti vidimus, *legitimum*, natus nimirum ipse die sequenti IX. Kal. ejusdem mensis *Februarii*.

II. *Annuam* fuisse sub Imperatoribus *Quæsturam* verisimile non est.

Sed quocunque tandem tempore inierint, fieri tamen nequit ut iidem *anno integro* tenuerint, his nempe, de quibus loquimur, temporibus *Imperatorum*. Est quidem hoc, fateor, manifestius in *COSS.* quam in aliis quibuscunque Romanorum *annuis* honoribus. Principum placita incertissima non memoro, qui pro *arbitrio* Consulibus honorem abrogabant, aut alios tempore nondum elapso sufficiebant. *Stata* quoque *COSS.* tempora sub Rep. *annua* erant, sub *Principibus*, ut plurimum *bimestria*, nisi quod COSS. *Ordinariis semestrem* sæpe honorem prorogabant. *Prætores* equidem, *Quæstoresve* certo *mensium* numero conscriptos nullos legimus. Nec tamen *annuum* etiam illis honorem fuisse verisimile est. Certe *Quæstores* pro *anni* partibus diversis diversos etiam ipsos fuisse verisimillimum est. Ita fuisse suadet imprimis *numerus Quæstorum* longe quam *COSS.* aut *Prætorum* major & enormior. Sub *Sylla* etiam XX fuisse docet [b] *Tacitus*. Sub *Imperatoribus* nunc XL. nunc LXVII. fuisse testem habemus locupletissimum *Dionem*. Plures certe

*b* Tacit. *Ann. XI.* 22.

fuisse

fuisse verisimile est, non modo *Consulibus* verum-etiam *Consularibus*. Erant enim & *Prætoribus* sui quoque *Quæstores*, & in *una* Provincia *Proconsulari* aut *Prætoria* plures *Quæstoriæ*. In *Sicilia* binas fuisse testatur *Asconius Pedianus*. Et *singulis COSS.* anno U.C. 716. *bini Quæstores* assignati sunt. Sed & in *Urbe* etiam ipsa varii tamen erant uno eodemque anno *Quæstores*. Erant qui *Ærario* præsiderent; Erant qui *Ludis publicis*; Erant *Cæsaris*, ut vidimus, *Candidati*; erant qui etiam *Senatus Acta* curarent. Sed hæc munera tam invicem diversa esse fortasse poterant *annua*. Non item illud eorum qui *Consulibus* ipsis inservirent. Nec enim verisimile est *bimestribus COSS. annuos* fuisse *Quæstores*. Sed nec etiam alias *Quæsturas* fuisse *annuas*. Id enim operam dedere *Principes* qui primi *COSS. bimestres* induxerant, ut quo *plures* essent honorum *Candidati*, eo etiam *plures* suppeterent qui *Candidatis* distribuerentur, *honores*. Accedebat præterea magnus *Senatorum* numerus; primaria quidem *Romuli* institutione *centeni* duntaxat. Addidit *centum* alios [c] *Tarquinius Priscus*, qui *minorum gentium* Senatores appellati sunt. [d] *Trecentos* deinde primi fecere *Consules*. Postea sub *Julio* DCCCC erant, sub [e] *Augusto* plusquam M, & cum ab eo ad pristinam formam redigerentur, quam nimirum habuerant ante *Bellum Civile*, adhuc DC. Nec tamen satis erant ad locum in *Senatu*, sine *Principis* singulari favore, capessendum, seu *gens Patritia* aut *Senatoria*, seu *ætas*, seu *census Senatori* præstitutus nisi per *honores*. Et vero *honor* omnium primus, & prima adeo in *Senatum* janua ea erat, quam diximus, *Quæstura*. Sicquidem

c Liv. *L. I. c.* 35. *d* Liv. *L. II. c.* 1. Suet. *Aug.* 34.

illa ut in coævis *Hadriano* virorum Illuſtrium vitis, quas raras admodum habemus, ſine *honorum* gradibus & Catalogis, legamus equidem qui honores ſummos per ſaltum ſine aliis honoribus mediis adepti fuerint, paucos tamen, ſi forte ullos, qui omiſſa *Quæſtura* ad honores Quæſtura *ſuperiores* aſcenderint.

III. Quod *Senatus Acta* curaverit *Hadrianus*, non erat id alienum ab officio *Quæſturæ*.

Itaque paucos admodum, ſi forte, *menſes* Quæſturam noſter geſſerit *Hadrianus*. Quæſturam autem illam *candidatam* recitandis illis, quos diximus, *Trajani libellis* impendit atque *Orationibus*. Deinde *Acta Senatus* illum *curaviſſe* noſter ait *Spartianus*. Sed nec illud alienum ab officio nupero *Quæſturæ*. *Senatuſconſulta* olim cuſtodiebant *Tribuni plebis*, & *Ædiles*, *Curules* illi proculdubio atque *Senatorii*. Cum enim *Senatuſconſultis* illis teneretur non modo qui decreverat *Senatus*, ſed *Populus* quoque quorum nomine non intercesſſerant, quo minus decernerentur, *Tribuni*; proinde conſentaneum erat ut utrique Ordini ne deeſſent Originalium fidi, & à ſuſpicione alieni, cuſtodes. Nempe *Tabulis æneis* inſcribi ſolebant Senatuſconſulta, quæ tamen vim nullam obtinebant dum ad *Ærarium* deferrentur, ibique omnibus conſulenda proſtarent. *Ærarii* cura variis temporibus erat & ipſa varia. Hanc curam cum *miniſtris* demandarent *Tribuni Plebis* & [f] *Ædiles* ad *Quæſtores* tranſtulit *Auguſtus*, teſte *Dione*. Poſtea præfectos à *Senatu* eligendos idem indulſit *Auguſtus*. *Claudius* rurſus *Quæſtores* impoſuit. *Sed deerat robur ætatis* (inquit [g] *Tacitus*) *eum primum Magiſtratum capeſſentibus. Igitur Nero Præ-*

f Dio. *fin. l.* 54. *an. U. C.* 744. g Tacit. *Ann.* XIII. 28. 29.

*tura*

*tura perfunctos, & experientia probatos delegit.* Ita nimirum hujus officii *historiam* repræsentat *Tacitus*, cui etiam alii suffragantur illorum temporum Historici. Id una innuit, ad sua usque, qui sub *Trajano* vixit, tempora, hanc ultimam fuisse *Neronis Legem*, quæ curam illam *Ærarii* in æde *Saturni Quæstoribus*, *Præfectisque Prætoriis* assignaverit. Nec vero quippiam, hac in causa, novasse *Trajanum*, sed nec *recentiores* Trajano *Principes*, ostendunt *nostri* Historiæ *Augustæ* Scriptores. *Ærarii* non *Quæstores*, sed *Præfectos*, memorat noster in vita [b] *Marci*, memorat *Capitolinus* in *Gordianis*. Fuerit itaque ea *Senatusconsultorum* custodiendorum cura olim penes *Quæstores*. Non erat tamen *his*, de quibus agimus, *temporibus*, ut proinde de ea intelligi non possit nostri hoc officium *Hadriani*. Recte quidem hæc, si quidem ejusdem fuisset muneris Senatus Acta *curare* atque *custodire* in *Ærario Saturni*. Sed vero admodum illa, ni fallor, invicem diversa sunt. *Cura Actorum* universa erat, ut puto, in *Senatu*, dum conderentur in *Senaculo*, prius nimirum quam in *Ærarium* referrentur. *Curavit* nempe *Acta* qui *suffragia* colligebat, qui *dicta* omnia *notis* excipiebat, qui *notas* suas in formam *monumentorum publicorum* redegit, & in *Tabulas* transtulit *testimonio* suo *signatas*, tandemque in *Ærarii* Archiva detulit. Ita *Curator* idem fuerit qui Græcis γραμματεὺς, junioribus etiam *Latinis Scriba* & *Notarius*. Ut proinde idem *Quæsturæ* munus sufficere potuerit tam ad *libellos* Principis in *Senatu recitandos*, quam etiam ad *Senatus Acta curanda*,

b *Marc. c.* 9.

IV.
Quæ fuerint illa quæ in *Acta Senatus* referri solebant.

Complectitur equidem vox illa nostri Spartiani *Acta*, etiam *SC.* sed *condenda* potius illa, quam *custodienda*; sed & alia multa præter *Senatusconsulta.* Nempe etiam *Senatus* [i] *Auctoritates*, cum adesset quidem *Princeps*, nec adesset tamen is *numerus Senatorum* qui fuisset ad SC. necessarius; etiam *sententias* eorum omnium qui *dicendæ* in Senatu *sententiæ* Jus habebant, quæ tamen plurimæ in SCC. migrare non poterant; etiam *Senatorum pedaneorum* suffragia, & *Orationes*, & *Interlocutiones* & *Altercationes*, & *Acclamationes*, & *Consulum Relationes.* Ut uno verbo dicam, ea omnia quæcunque *dicta* in *Senatu* aut *gesta* publicis fuissent commissa monumentis. Horum enim omnium habemus in illorum temporum *Actis* exempla. Nec enim quicquam in *Senatu* Conciliisve *publicis* seu *dictum* sive *gestum*, quin publicis illud monumentis insererent publici *Notarii*, non exceptores modo gestorum publicorum, verumetiam *testes* exceptione majores. Hac ipsa *Actorum* forma concipiuntur *Atheniensium* pleraque Δόγματα seu ψηφίσματα, & *Romanorum* etiam *senatusconsulta.* Sic illa nimirum, ut, cujus sententia placuisset Δήμῳ & Βȣλῇ, aut S. P. Q. R. id illius nomine in *Acta publica* referretur, nec deinde privatæ *sententiæ*, sed justæ *Legis* vim vigoremque obtineret, *Senatorum* qui adessent, præcipuorum, *scribarumque* publicorum testimonio comprobatum. Ex his *Senatus Actis* specimina egregia habemus tam in *Ciceronis* quam in *Plinii* Epistolis, è quibus intelligimus non illud modo annotatum quid quisque *dixerit*, sed & *COSS.* sed & *dies*, temporis nimirum notas ac-

i Dio. *l.* 55.

curatiſſimas. Hos *teſtes* advocat *Senatus Commentarios*, quos appellat [k] *Tacitus*. Et undecim *Actorum* Libros à *Muciano* fuiſſe collectos teſtem habemus, ſi non eundem ipſum *Tacitum*, at *coævum* certe aliquem *Tacito* Autorem, ne quidem ipſi *Tacito* poſthabendum, [l] Dialogi de *Oratoribus*. Autor equidem erat *Auguſtus* ne *Senatus Acta* illa publicarentur. Sed bono Hiſtoriæ publico factum ne diu ejus obtinuerit Edictum. Ante illum certe, ut nos è *minutis* ſive *Diurnis Parliamentorum*; Sic è *Senatus Actis*, quæ in *Urbe* gererentur, didicit etiam in Provincia *Cicero*. Poſtea vero ad *Acta* illa ſatis frequenter provocant Hiſtorici.

V. Cura *Actorum* potius *Quæſtorii* erat, quam *Quæſtoris*.

Cur vero *Acta* hæc *Scribis* crederentur non aliis quam *Quæſtura* præditis, ratio erat in promptu. Ne ſcilicet *Senatus* arcana aliis committerentur præterquam *Senatoribus*. Erat tamen *Scribæ* officium minus honorificum, quodque in *domeſtica* diſciplina vix fere alii obirent quam *Servi*, aut *Liberti*, ut proinde infimo fuerit, etiam in *Senatu*, honori *Senatorio* conſentaneum. Nec tamen *Quæſtoris* illud erat munus, ſed viri potius *Quæſtorii*, non jam amplius *Quæſturam* obeuntis, ſed *Quæſtura* defuncti, quem *Exquæſtorem* juniores appellabant. *Scribas* itaque *Quæſtorios* memorat in *Domitiano* [m] *Suetonius*. Et *poſt Quæſturam* Acta *Senatus* noſter *curaſſe* dicitur *Hadrianus*. Nec temere vocem *curandi* adhibuit *Spartianus*. Sic enim de *Quæſtoribus Urbanis* [n] Tacitus: *duo* (inquit) *additi qui Romæ curarent*. Ubi vocem illam in hac cauſa officiorum omnium familiarem fuiſſe ob-

k *Ann.* *XV.* 74. l *Dialog.* c. 37. m Suet. *Dom.* 9. n Tacit. *Ann.* *XI.* 22.

ſervavit

servavit *Pichena*. Ita de *Exploratoribus* ipse [o] Tacitus: *Exploratores, ut mos est, longius curabant*. De Provinciis. Sic [p] *Achaiam curasse* dicitur *Poppæus Sabinus*, & [q] *Asiam curavisse* Proconsul *Fonteius Capito*. Inde *Urbium Curatores* quos Græci Ἐκδίκους appellant aut Οἰκονόμους, Latini *Defensores*, ab *Urbium* usu ad *Ecclesiam* traducti. Et Prodigorum, Furiosorum, Adolescentum, Mulierum. Ut hoc obiter observem in gratiam Auditorum nostrorum *Juris Romani* veteris studiosorum.

VI. Bellum *Trajani Dacicum primum* qui justo faciunt *maturius*.

Functus itaque utroque hoc officio *Trajanum Hadrianus* ad Bellum *Dacicum* familiarius prosecutus est. Non hoc tamen, ut opinor, *anno*, sed sequenti potius, quicquid sentiat in contrarium Cl. *Casaubonus*. Sufficit itaque ut *curam Actorum* hoc anno finierit, ut *proximo* vere *Trajanum* in primo bello *Dacico* fuerit prosecutus. Et quidem de belli *Dacici* prioris tempore ut accurate statuamus fateor esse difficillimum. Sic nobis desunt horum temporum Annales; Sic illudunt perperam descripti, invicemque pugnantes tam *Numi*, quam etiam *Inscriptiones*, Victum fateor *Decebalum*, & titulum *Dacici* memorat Inscriptio apud *Onuphrium Trajani* T. P. IIII. Consulatu IIII. hoc ipso nimirum, de quo agimus, anno CI°. Eandemque Inscriptionem retulit eodem modo [r] *Gruterus*, à seipso tamen diversus. Alibi enim cum COS. V. [s] connectit, quod nec *Fasti*, nec T. illa *Potestas* patitur. Tam pugnant invicem ejusdem Inscriptionis diversi descriptores. Et IV°. *Trajani* anno assignat Chronicon *Eusebianum*, & *Chronici* illius antiquus descriptor *Cassiodorus*,

*o Hist.* III. 15. *p Ann.* V. 10. *q Ann.* IV. 36. *r* Grut. 246. 6. *s* Grut. 190. 1.

*ſiodorus,* IV^is. tribuit *Trajani* COSS. Hæc ſi, quam invicem conſentiunt, ſic etiam vera eſſent, triumpharit *Trajanus* de *Dacis* ante *Oct.* 27. Tum enim exiit T. ejus Pot. IV^a. cœpit V^a. Adhuc tamen maturiorem *Trajani* primam illam de *Dacis* victoriam facit *numus* à [t] *Scaligero* memoratus, ita nimirum inſcriptus: IMP. CAES. NERVAE. TRAIANO. AUG. GER. DAC. P. M. TR. P. COSS. III. Et convenit *Proſper* qui verba illa *Euſebiana* primis, pro ſua diſpoſitione, tertiis apponit *Trajani* COSS: qui tamen erant revera ejuſdem anni quo III. COS. erat ipſe *Trajanus*, nempe C^i.

VII. Refelluntur.

Sed ſatis eſt his omnibus refellendis locus hic noſtri, quem ob oculos habemus *Spartiani*, ſi poſt *Quæſturam* hoc ipſo anno geſtam, & *Acta* etiam *Senatus* curata, *Trajanum* tamen *Hadrianus* ad bellum hoc *Dacicum* I^m. fuerit proſecutus. Eſto enim *bimeſtrem* duntaxat egerit *Quæſturam* pro breviſſimo *COSS.* tempore conſtituto; & *bimeſtrem* etiam *Actorum Senatus* curam; ſic ægre exercitum *Trajanus* attingere potuerit ante finem *Maii*, ſi quidem *comitem* habuerit *Hadrianum*. Nec adeo facile vincendus erat Princeps aſtutus atque bellicoſiſſimus *Decebalus*, duobus ſaltem, ut conſtat è *Dione*, præliis tandem fractus & ad incitas redactus. Nec hoc paucorum erat *menſium*. Et tamen *Romam* redeundum erat, & quidem ante *Octobris* 27^m. ſi triumphaſſe illum verè dixerit *Euſebius*, & T. P. IV. quod velle videntur *Inſcriptiones*. Quid ſi præterea, non *primis* anni *menſibus* ſed *ultimis Quæſturam* geſſerit *Hadrianus*? Quid ſi *prima* anni *Quæſtura*, ut ſæ-

t *Num.* Euſ. 2117

pe

pe primus *Consulatus*, non *bimestris* fuerit, sed *semestris*? Quid si & cura illa *Actorum Senatus* fuerit & ipsa, quam nos putamus, diuturnior? Longe adhuc difficilior erit illa, quam tuentur Viri docti, sententia. Fieri certe vix potest ut, nisi anno longius provecto, nec rebus gerendis spatium relicturo, *Trajanum* comitari potuerit *Hadrianus*. Nec sane de alio, quam *priori*, bello *Dacico* intelligendus noster *Spartianus*. *Secundi* postea meminit noster, quo *primæ legioni Minerviæ* præfectum dicit, & *multa ejus egregia facta claruisse*. Priori hoc Bello aliud nullum *Hadriani* meritum ex ipsius *Hadriani* libris de *propria vita* conscriptis profert *Spartianus* quam *vinolentiæ*. Hoc enim ipso nomine dixerat se à *Trajano* locupletissime fuisse muneratum. *Prosecutus* nimirum fuerat, non *comitatus*, *Trajanum*, propter hujus anni munera, quem proinde nisi confecto bello, non attigerit. Ita factum ut rei gerendæ nullam in hoc bello habuerit occasionem.

VIII. *Romanorum* Principes *summi* omnes *Imperatores* appellati.

Sed vero belli hujus Dacici tempus accuratissime è titulis, ut existimo, colligemus *Imperatoriis*, cum *Tribunitia* nimirum *Potestate* connexis. Illos itaque paulo altius expendemus. Ea potissimum ratione quod, cum sint in re omni *Chronologica* & *numaria*, utilissimi, nondum tamen fuerint, pro dignitate explicati. *Primum* itaque titulum *Imperatorium Trajanus* consecutus est cum illum *Nerva* adoptaret. Sic verbis disertissimis Plinius, [u] *Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors Tribunitiæ Potestatis, & omnia pariter & statim factus quæ proxime parens verus in alterum*

u Plin. *Paneg.* 8.

*filium contulit.* Iterum: [x] *Jam Cæsar, jam Imperator. jam Germanicus, absens & ignarus.* Rursus: *Eras Imperator, & esse te nesciebas.* Et alibi sæpe. Nempe *Julio Cæsari*, post victoriam *Mundensem*, anno U.C. 709. datum à *Senatu*, ut non *ipse* modo, sed & *posteri* ejus *Cæsares* atque [y] *Imperatores* appellarentur. Sic itaque *Augustus* postquam lege *Curiata* Adoptionem *Consul* ipse firmasset, negatam antea à *COS. M. Antonio*, ita ab Autore Fastorum *Colatianorum*, in *Triumviro um* Catalogo inscribitur: *Imp. Cæsar*, &c. Quanquam autem *SC.* illo qui *Cæsaris* fuisset *filius*, is idem *Cæsar* atque *Imp.* appellandus esset; postea constituto summo titulo *Augusti*, tres inde gradus ad *summam Majestatem* constituti sunt, ut primo *Augusti filius*, tum *Cæsar*, tum denique *Imperator*, & spatio *temporis* interposito, appellarentur. Sic tamen illi, ut qui *primum* gradum adeptus esset, is idem & reliquos, suo tamen tempore esset consecuturus. Inde factum ut Principes omnes ut *Cæsares*, sic etiam *Impp.* appellarentur. Et quidem *Cæsaris*, ut nomen, sic etiam *familiam* ambiebant *juniores* quique *Principes*. Inde factum ut *Sacra* omnia *Cæsarea* in unum redegerit Templum *Tacitus*. Tantumdem enim valent apud Jurisconsultos *communia* habere *Sacra*, ac *ejusdem* esse *Familiæ*. Et cum *familia* verè *Cæsarea* in *Nerone* defecerit, *juniores* tamen *Nerone* Principes, *Divos* præcipue *Augustum* & *Claudium*, & *Flavios*, & *Nervæ* posteros, suos nihilominus nunc προγόνους, nunc *Parentes* appellant, quos interim nulla, seu *consanguinitate*, seu etiam *affinitate* contigerant. Sed illud erat apud *Romanos Adoptionis* Jus, ut *filii* etiam *novos*,

x *Ib. c.* 9. y Dio *l.* 43. 266. 267.

per

per *Adoptionem*, *Patres* adſciſcere potuerint, quod fecit in *Marco* jam mortuo, jam *Divo* facto, *Severus*. Sic itaque qui *Cæſarum* nomen ſumpſerunt (quod Principes fecerunt, ut opinor, omnes, ſi unum exceperis *Vitellium*) ii in *familiam Cæſarum* migrabant, & *Cæſarum* adeo omnium *Jura* conſequebantur & *Imagines*, utcunque fuiſſent à *Cæſarum ſtirpe* alieni.

IX. *Prænomen* hoc *Imperatoris* ut à *cognomine* diſtinguendum ſit.

Sed aliud erat (inquietis) *hic* titulus *Imperatoris* ab eo qui à *rebus geſtis* deſumtus eſt. Veteres ita diſtinguunt ut hic *Prænomen* fuerit, *cognomen* alius à *rebus* geſtis. *Præponebatur* enim nomini *gentili* in Principibus nomen *Imperatoris*, *poſtponebatur* in reliquis qui *rerum geſtarum* nomine titulum illum fuerant conſecuti. Sic *Imp. Cæſ. L. Septim. Severum*, *Imp. Cæſ. M. Aurelium Antoninum*, & reliquos ad eandem formam *Auguſtos* repræſentant *Numi Inſcriptioneſque* quæ quidem *prænomina* integra repræſentant. Omittere enim fateor alios, partim pro Sæculi more, quo fere *prænomina* omittebant, partim dedita opera, ut *Tiberium*. At in *Ciceronis* Epiſtolis, quibus ultima *Reip.* pereuntis veſtigia habemus, ſemper *poſtponitur* nomen *Imperatoris*. Sic *M. T. C. Imp. Appius Pulcher Imp. C. Antonius M. f. Imp. Cn. Pompeius Cn. f. Magnus Imp. Vatinius Imp. Cæſar Imp. Plancus Imp. D. Brutus Imp.* Nec unquam aliter in *illius* Sæculi *Imperatoribus*. Illum enim locum obtinebant *Familiarum* nomina & decora *adſcititia*. *Proprii* autem ſeu κυρίȣ nominis locum obtinuiſſe in *Principibus* nomen illud *Imperatoris* monet *Dio*. Erant enim & *Prænomina* Familiarum *propria*. *Cn.* & *L. prænomina* ſola uſurpabat Gens *Domitia Ænobarba*, Autore in *Neronis* vita

* *Suetonio*,

* *Suetonio* modo per *ternas* Perſonas, modo *alternatim.* Eſtque *alterna* illa variatio in aliis etiam *Gentibus* ſatis frequens, ut è Faſtis conſtat *Capitolinis.* Et multabantur adeo *prænominibus Familiæ* ſiquis gravius aliquod facinus admiſiſſet. Ita Genti *Manliæ* & *Antoniæ Marci* nomine interdictum eſt ob *Manlium Capitolinum* & *Marcum Antonium.*

X. *Primum* tamen titulum *Imperatorium* in *Principibus* facit *Prænomen* illud *Imperatoris.*

Eſt quidem hoc, fateor, omnino verum, *diſcrepaſſe* invicem hos titulos *Imperatorios.* Sic tamen verum, ut *primi* tituli *Imperatorii* vicem obtinuerit in *Principibus* ipſum illud *Prænomen Imperatoris.* Idque quanquam nondum obſervatum ab Eruditis, è diſertiſſimo colligimus Teſtimonio *Dionis.* Sic enim ille de *ſui* etiam *ævi* Principibus: Καὶ διὰ δεύτερον ἐπ᾽ αὐτῶν ἐπάγεται ὅταν νίκην τινὰ τοιαύτην ἀνέλωνται. [z] Οἱ μὲν γὰρ αὐτὸ τοῦτο Αὐτοκράτορες ἅπαξ τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ, ὥσπερ ἐν ταῖς ἄλλαις, ἐν πρώτῃ γε χρῶνται· οἷς δ᾽ ἂν καὶ διὰ πολέμων ἄξιόν τι αὐτῆς κατορθωθῇ, οὗτοι δὴ καὶ ἐκείνην τὴν ἀπὸ τοῦ ἀρχαίου προσλαμβάνουσι. κἀκ τούτου καὶ δεύτερόν τις καὶ τρίτον, πλεονάκις τε, ὁσάκις ἂν παράσχῃ οἱ, Αὐτοκράτωρ ἐπονομάζεται. *Semel* itaque per totam vitam *Imperatores* ut & *Pontifices Maximi,* & *Patres Patriæ,* & *Proconſules.* Has enim ἄλλας προσηγορίας deſignavit *Dio.* Id tamen proprium ait *hujus* tituli *Imperatorii,* quod, dum aliæ res *geſtæ* accederent, *primam* Imperatorii tituli vicem obtineret *prænomen Imperatoris,* cum tamen *primam Pontificis Maximi,* aut *Patris Patriæ,* aut *Proconſulis* vicem nemo numeraret. Id etiam palam indicat à *ſecundo* demum numero incipe-

* Suet. *Ner. c.* 1. z *L.* 43 *p.* 257.

re

re *titulum* illum *alium* à *rebus geſtis* Imperatorium. Conveniunt etiam *Numi Inſcriptioneſque*. Cum enim *Conſulatus primos* per ſimplicem *Conſulatum*, *Tribunitiam Poteſtatem primam per Tribunitiam* etiam *Poteſtatem*, deſignent ſimplicem; at certe *cognomentum* hoc, quod ſolum numeratur, *Imperatorium binario* minus nulli repræſentant *ſinceri integrique Numi*, nec ullæ etiam *Inſcriptiones*. Quod tamen ſæpe contingeret ſi *rebus geſtis primus* etiam ille titulus deberetur *Imperatorius*. Hoc propterea magis obſervandum eſt, quod & veros *Conſulatuum* & *Tribunitiarum Poteſtatum* numeros ſæpe tamen *omittant* Inſcriptiones. *Primus* itaque *Trajani* noſtri titulus *Imperatorius* ille eſt, quem diximus, anni XCVII[i]. cum primum renunciatus eſt à *Nerva Imperator*. Nec tamen deerant *Trajani* à *rebus geſtis*, ſiqua neceſſaria eſſent, merita. Meruit nimirum ille victoria ſua *Germanica*, ut & *Nerva iterum Imperator*, & ipſe *Germanicus* appellaretur. At certe *Germanici* titulus nemini deberi potuit præterquam *Imperatori*.

XI. Trajanus *Imp. II.* de *contemptis*, non *domitis Dacis*, ſine nimirum anni 98.

2[m]. *Trajani* titulum *Imperatorium* indicavit, quod tamen nondum ab Eruditis obſervatum eſt, his verbis Plinius: [a] *Itaque non te apud imagines, ſed ipſum præſentem audientemque conſalutabant Imperatorem: nomenque quod alii domitis hoſtibus, tu contemptis merebare.* Illud manifeſtum eſt de recepto *primum* à Nerva *Imperio* intelligi verba illa non poſſe. *Imperatorem* illum *Nerva*, non *Exercitus*, *abſentem & ignarum appellavit*. Idem [b] *Plinius: Eras* (inquit) *Imperator, & eſſe te neſciebas*. Hunc titulum *Imperatorium*,

*a Paneg. c.* 56. *b c.* 9

eodem

eodem *Plinio* Auctore, detulit *Exercitus*, & quidem *præsenti audientique*, & quidem eundem, quem alii *domitis hostibus* mereri solebant, ne dubitemus à *rebus gestis* hunc fuisse titulum *Imperatorium*. Idque etiam è *tempore* manifestum est, quod idem consignavit *Plinius*. *Imperium Nerva* dederat fine anni XCVII$^{i}$. titulum illum 2$^{m}$. *Imperatorium exercitus* sub finem anni XCVIII$^{i}$. quo 2$^{m}$. susceperat cum Patre *Nerva Consulatum*. Liquido constat hoc è verbis *Plinii* tam antecedentibus quam etiam consequentibus. Antecedentia illa: *Gestum Consulatum mirer, annon receptum? Gestus non in hoc Urbis otio, & intimo sinu pacis; sed juxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat moris, paludamento mutare prætextam, ignotasque terras victoria sequi. Pulchrum Imperio, gloriosum tibi, cum te Socii atque Amici, sua in patria, suis in sedibus, adierunt. Decora facies Consulis, multa post Sæcula, tribunal viridi cespite extructum nec fascium tantum, sed pilorum signorumque honore circumdatum. Augebant majestatem præsidentis diversi postulantium habitus, ac dissonæ voces, raraque sine interprete oratio. Magnificum est civibus jura; quid hostibus reddere? Speciosum certam fori partem; quid immanes campos sella curuli, victorisque vestigio premere? imminere minacibus ripis tutum quietumque; quid spernere barbaros fremitus, hostilemque terrorem, non armorum magis, quam togarum, ostentatione, compescere?* Hic illum nimirum videmus *hostium contemptum* qui *titulum* hunc, de quo agimus, peperit *Imperatorium*. Non alium utique quam *gesti in minacibus hostium ripis* munia *Consulatus*. Nec enim alio spectant *reddita* illa *Civibus jura*, quæ fuerant, si *Romæ* fuisset Princeps, in *certa fori parte* reddenda. Sequuntur etiam verba *Plinii* superius recitata, &

illa: [c] *Hæc laus acti* (inquit) *Consulatus*. Itaque in *Consulatu iterum Imperatorem* salutatum esse certum est. Non tamen in *bimestri Consulatu*, sed ne quidem *Semestri*, sed *annuo*; & quidem *annui fine*. *Hyemem* certe fuisse cum *barbaris ripis immineret*, verba illa alia *Plinii* demonstrant: [d] *An audeant, qui te sciant adsedisse ferocissimis populis, eo ipso tempore, quod amicissimum illis, difficillimum nobis; cum Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat; cum feræ gentes, non telis magis, quam suo cælo, suo sidere, armantur. Sed ubi in proximo tu, non secus, acsi mutatæ temporum vices essent, illi quidem latibulis suis clausi tenebantur; nostra agmina percursare ripas, & aliena occasione, si permitteres, uti, ultroque hyemem suam Barbaris inferre gaudebant.* Nec vero de ea quæ annum *inchoavit*, sed quæ *terminavit* potius *hyeme Plinius* intelligendus est. De ea nimirum quæ *reditum* ejus *proxime* antecessit. Nec enim antea *Imp.* salutandus erat quam, Expeditione bonum exitum sortita, jam in procinctu esset ad *reditum*. Non aliter certe honorem illum accepturus erat Princeps *disciplinæ militaris* observantissimus. Rediit autem ille ann. xcix°. Sic tamen ille, ut anni *initio* nondum *Romæ* fuerit. Id nos docet idem *Plinius*, recusandi hoc anno *Consulatus* hanc præcipuam fuisse rationem, quod eum [e] *absens gerere non potuerit*. Aberat itaque *Consulatus ineundi* tempore *Trajanus*. Nec vero bello *Dacico priori* hic imputandus est de *contemptis* duntaxat *hostibus*, non item *domitis*, titulus *Imperatorius*. Præliis enim ad minimum *duobus*, in priori etiam hoc bello, testatur *Dio*, debellatum esse cum *Decebalo*.

c C. 57. d c. 12. e c. 60.

Jam

Jam titulum hunc *Imperatorium II.* usque ad *Trib.* Trajani *Pot.* saltem IV^m. continuant *Inscriptiones* tam *lapidum*, quam etiam *numorum*. Sunt etiam quæ cum V^a. ejus *Tribun. Potestate* conjungant. Nec enim prorsus alienas ab *Inscriptionum consensu* Inscriptiones commemorandas censui. Ad *Consulatum* certe IV^m. i. e. ad an. CI^m. differunt omnes. Et tamen *COS.* III°. *Trajanum Dacicum* appellant, & *quadrigas* etiam *triumphales* repræsentant *Numi*. Qui quidem, si genuini sint, id saltem indicant, decretum à *Senatu* titulum *Dacici* cum *triumpho*, propter hunc titulum *Imperatorium* 2^m. quo spretos diximus, nondum domitos, fuisse *Dacos*, quos tamen ambos adhuc recusaverat Imperator. Novum certe seu *titulum*, seu *triumphum* accepisse sine novo *titulo Imperatorio*, verisimile non est. Et quidem *paucitate* ipsa *numi* illi suspecti sunt. *Imperatorium* titulum 2^m. cum *Consulatu* IV°. junxit *Occo*. Etiam cum T. P. V. Inscriptio *Onuphrii* & [f] *Gruteri*. Sunt tamen numi qui *Trib.* ejus *Pot. IIII. Trajanum III.* appellant *Imperatorem. Trib.* certe *Pot. V.* 3^io. *Imperatorem* agnoscit etiam Inscriptio [g] *Reynesii*. Si itaque IV^a. *T. P.* & tamen *COS. IV. Imp. III.* salutatus fuerit *Trajanus*, id hoc anno contigerit necesse est CI°. quo *Quæstor* noster erat *Hadrianus*; & quidem ante *Oct.* 27. diem, quo cœpit *T. P.* ejusdem V. Sic ægre *Trajanum* assequi potuerit *Hadrianus*, si quidem belli *Dacici* profligati causa *Trajanus Imperatorium* titulum *tertium* meruisset. Sed *Tigridem fluvium* decumbentem repræsentat idem ille numus qui *titulum Imp. III.* cum *Trib.*

XII. *Imp. III.* propter res gestas in *Oriente* à ducibus, ann. 101. vel 102.

*f* Grut. 177. 2. *g* Reynes. *p.* 1020.

*Trajani Pot.* IV. jungit. Inde intelligimus cum bello *Dacico* nihil commune habuiſſe titulum illum *Imperatorium*, ſed cum alio potius aliquo, quod neſcimus, in *Oriente* geſto. Suſpicatus equidem fueram de *duplici* illo, cujus meminit *Dio*, belli *Dacici* primi *prælio* bis *Imperatorem* acclamatum eſſe *Trajanum*. Sed alienum id à militari *Romanorum* Diſciplina idem prodit *Dio*. Verba ejus in hanc ſententiam diſertiſſima illa ſunt lib. LX. [h] οὐ γάρ ἐστιν ἐν οὐδενὶ πλέον ἢ ἅπαξ ἐκ τοῦ αὐτοῦ πολέμου τὴν ἐπίκλησιν ταύτην λαβεῖν. Tranſgreſſos equidem diſciplinam illam fateor Principes *honorum* ſtudioſiores quam *meritorum*. Vetant tamen longe alii *Trajani* mores nequid de eo tale ſuſpicemur. Interim geſta illa *Orientalia*, quæ IV$^{o}$. *Trajani Conſulatu* illum 3$^{io}$. auxerunt titulo *Imperatorio*, ſeu IV$^{a}$. *Tr. Pot.* ſeu V$^{a}$. contigerint, hoc certe anno CI$^{o}$. ſeu ſequenti contigiſſe neceſſe eſt.

XIII. *Imp.* IV. propter Bell. *Dac.* I, fine anni CIII. *finitum.*

Jam titulum *Trajani* IV$^{m}$. Bello alteri quam *Dacico* vix poterimus aſſignare. V$^{o}$. *Imp.* nullæ agnoſcunt ante *T. P.* IX$^{m}$. genuinæ *conſentienteſve invicem* Inſcriptiones. Et quidem illæ pauciores quam quœ eadem T. P. IX$^{a}$. *Imp.* tamen duntaxat IV$^{o}$. appellent. Inde intelligimus exeunte *T. P.* IX$^{a}$. tum demum V$^{o}$. *Imp.* dictum eſſe *Trajanum*, anno nimirum Æræ noſtræ *Chriſtianæ* CVI$^{o}$. Sed vero ante annum illum, prius illud, de quo agimus, Bellum *Dacicum Trajanum* abſolviſſe neceſſe eſt. *Priori* illo *Bello* finito *triumphavit*, teſte *Dione*, & *Dacicus* appellatus eſt. Et quidem *Germ. Dacic.* nominant IV$^{i}$. *Conſulatus* Inſcriptiones, antiquiores illæ nimirum anno CIII$^{o}$. quo V$^{m}$. iniit. Et alias multas habemus *T. P.* VII, VIII, & IX. *continuas* ejuſ-

[h] p. 781.

dem

dem formæ Inſcriptiones. Sed & *T. P.* VI. nonnullas quæ non modo *Dacicum*, ſed *Daciam captam* fuiſſe teſtentur. Nec ſane aliter fieri potuit, ut geſta *Quæſtura Trajanum proſequi*, nedum *deprehendere* potuerit *Hadrianus*. Quamcunque demum fingamus in *Senatus Actis curandis* moram, fecit id certe noſter ante *Tribunatum*, quem tamen ipſum honorem anno CV°. geſſit, Auctore *Spartiano*. Nec ſane eſt quod exiſtimemus novum illud *Dacici* cognomen dari potuiſſe & novum etiam *triumphum*, quin acceſſerit etiam *novus* titulus *Imperatorius*. Itaque IV. *Imp.* Bellum hoc, de quo agimus. *Dacicum* prius abſolverit, Nec enim, niſi in bellorum *fine*, fieri illæ ſolebant militum acclamationes. Atqui *Imperat.* IV. & una *Dacicum* primi appellant, quorum nos mentionem vidimus, Conſulatu IV°. & *Tribunitia Pot.* VI^a^. ſignati numi. Et *Trajanum* in *Quadrigis*, *Triumphi* Symbolo *Conſulatu* ejus IV°. ſignatus repræſentat Numus *Mediobarbi*. Sed Faſtorum receptorum fidem convellunt viri celeberrimi *Noriſius* & *Mediobarbus*, teſteſque advocant unum aliumve numum quo legi fertur *T. P.* VII. cum *COS.* IV. *Deſ.* V. Sic V^m^. *Conſulatum* ante an. CIV^m^. non potuerit inire *Trajanus*. Sed præter *Faſtorum*, quos habemus, omnium, hac in cauſa conſenſum, *Idatii*, Chronici *Alexandrini*, ne ſubleſtioris fidei alios adducam, *Proſperi*, *Victorii*, *Caſſiodori*, extat etiam in Cimeliis illuſtris Domini Comitis *Clarendoniæ* numus qui *T. P.* VI^m^. cum *Conſulatu* committit V°. non utique *deſignato*. Et quidem *ineunte* COS. V°. *deſinente* autem ſpatio illo quod COS. IV°. ſolet in Inſcriptionibus deſignari, additus ille Titulus erat *Imperatorius*. Hoc inde colligimus, quod quæ *Romæ* gerenda eſſent, ea pleraque ad COS. V^m^.

 referunt

referunt *Numorum* Inſcriptiones. COS. enim v°. ſignati numi Imperatorem in *Quadriga* exhibent, ſi tamen de *priori* Triumpho *Dacico*, illi intelligendi ſint. *Congiarium* certe IIm. cum COS. itidem v°. jungunt Numi. Illud vix alia de cauſa datum veriſimile eſt quam propter bellum hoc, de quo agimus, *Dacicum* primum. Primum enim *Congiarium*, ante bellum *Dacicum*, cum *Romam* primum appelleret *Trajanus*, datum oſtendit *Plinius* in *Panegyrico*. Et ſane cauſis iſtiuſmodi *Publicis* numerari ſolebant *Publicæ* illæ *Liberalitates*. Sic *fine* potius anni, quam *initio*, *Romam* appulerit *triumphaturus* Imperator. Proinde *fine* anni CIIIi. *Romam* venerit, ſi quidem ad annum CIVm. COS. ejus vus. differendus ſit. Hoc autem fieri vix potuiſſe infra oſtendemus. Recte itaque habent Faſti recepti qui vm. *Trajani Conſulatum* anno Æræ noſtræ tribuunt CIII°. *Conſulatu* itaque IV°. *Imp. IIII.* & *Dacicus Trajanus*, ſuperiori anno CII°. finem bello *Dacico* priori impoſuerit. Sic ſero *Trajanum proſecutus* fuerit *Hadrianus* ſuperioris anni *Quæſturæ Actorumque Senatus* Curæ moram paſſus. Sic etiam commode *Conſulatum* ſequentis anni *Trajanus triumpho* deſtinarit. Certe cum *Conſulatum* vm. iniret, pro ſua illa, quam nos docuit *Plinius*, diſciplina, *Romæ* fuiſſe *Trajanum* oportuit. Tenemus itaque belli *Dacici* primi *finem*.

XIV. *Cæpit* Bellum illud ante *Oct.* anni Ci.

*Initium* ejuſdem deſignare videntur *Numi* ſub anni Ci. finem cuſi *T. P.* IIIa. & *COS.* etiam III°. in quibus legimus PROFECT. AUG. & PROF. AUG. GERMAN. Seu vocem illam *German.* ad *Trajanum Aug.* referamus qui *Germanicus* appellatus eſt, ſeu potius ad *PROF.* ut nimirum *profectio* in *Germaniam*

*niam* intelligatur. Nam & *Daciam Germaniæ* nomine complecti ſolent illorum temporum Autores, *Germaniæ* nimirum nomine regionem intelligentes quæ *Rheno* & *Danubio* fluviis concluſa *Romano* eſſet Imperio finitima. *Dacos* fateor, è *Germaniæ* finibus excludit *Tacitus*. Sic tamen illi cum *Germanis*, præcipue *Marcomanis*, in hujus, de quo agimus, temporis bellis, conjuncti erant, ut longe frequentius *Germaniam* memorent illorum temporum Scriptores quam ipſam *Daciam*, etiam cum præcipui hoſtes ipſi fuiſſent *Daci*. Ea fortaſſe de cauſa quod celebrius eſſet *Germanorum* nomen quam *Dacorum*. Duas memorat *Suetonius Domitiani* in *Dacos* Expeditiones, & unum ſaltem de iiſdem & Rege *Decebalo* triumphum, fictitium nimirum illum. *Germanicum* tamen omnes, non *Dacicum* appellant, unum ſi excipiamus, & unico duntaxat in loco, cum [i] *Juvenali Martialem*, in *Præf.* nimirum L. *Epigrammatum* VIII[i]. De iiſdem hoſtibus, *Decebali* ſaltem ſociis, reportaverat etiam *Trajanus lauream* illam, ſub *Nerva*, *Germanicam*, cujus meminit *Plinius*, à qua tamen nec ipſe *Dacicus*, ſed *Germanicus* appellatus eſt. Sic itaque *Profectionem* hanc *Auguſti Germanicam*, ſatis commode de Expeditione in *Decebalum* intelligemus. Nec enim aliam legimus jam *Auguſti* in *Germanos* ipſos expeditionem. Cœpit itaque prior hæc in *Decebalum* Expeditio anno C°. ſi quidem Conſulatu *Trajani* cœperit III°. Imo ante *Oct.* diem 27[m], ſi quidem *Trib.* ejuſdem *Poteſtate* cœperit III[a].

XV. Non certe *diu* ante initium *Octobris*

Nec tamen *diu* ante menſem *Octobrem* incipere Expeditio illa potuit. *Nervæ* III°. COS. meminit L. XI. Ep. 5. *Martialis*, qui *Nerva* alius eſſe non potuit quam

*i* Juvenal. *Sat. VI.*

*Nerva Trajanus*, cujus ſæpe, etiam de *nomine*, Libro ſuperiori x°. Ep. 6. 7. 34. meminerat. Scripſerit itaque *Martialis* L. XI^m. hoc ipſo anno c°. Et tamen L. XII. Ep. 8. ſic ille *Romam*, juvene præſide, hoſtibus omnibus inſultantem introducit:

*Parthorum proceres, duceſque Serum,*
*Thraces, Sauromatæ, Getæ, Britanni,*
*Poſſum oſtendere Cæſarem; venite.*

Venite, nimirum, ſi audetis. Plane *pacem* altiſſimam, nedum repertum ullum qui *Trajanum* provocare auſus fuiſſet hoſtem, verba illa indicant; non *Dacos*, qui nulli hic apparent, niſi communi fortaſſe *Getarum* nomine, nec ipſum adeo *Decebalum*. Eodem anno, menſe *Septembri*, Panegyricum illum, quem habemus, floridiſſimum in Senatu coram ipſo *Trajano* dixit *Plinius*. [k] *Menſe* nimirum illo quo occiſus eſt *Domitianus*, & *natus* ipſe *Trajanus*, quorum utrumque *Sept*. die 18°. contigiſſe, è *Suetonii Domitiano* diſcimus, & Kalendario *Conſtantii*. Iniit autem *Conſulatum*, dixitque adeo *Panegyricum* ipſis illius *menſis* Kalendis, quo *Senatum legitimum* exhibet idem illud *Conſtantii* Kalendarium. Jam enim diu ante tempora *Trajani binos* ſingulis menſibus *Senatui legitimo* dies, *Kalendas* & *Idus* conſtituerat *Auguſtus*, teſte [l] *Suetonio*. Quanquam neſcio quo caſu ſit factum, an juniorum Principum Edictis, an potius errore Librarii, ut in illo *Conſtantii* Kalendario alii ſæpe dies *Senatui legitimo* repræſententur. Actas enim in *Senatu* gratias de *Conſulatu*, noſter teſtis eſt in hac ipſa *Hadriani* vita *Spartianus* c. 24. Imo alios fu-

*k c*. 92. *l* Suet. *Aug*. *c*. 34.

iſſe

isse sub *junioribus* Principibus *dies* Senatui *legitimos*, non ex illo duntaxat *Constantii* Kalendario colligimus; sed ex alio quoque illo *Sylvii Bollandiano*. Hucusque itaque ad *Sept.* initium *Romæ* adfuit *Trajanus*. Imo nullam memorat *Plinius* suspicionem vel *levissimam* discessuri: nullam quo minus secuturis interesse potuerit Kalendis *Januariis*, cum & 4$^{m}$. *Consulatum* ne aspernaretur, obnixissime suo & Senatus nomine rogasset *Plinius*; idque tamen haberet in more *Trajanus* ne *absens* Consulatus iniret, nondum nimirum *designatos* cum adhuc causam *absentiæ* exploratam nullam haberet. Nondum itaque causa aliqua apparebat quo minus *Trajanus* proximis adesse posset Kalendis *Januariis*. Tam nulla prorsus à *Decebalo*, ut illum ultro provocet insultetque, tacito tamen nomine, Plinius: *Quod si quis barbarus* ([m] inquit) *Rex eo insolentiæ furorisque processerit ut iram tuam indignationemque mereatur, næ ille, sive interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu præcipiti monte defenditur; omnia hæc tam prona tamque cedentia virtutibus tuis sentiet, ut subsedisse montes, flumina exaruisse, interceptum mare, illatasque sibi non classes nostras, sed terras ipsas, arbitretur.* Jam supra monuimus *Daciæ* esse situm quem *Plinius* hoc in loco descripserit. Cum autem ait, *Si processerit*, futuro nimirum tempore; jam certe illum eousque insolentiæ furorisque *nondum* processisse significat; *nondum* saltem sibi, processisset necne, *compertum*. Affecto itaque vel exeunte *Septembri*, vel etiam *ineunte* fortassis *Octobri*, de defectione *Decebali* nuncium *Trajanus* acceperit, & nuncio mox accepto profectionem adornarit. Sic belli *Dacici* præci-

m *Paneg.* c. 16.

pua

pua gefta in annum inciderint CI[m]. eundem nimirum illum quo *Quæsturam* nofter gefferit *Hadrianus*. *Primo* certe *vere* in *hoftica* fuiffe vel inde intelligimus, quod *primarum frugum* indicia, quæ in *vernum Æquinoctium* conveniunt, in Columnæ *Trajanææ* figuris obfervarit * *Ciacconus*. Hæc ille *poft* initium *Belli*, non *longe* tamen ab *initio*. Ante *pugnam* certe. Imo ante *Suovetaurilia bina*, quæ *duplici* hujus Belli *Prælio* refpondiffe videntur. Ita partem hujus anni longe maximam rebus gerendis opportunam habuerit. Ita factum ut *Trajanum* profecutus fequenti anno CII°. *Hadrianus*, meritum aliud à *Trajano* munerandum nullum habuerit, præterquam *vinolentiæ*.

XVI. Priori hoc bello *victa*, & *præfidiis* occupata, pars *Daciæ* maxima.

Sed vero quoufque *primi* hujus belli *Dacici* victoria proceffer it, nondum video apud Eruditos exploratum. Victoriæ *confeffionem* illam potius quam *Victoriam* exiftimant, non certe *captam Daciam*, nec *Colonias* in eam deductas, nec Regionis partem faltem aliquam *Romanorum præfidiis* occupatam. Inde factum ut verba illa *Dionis* σὺν χρόνῳ καὶ μόλις de mora belli *Dacici* II[i]. quam fuerat in primo diuturniori intellexerint, quæ fuerant tamen de more, pro rerum geftarum exiguitate, diuturna potius intelligenda. Atqui *confeffionem* illam victoriæ à *Decebalo*, antequam *Romam* veniffet, extorferat *Trajanus*, cum *infultaffe* illum hoftibus dicit [n] *Plinius*, cum *jura* illis *reddita*, cum *fpretos barbarorum fremitus*, repreffumque eorum, *non armorum magis*, *quam togarum oftentatione terrorem*. Extorferat fane, cum in [o] *latibulis fuis claufi tenerentur Daci*, *mutatis* nimirum *rerum vicibus*, cum

* Ciaccon. *in Col. Trajan. n.* 69. *n* Plin. *Paneg. c.* 56. *o ib. c.* 57.

qui

qui antea *Romanos* terrere solebant jam sibi à *Romanis* ipsi timerent. Multa habet præterea alia in eandem sententiam in *Panegyrico Plinius*, è quibus facile intelligimus jam tum *Decebali* ipsius *confessione* superiorem fuisse *Trajanum*, & *Leges* Pacis *dedisse* potius, quam *accepisse*, *Romanum*. Cœpto ergo postea *Bello*, & pro votis *confecto*, ultra progressus fuerit oportet, nec ullo modo verisimile est sola *Victoriæ confessione* deinde fuisse contentum. Hoc certe suadent tot illæ *res* tantæque eo bello gestæ. Ex *æquo* non fuisse certamen vel inde constat, quod etiam [p] *antequam* vinceretur *Decebalus* Legatos miserit, non *comatos*, sed *pileatorum* præstantissimos; quod abjectis armis *humi* se prostraverint ipsi illi legati; quod *Decebalum* spoponderint nihil non facturum eorum quæ jussurus esset *Trajanus*, modo ad colloquium ejus conspectumque admitteretur. Hæc nos docent Fragmenta *Dionis Theodosiana* plerunque eadem cum *Porphyrogenetæ Ursinianis*. Sequebatur deinde *duplex* de re summa *Prælium*, totidemque *Decebali* clades. Inde contendit *Trajanus* ad Editiora loca *montium* in quibus *Decebali* spem summam fuisse supra ex *Plinio* audivimus. Hæc itaque montium munimenta alia post alia ita expugnavit *Trajanus*, ut & tormenta bellica à *Domitiano* tradita, & mancipia, captumque sub *Fusco* Signum receperit, quæ è Fragmentis discimus *Theodosianis*. Eodemque tempore *Lusius Quietus Dacos* ex alio latere adortus magnum eorum numerum concidit, *Trajani* gratiam honoresque tam opportuno auxilio meritus, ut Fragmenta ejusdem *Dionis* testantur *Valesiana*. Eodemque etiam tempore *sororem Decebali* muni-

p Dio *Xiphilin.* & *Theodos.*

mentum-

mentumque in *Romanorum* poteſtatem redegit *Maximus*, teſte eodem *Dionis* excerptore *Theodoſio.* Tantis his, tamque proſperis ſucceſſibus ad *Dacorum regiam* pervenit *Trajanus;* Caput nimirum originemque belli, ne ullam *Daciæ* partem intactam evaſiſſe ſuſpicemur. Tum demum *Decebalo* ad incitas redacto Conditiones Pacis dictæ illæ, ut *arma machinaſque* traderet cum machinarum *artificibus* à *Domitiano* conceſſis; ut *transfugas* dederet; ut *regione capta* decederet, ut *nondum captæ* munimenta *dirueret*; ut *amicos* eoſdem *inimicoſque* haberet cum Populo *Romano.* Itaque Regione *capta* multatus eſt *Decebalus.* Non captam poſſedit quidem; ſed ut minus præſidiis, munimentis ſaltem propugnaculiſque nudatam. Nec admodum *armatus*, ipſe *armis* nimirum *machiniſque* à *Domitiano* extortis ſpoliatus.

XVII. Hoc è *Dione*, & coævis *Trajano* Teſtimoniis, evincitur.

Idem præterea confirmant alia *Dionis* teſtimonia. Sic enim legimus de diſceſſu *Trajani* in Excerptis *Theodoſii:* καὶ στρατόπεδον ἐν Ζερμιζεγεθούσῃ καταλιπὼν, τήν τε ἄλλην χώραν φρουραῖς διαλαβὼν, ἐς Ἰταλίαν ἀνεκομίσθη. *Zermizegethuſa* Regia erat *Dacorum*, eademque poſtea *Romanorum Colonia*, Legionis proinde Romanæ *Statio.* Sic enim intelligo vocem στρατόπεδον, tam nimirum ut *Legionem* deſignet, quæ nempe recepto illius Sæculi ſermone, nunc στρατὸς, nunc στράτευμα appellatur: quam ut *Caſtra* etiam Legionis, quæ in Præſidiis limitaneis *fixa* erant & *ſtativa.* Cum ergo illam præſidio, & reliquam etiam Regionis occupatæ ditionem cuſtodiis inſtruxerit *Trajanus*; nemo eſt quin videat maximam ſaltem *Daciæ* partem Juris jam fuiſſe *Romani.* Conveniunt porro quæ habet de ſequentis belli initio *Dio Xiphilinianus.* Dicit enim *arma* paraſſe,

parasse, *transfugas* recepisse, *munimenta* restaurasse *Decebalum.* *Armis* utique *priori Bello* exutum atque *munimentis.* Dicit præterea idem *Dio* redimendi *Longini* eam conditionem à *Decebalo* propositam, [q] *ut ager ad Istrum usque porrectus sibi concederetur.* Omnino illa *Provincia* est *Transdanubiana* qua pulsus fuerat superiori bello *Decebalus.* Hæc itaque de *victa* Dacia *Dio.* Nec aliter coævi etiam Auctores. *Julius* [r] *Frontinus* ipse bello priori interfuit, qui testis est disertus *terram* sese *hosticam intravisse,* structos *fluminibus pontes, expugnatas montium altitudines, victoriam* denique *Dacicam* ab *Imperatore Maximo* fuisse reportatam, imo *proxime reseratam.* Quod *unicam victoriam* memorarit, eamque *proximam;* facile inde colligimus de alia quam *primi belli* victoria intelligi non posse. Nec sane *Bellum Dacicum* secundum videtur attigisse *Frontinus,* cum ejus mortem L. IV. Ep. 8. memoret *Plinius,* ipse in *Auguratum* ejus loco suffectus. Convenit præterea ipse *Plinius* qui *Belli Dacici* Argumentum scripturo amico *Caninio* ita proponit: [s] *Dices* (inquit) *immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus injectos, insessa castris montium abrupta, pulsum Regia, pulsum etiam vita, Regem nihil desperantem.* Primi belli gesta ad *Regiæ* mentionem complexus videtur *Plinius,* ut è *Dione* jam ostendimus. Conveniuntque hæ *fluminum, Pontium, Montium* mentiones cum minis illis ejusdem *Plinii* in [t] *Panegyrico* ad amussim. Ibi *fluminibus immensis,* & *monte præcipiti* defensum legimus *Decebalum.* Hic *fluminibus injectos pontes, insessa castris montium abrupta.* Illæ fuerunt prioris hujus, de quo loquimur, *Belli Dacici* in apparatu *minæ.*

q *In Fragm.* Theodos. r Frontin. *Præf. de re Agrar.* s Plin. L. *VIII. Ep.* 4. t *Paneg. c.* 16.

Hæc

Hæc *geſta* minis ſane conſentientiſſima. Hoc ergo hujus *prioris* belli Dacici *fine Coloniæ Romanæ* in *Daciam* deductæ ſunt.

XVIII. Et è *Pontis Danubiani* tempore, quod *medium* erat inter Bella *Trajani* Dacica.

Frmat præterea quæ diximus *Pontis* illius celeberrimi *Danubiani* tempus à *Trajano* conſtructi. Hoc enim certum, certumque eſſe confirmat ipſe *Dio* per *pontem* illum *ſecundo* bello Dacico in *Daciam* irrupiſſe *Trajanum*. Non certe tum primum *cœptum*, ſed jam antea *paratum*, & ad *finem* uſque perductum. Quid enim? Medio ne belli ingruentis ardore, opus à bello alieniſſimum, moræ ingentis ac expenſæ *Trajanum* aggreſſurum exiſtimabimus, in *monumentum* Poſteris potius, quam belli, quod in manibus habebat, *adminiculum*? Quorſum vero? An ut exercitum *trajiceret*? Sed fieri illud longe breviori tempore, & facilius, poterat ponte *tumultuario* è *naviculis* compacto, pro *Romanorum* more uſitatiſſimo. An ut *receptum* haberet fugientibus militibus ſecurum? Atqui receptum fugituris *præcidere* potius ſolebant duces animoſiſſimi. Et tamen qui potuit *receptus* eſſe *ſecurus* cum hoſtibus proſecuturis, & in *Romanas* Provincias irrupturis, viam jam paraverant expeditiſſimam? Longe commodior fugientibus pons ille alius fuiſſet è *navibus*, qui & viam ſterneret ſuis fugientibus, & ſolutus à tergo præcluderet hoſtibus inſecuturis. Sed veram prodit pontis faciendi rationem ipſe *Dio*. Sic enim ait: Ὁ μὲν γὰρ Τραϊανὸς δείσας, μήποτε. παγέντος τοῦ Ἴστρου, πόλεμος τοῖς πέραν Ῥωμαίοις γένηται· ἐποίησε τὴν γέφυραν, ἵνα αἱ ἐπιβασίαι ῥᾳδίως δι' αὐτῆς διεξίωσιν. In uſum itaque *Colonorum Romanorum Tranſdanubianorum* condidit *Trajanus* illum *pontem*, ne *congelato*,

*congelato*, ut ſolet, per hyemem, *Danubio* ſubito hoſtium incurſu opprimerentur. *Pontis* certe *lapidei* periculum in Provincias *Ciſdanubianas* ſenſit *Hadrianus* cum pontis *ſuperficiem* auferret. Senſit etiam poſtea *Aurelianus*, cum *Colonos* ipſos transferret, nec fuiſſe ſine ponte tutos *Tranſdanubianos*, nec facile *Ciſdanubianos* cum ponte potuiſſe defendi. *Colonos* itaque jam *ſuperioris* belli *Dacici* fine deductos ſupponit *pons* ille in *ſecundæ Expeditionis* procinctu jam *paratus*. Et quidem in *Dione* tranſitum *Trajani* ſecundo in *Decebalum* moventis per *pontem* legiſſe videtur qui *Dionis* ipſam Hiſtoriam legit fortaſſe [u] *Tzetzes*. Et pontem illum ante *ſecundam* Expeditionem repræſentavit *columna Trajani*. Habemus etiam quæ *Danubii* mentionem faciant *Numorum* Inſcriptiones ad hunc eundem pontem Danubianum proculdubio referendas. Sed poſt v^m^. demum *Conſulatum*, i. e. poſt annum CIII^m^. quo Conſulatum geſſit v^m^. & ante annum CXII^m^. quo Conſul erat VI. *Trajanus*. *Pontes* illi *novi Pliniani fluminibus injecti* quicquamne habeant cum *Ponte* hoc *Danubiano* omnium celeberrimo commune, neſcio. Potius illos ad *navigia* & *flumina Dacica* retulerim. Præſertim *pontes* plures, & plura etiam *flumina* memorante, qui interfuit, uti vidimus, [x] *Frontino*. Et quidem poſt *introitum* in *terram*, uti loquitur, *hoſticam*. Fecitque *Fluminum* alibi mentionem ipſe *Plinius*, in [y] *Panegyrico*. Si tamen eſſet, ut illum intelligunt Interpretes, de *ponte* potius *Danubiano* intelligendus, ſic alium haberemus teſtem de tempore Pontis illius à nobis conſtituto. Sed ſufficiunt, ni fallor, illa quæ adduximus. Sic autem

*u* Tzetz. *Chil. II.* 34. *x* Frontin. *Præf. de re Agrar.* *y* Paneg. *c.* 16.

*Urbis*

*Vrbes* illas novas à *Romanis* in Dacia poſt Belli *Dacici prioris* finem cœptas exiſtimo, ut finem nihilominus non ante *ſecundi Dacici* belli finem acceperint, cum & Regionis pars illa *Decebalo* permiſſa, & *diruta* primum, deinde à *Decebalo reſtaurata* montium propugnacula in *Romanorum* poteſtatem etiam ipſa veniſſent. Sic enim, poſt *Decebali* cædem, *Dio*: Καὶ οὕτως ἡ Δακία Ῥωμαίων ὑπήκοος ἐγένετο, καὶ πόλεις ἐν αὐτῇ ὁ Τραϊανὸς κατῴκισεν.

# *Prælectio* XII. *ad Spart.* Hadrian.

MAII. 22. 1691.

## *De* Tribunatu Hadriani *Pleb. Tribunatusq;* ætate, *Fastorumque* Consularium, *per hæc* Trajani *tempora, confusione.*

Tribunatu Plebis *olim exclusi* Patritii, *jam* Hadriani *ætate Tribunatus* Senatorum *proprius.* §. I. Tribunatui *nulla, ut videtur,* Ætas *a* Legibus *designata.* §. II. *Ex* aliis *tamen* honoribus *Tribunatum seu* antecedentibus, *seu* consequentibus, ætas *erat* certa *ad illum necessaria.* §. III. *In locum* Ædilitatis Curulis *successit* Tribunatus §. IV. Ædilitatis *annum fuisse oportet* Ætatis *XXVIII*m. §. V. Tribunatus *hoc etiam Sæculo* annuus. §. VI. *Tribunatus* ineundi *tempus* Decembris *X.* §. VII. Tribunus Plebis *fuerit* Hadrianus *a* Dec. *X*o. *anni CIII*i. *ad* Dec. *X*m. *anni CIV*i. §. VIII. *Sic potuit Belli* Dacici. *II*i. *rebus* gestis *interesse anni CVI*i. initio *finiti.* §. IX. Præturæ Hadrianeæ *COSS.* Sura *&* Servianus II. *ante* Candidum *&* Quadratum Tribunatus *Consules male dispositi.* §. X. Fasti *hodierni omnes in* Trajani *temporibus merito suspecti.* §. XI. *Fastorum* emendatio *in sequentibus Prælectionibus expectanda.* §. XII. Initium *Belli* Dacici *II*i. *anno CIII*o. *ante* Octobrem. §. XIII.

*Spartian.* Adrian. c. 3.

I. *TribunatuPlebis* olim exclusi *Patritii* jam *Hadriani* tempore Tribunatus *Senatorum* proprius.

T*Ribunus Plebis factus est Candido & Quadrato iterum COSS.* ] Tribunatus Plebis à prima sua institutione in patrocinium *Plebis* constitutus sic erat proprius *Plebeiorum* ut *Patricium* neminem hujus honoris Candidatum admitterent. Postea vero, cum *Plebiscitis*

*ſcitis* tam *Patricii* quam *Plebeii* conſtringerentur, multiſque aliis *Patriciorum* conceſſis Poteſtas hujus *Tribunatus* in immenſum excreviſſet; Sic tandem invidioſa facta eſt, ut fuerit etiam à *Patriciis* ambienda. Eam tamen ægre, & ſoluta demum Repub. conſecuti ſunt. Sic erant nimirum ſuſpecti *Plebeiis Patricii* in eo ipſo honore qui ad coercendam *Patriciorum* tyrannidem adinventus eſt. Non potuit certe honorem illum aſſequi *Clodius*, dum à *Patriciis* ad *Plebeios* migraſſet, adoptatus nimirum à *Plebeio*, nunquam proculdubio *familiæ* illam diminutionem paſſurus, ſi *Patriciis* officium illud petere licuiſſet. Tantum abeſt ut hunc *Tribunatum Patriciis* communem fecerit *Sulla*, de quo tamen dubitavit doctiſſimus [a] *Caſaubonus*. *Tribunatus* Candidatum ſe profeſſus eſt *Clodius* anno U. C. *Varroniano* DCXCV°. Non multis deinde annis, anno nimirum ejuſdem Æræ DCCX°. *Tribunatum* eundem *Plebis* petiit *Auguſtus*, quanquam *Patricius*, nec dum *Senator*, inquit [b] *Suetonius*. Obſtabat itaque petenti gens *Patricia*, quem tamen defectum ſupplere potuit locus in *Senatu*. Adhuc itaque *Plebeiis* patuit hic *Tribunatus*; *Patriciis* etiam, ſed ea duntaxat conditione, ſi etiam fuiſſent *Senatores*. Hoc ut *Patriciis* liceret, impetraſſe videntur, qui fractum à *Sulla*, & fere ad nihilum redactum *Tribunatum* reſtaurarunt, plerique nimirum ipſi *Patricii*. Poſtea idem rerum potitus *Auguſtus*, anno ejuſdem Æræ DCCXLII°. *Comitiis Tribunitiis*, ſi deeſſent *Candidati Senatores*, ex *Equeſtri* ordine creandos, qui tamen *cenſu* eſſent *Senatorio*, ita ut *poteſtate* tranſacta, in utro vellent ordine, manerent. Ita [c] *Dio* & [d] *Suetonius*.

*a* Caſaub. *ad* Suet. *Aug. c.* 39. *b* Suet. *Aug. c.* 10. *c* Dio *l.* 54. *d* Suet. *Aug.* 39

Jam

Jam itaque ante hanc *Augusti* legem constitutum fuerat ut ne alii in *Tribunatum* adsciscerentur præterquam *Senatores*. Et plane pro *Senatorio* honore habuit hæc eadem Lex *Augusti*, dum nec alios è *Plebe* Candidatos admittit quam *Equites*; nec ipsos etiam *Equites*, ni deessent *Candidati Senatores*, nec ea etiam in causa alios quam *census* saltem *Senatorii*; dum etiam honorem illum adeptis *Equitibus* locum deinde, si vellent, in *Senatu* permisit. Erat itaque *Tribunatus Senatorum* proprius his, de quibus loquimur, temporibus *Hadriani*.

II. *Tribunatui* nulla, ut videtur, *Ætas* à *Legibus* designata.

Accenset porro *Lipsius Tribunatum* honoribus illis quibus certa *ætas* à lege *Annali* præscripta est. Utinam sententiæ suæ rationem aliquam proferre posset Vir peritissimus Historiæ *Romanæ*. Sed nec Legis *Villiæ Annalis* reliquiæ ullæ extant de *Tribunatu*; nec illud saltem è *junioribus* colligere possumus, seu Lege *Villia*, seu alia aliqua, constitutam esse *Tribunatui* aliquam, quam tamen ignoramus, *ætatem*. De *Tribunatu* nihil Oratio *Mæcenatis Dioniana*, cujus tamen consilio usum constat *Augustum* in legibus, quas condidit, *Annalibus*. Petiit *Augustus Tribunatum* annum vix egressus XVIII^m^. Frustra nimirum ille, adversante Consule *Antonio*. Nec vero *gratiam* ullam *ætatis* petitam legimus, quæ nulla, refragante Consule, potuit expectari. Petiit, nondum coacto exercitu, ne *vim* aliquam *Legibus*, ut postea in *Consulatu*, illatam suspicemur. Hoc ille nimirum eo, ut videtur, consilio ut *Senatum Tribunus* convocare posset, cujus lege *Curiata Adoptio* confirmanda erat, priusquam *Cæsaris hæreditatem* adire posset, cui inhiabat *Antonius*. *Tri-*

*bunos* enim illis accenſet *Varro* apud [e] *Gellium* qui *Senatus* convocandi poteſtatem haberent. Ex anno nimirum U. C. 298. quo primum id auſum *Julium* obſervavit Scriptor accuratiſſimus [f] *Dionyſius Halicarnaſſæus.* Quod certe Jus ad recentiora etiam tempora deſcendit *Imperatorum.* Nec enim alio quam *Tribunitiæ Poteſtatis* Jure primum *ſenatum* ipſe convocavit [g] *Tiberius.* Lex itaque *Annalis* nulla erat quæ *octodecennarium* à *Tribunatu Auguſtum* excluderet. Primi certe *Tribuni plebis* è *militum Tribunis* electi ſunt. Ita Auctores graviſſimi [h] *Varro* & *Dionyſius* [i] *Halicarnaſſæus*, quanquam paulo aliter [k] *Livius.* Nec illud immerito. Plenam enim habebant *Tribuni* primi *tribuum* ſuarum poteſtatem. Ut proinde *Græcorum* φυλάρχοις & τριτ]υάρχοις eoſdem idem cenſuerit [l] *Dionyſius.* Sed vero *Tribunorum* ætas alia nulla conſtituta eſt præterquam *militaris, tyrocinii* nimirum illa & *togæ virilis* quam nos eandem eſſe ſupra probavimus. Dedit *Auguſtus* etiam *Senatorum* liberis *militiam* auſpicantibus, teſte [m] *Suetonio,* ſæpe *tribunatus.* Qui *plenam barbam* in *tribunis* exegerit, aut eam ſaltem *ætatem* quæ prudentia & annis *tribunatus* robur impleret, noſter erat *Hadrianus*, & quidem noſtro itidem Auctore [n] *Spartiano.* Opponitur hæc *plena barba,* non *barbæ raræ* aut σπανοπώγωνι, ut credidit *Salmaſius*; ſed *primæ* potius *lanugini*, nec enim juſta haberi potuit *barba*, cujus ponendæ ſolennia anno præterpropter *ætatis* XXI°. colebant Veteres. Sic *ætas* illa *Tribuni Hadrianea*, inter XX$^{m}$. & XXX$^{m}$. *media* erat; ſic tamen ut XXX$^{m}$. propius attigerit.

*e* Gell. *Noct. Att.* XIV. 7. *f* Dionyſ. *L. X. Antiq.* *g* Tacit. *Ann.* I. 7. *h* Varr. *L. L. IV.* *i* Dionyſ. *L. VI.* *k* Liv. *L. II.* *l* Dionyſ. *L. II.* *m* Suet. *Aug. c.* 38. *n* Spart. *c.* 10.

Non

III.
Ex *aliis* tamen *honoribus* Tribunatum seu *antecedentibus* seu *consequentibus*, *ætas* erat *certa* ad illum necessaria.

Non tamen interim negaverim fuisse nihilominus *ætatem Tribunatui*, non quidem à *lege* aliqua *Annali*, sed nec certo *anno* designandam; sed aliunde, ex *honorum ætatibus* tam *Tribunatum* antecedentium, quam etiam consequentium. Cum enim jam *Senatorum* proprius hic esset *Tribunatus*, sic quidem ille ut nec tamen in *Senatum admitteret*, sed *Candidatos* omnes supponeret jam antea *Senatores*; Sequitur proinde *Quæstoria ætate* minorem esse non potuisse *Tribunatus Candidatum.* Et quidem *Quæstoriam ætatem* illam intelligo qua *geri* potuerit *Quæstura*, non illam qua potuerit duntaxat *ambiri.* Sic annum XXV^m. explevisse necesse erat qui *Tribunatum* ambiebat. Et cum *Provincias* sortirentur etiam *Urbani Quæstores*; ita factum ut annum *ætatis* etiam XXVI^m. antea expleverint quam ad *novos* essent *honores* admittendi. Id nempe ita verum erat, si *annua* utraque fuisset *Quæstura*, tam *Urbana* nimirum illa, quam etiam *Provincialis.* Et quidem *annua* plerunque erat *Provincialis*, recentioribus præsertim illis, de quibus agimus, temporibus *Imperatorum.* Nec porro ratio ulla erat cur quis *Prætoria ætate* ambiret *Tribunatum.* Nec enim necessarium fuisse ad *Præturam* ambiendam ut *Tribunatum* antea gessisset, vel è superius memorata ætate colligimus *Augusti.* Aliter fuisset, vix potuit esse *metus*, fore aliquando ut deessent qui *Tribunatum peterent*, cum tot nihilominus suppeterent *Præturæ*, superiorumque Prætura honorum,, Candidati. Liberum itaque *Senatoribus* erat ut *Tribunatum* peterent, nec alia erat, præter *honorem* ipsum ab ambitiosis avide expetendum, à *Lege* ipsa *ratio* cur peterent. *Præ-*

 *toria*

*toria* itaque *ætate*, cur peteretur *Tribunatus*, ratio erat omnino nulla. Legitimam autem *Præturæ gerendæ* ætatem sub *Imperatoribus* annum xxx[m]. constituit *Mæcenas* apud *Dionem*. Sic enim *ætas* etiam annorum xxv *Senatoria* erat, ut probavimus. Itaque à fine anni xxv[i]. (& xxvi[i]. siquis etiam *Provincialem Quæsturam* administrasset) usque ad finem anni xxix[i]. concludendus erit *Tribunatus*, nec *majorem* fuisse eorum *ætatem* verisimile est, quos legimus in Historia *Plebis* fuisse *Tribunos*, cum tamen eorundem ignoremus ætatem. Quæ observatio rei *Chronologicæ* erit utilissima.

IV. In locum *Ædilitatis Curulis* successit *Tribunatus*.

Illud præterea observandum, *Ædilitatis Senatoriæ*, *Curulis* scilicet, hunc, ut videtur, loco fuisse *Tribunatum*. Nec enim quenquam, ut existimo, his temporibus Imperatoriis *Tribunum* legimus, qui idem fuerit *Ædilis*; nec vicissim. Imo verba illa *Mæcenatis* apud [o] *Dionem* ostendunt ejusdem temporis fuisse *Ædilitatem* atque *Tribunatum*; Καὶ ἀγορανομήσαντες ἢ δημαρχήσαντες στρατηγείτωσαν. Supplebant itaque hi honores spatium illud à *Quæstura* usque ad *Præturam*, ne prorsus vacuum *honoribus* illud esset *quadriennium*. Quod si *Ædilitatis* locum suppleverit *Tribunatus*; jam illud præterea consequetur, eundem etiam *ætatis* annum *Tribunatui* assignandum, qui antea fuisset *Ædilitatis*. Sic *Tribunatui* ut annum certum nullum attribuerit Lex *Villia Annalis*, quæ de *honoribus* duntaxat decreverit *Senatoriis*; habebit tamen annum, eumque certum, sub *Imperatoribus* etiam *Tribunatus*, illius scilicet, cujus locum supplevit, *Ædilitatis*. *Ædilitati* enim certum fuisse, e-

o Dio *l.* 52. *p.* 546.

tiam

tiam apud majores annum, recte *Lipſius* è *Latino Pacato* collegit in *Panegyrico Theodoſii.* Fateor nihil apud *Imperatores* certi fuiſſe, quoties agerent etiam pro *Imperio*, ſoluti nempe *Legibus.* Sed vero etiam ſub *Imperatoribus*, *Lex* tamen plerunque viguit *Annalis*, præſertim illis, qui & Populi *libertatem*, & *Legum* ſaltem, præ ſe ferrent, reverentiam, quod fecit certe *Trajanus*, ſub quo honores noſter ſuſcepit *Hadrianus.* Cum *veniam Legum* indulgerent, etiam *Annalis* ; id certe etiam indicabant, fore nimirum, ni illa indulgentia impetrata eſſet, locum alioqui ut haberent *Leges*, etiam *Annales.* Et quo *meliores* Principes, eo erant etiam parciores in concedendis *Legum Indulgentiis.* Nec fere *veniam* illam *Legum*, ſub *bonis* Principibus, aliis conceſſam legimus quam *Auguſtorum filiis*, aut *pueris Nobiliſſimis*, aut *Cæſaribus*, Imperii *deſignatis hæredibus.* Præſertim prioribus illis, quibus vixit noſter, honoreſque geſſit, Imperii temporibus. Ut proinde nulla ſuſpicio veriſimilis eſſe poſſit, aliiſne inierit, quam *legitimis temporibus*, honores illos, de quibus loquimur, *Hadrianus.* Nondum ſcilicet Imperii *hæres*, aut veriſimilem ſaltem, hæreditatis *præſumptionem* adeptus, quam poſtea noſter memorat *Spartianus.* Age itaque videamus quæ illa fuerit *Ædilitatis ætas*, quam quoniam incertam reliquit *Lipſius*, noſtris proinde colligemus, pro virili, ratiociniis.

V. *Ædilitatis* annum fuiſſe oportet *ætat.* 28m.

Illud itaque ante omnia ſupponendum eſt, *Prætura* ſemper fuiſſe priorem *Ædilitatem.* Ut proinde quo tempore contracta eſt *ætas Præturæ*, eodem etiam *ætas* contrahenda fuerit *Ædilitatis.* Lex itaque *Villia* (ſi illam exploratam haberemus) locum tamen nullum in temporibus *Imperatoriis* habere

habere poterat, cum jam xxx°. *ætatis* anno, etiam *labente*, iniretur ipſa *Prætura*. Annus ergo *Ædilitati* commodus quærendus eſt inter *Quæſturam* & *Præturam* pro temporum rationibus *Imperatoriis*. Tum & illud præterea ſupponimus, quoties de *Norma* quæritur, incertiora ad certa, recentioreſque ad antiquiores eſſe revocandos. Quanquam enim eſſent, ut vidimus, ſub *Imperatoribus* diverſi *Quæſtores*; unum tamen omnium, ut *munus*, ſic etiam *ætatem* omnium unam fuiſſe conſentaneum eſt. Revocandi itaque *Quæſtores Candidati*, qui nulli prorſus erant cum lex *Villia* conderetur, ad *Quæſtores Urbanos*; & *Urbani* quoque *bimeſtres* ad *annuos*, quales nimirum erant qui primi *Quæſturam* adminiſtrarunt. Quanquam enim *Quæſturam* paucis duntaxat *menſibus* agerent, ſic tamen *Quæſturæ* annus integer ſervatus eſt ut in *provincias* non niſi *proximis* Faſtorum Ordinariis *Conſulibus* mitterentur. Tum enim Provincias *ſortiebantur*, ni *extra ſortem* Provincia aliqua *Quæſtori* fuiſſet demandata. Nec ſane aliam de *Ædilium ætate* legem ſuaſit in *Dioniana* illa Oratione *Mæcenas*, conſtituta nimirum *Senatorum* ætate *Quæſtoria* atque etiam *Prætoria*, quam quod facile illam è Legis *Villiæ* ratione & coævis moribus colligendam reliquerit, ut proinde nova aliqua præceptione ne quidem opus eſſe cenſuerit. Non fuerat alioqui *Superiorem* Quæſtura *Ædilitatem* prætermiſſurus qui tamen certum *annum* inferiori *Ædilitate Quæſturæ* præſcripſit. Sic autem erat colligenda. *Quæſturæ* annus ætatis xxv^us^. ſic erat *Quæſturæ* proprius, ut quanquam paucis duntaxat *menſibus* Quæſturam quis geſſiſſet, alium tamen nullum, niſi *proximis COSS. Ordinariis*, honorem capeſſere potuerit. Is

autem

autem erat, pro legibus Reip. moribuſque receptis, *Quæſtura Provincialis*, *plurium* nonnunquam in libera Repub. *annorum*, ſub *Imperatoribus* ſemper *annuus*. Huic itaque conſtitutus erat ei qui *Quæſturam* ipſam legitima ſuſcepiſſet *ætate* ætatis annus XXVI^us^. Ita certe factum ut anni XXVI^i^. *Ædilitiis Comitiis* intereſſe non potuerit *Quæſtor Provincialis*. Nec vero *abſentis* ratio haberi potuit per Leges Reip. Quod inde conſtat quod *gratia* Reip. ſpeciali opus eſſet, ut quis nomen *abſens* inter *Candidatos* profiteretur. Sic illa nimirum *gratia*, ante *Imperatores*, penes ipſam erat *Remp.* ut etiam ipſi *Cæſari* fuerit negata. Sic itaque ante annum *ætatis* XXVII^m^. ne quidem *peti* potuit *Ædilitas*. Nec vero unquam *eodem anno* Magiſtratum *inibant* quo fuerant ad eundem *deſignati*. Id quod etiam in illis conſtat honoribus qui erant tamen tantummodo *menſtrui*. Nec enim unquam eundem indicant annum *Conſulatus geſtus* atque *deſignatus*. Sic ante annum XXVIII^m^. iniri honor ille non potuit quicunque medius erat inter *Quæſturam* atque *Præturam*. Sic erit annus XXIX^us^. ad *Præturam* ambiendam aliis ipſe, ut oportuit, vacuus honoribus, & *deſignatus* eo anno *Prætor*, proximo, *ætatis* nimirum anno XXX^o^. *Præturam* ipſam geſſerit pro lege *Mæcenatis Dioniana*.

VI. *Tribunatus* hoc etiam Seculo, *annuus*.

Sic apte hic cohærent omnia ut dubitare vix liceat quin recte hujus *medii honoris* annum attigerimus. Nec vero ulla ratio eſt cur breviorem *anno* hunc ſuſpicemur fuiſſe honorem *Tribunatus*. Honores *Romanos* pleroſque *annuos* ab *origine* fuiſſe conſtat, hunc certe conſtat, de quo agimus, fuiſſe *Tribunatum Plebis*. Cur porro aliorum honorum tempora contraxerint Principes eam ſæpe

rationem

rationem indicavit *Dio*, ut ita pluribus locum facerent, gratificarenturque *Candidatis*. Ea autem nulla prorſus erat, ſub *Imperatoribus*, in *Tribunatu*. Raro admodum quicquam valebat *Tribunitia* illa, quam tamen maxime *Tribuni* venditabant, *Interceſſio*. Unum fortaſſe alterumve ejus exemplum habemus ſub [p] *Tiberio*. Unicum item [q] ſub *Nerone*, & ſub [r] *Veſpaſiano* etiam unicum. Poſtea ægrè reperiemus, etiam ſub *bonis* alioqui Principibus, præſertim ſublatis *Populi Comitiis*. Cur enim *Populi Magiſtratibus* multum licuiſſe putemus cum *Populo ipſi* tam pauca licuerint? Unum fere illud retinebant antiquum *Senatorii* hi *Tribuni* quod fuerint & ipſi *Senatoribus* infenſi, & *collegis* adeo *Senatoribus*, odioſi. Inde factum ut *Senatores* tam paucos *Candidatos* hic haberet Magiſtratus, ut fuerit proinde *metuendum* ne prorſus deficerent *Candidati* in *Tribunatum* eligendi. Conſtat inde certe *Candidatos* fuiſſe pauciſſimos. Ratio itaque nulla erat cur *plures* fuerint ſub Imperatoribus *Tribuni*, cum tamen *pauciores* eſſent, quam in *Rep.* Tribunatus *Candidati*. Satis omnino ſuperque erant *Tribunitiis* muneribus *Tribuni* etiam *annui*. Nec vero hæ conjecturæ duntaxat noſtræ ſunt *Teſtimoniis* deſtitutæ. Sic loquitur de *Tribunatu* quaſi *annuo* in *Agricolæ* vita [ſ] *Tacitus*. En verba: *Mox inter Quæſturam ac Tribunatum Plebis, atque etiam ipſum Tribunatus annum quiete & otio tranſit*. Scripſit hæc ille Imperante [t] *Trajano*, nec tamen vel leviſſima mutati ſuo tempore moris ſignificatione. *Semeſtrem*, fateor, memorat *Tribunatum* coævus *Tacito*, eodemque *Trajano* Imperante, junior [u] *Plinius*. Sed

*p* Tacit. *Ann. I.* 77. *VI.* 47. *q* Tacit. *Ann. XIV.* 48. *r* Tacit. *Hiſt. IV.* 9. *ſ* Tacit. *vit. Agr. c.* 6. *t ib. c.* 3. *u L. IV. Ep.* 4.

quod

quod *ſemeſtrem* Tribunatum dicat, vel inde facile colligimus *Tribunatum* ipſum pro *Legum Conſuetudiniſque* receptæ uſu *alium* fuiſſe quam *ſemeſtrem.* Cur enim *ſemeſtrem Tribunatum* Amico impetrandum rogaret, ſi nemo alium *Tribunatum* obiiſſet quam *ſemeſtrem*? Sed multis *caſibus* fieri potuit ut *Tribunatus* de Jure *annuus*, de Facto tamen fuerit duntaxat *ſemeſtris.* Potuit enim *Tribunatus* ille *ſuffectus* eſſe in locum *defuncti* aut *excuſati* aut etiam *abdicare coacti.* Sic enim, etiam in *liberrima Rep.* cum eſſet vel maxime *annuus Conſulatus*, multi tamen erant *non annui Conſules.* Fieri etiam potuit ut *Lege annuum* Tribunatum, in *cauſa* aut *Perſona* ſingulari, *ſemeſtrem*, pro ſuo arbitratu, fecerit Imperator. Sed *Legem* nos & *normam* quærimus, non autem *enormia* & *Juris ſingularis* exempla. Et cum *ſemeſtrem* Tribunatum à Lege moribuſque receptis *alienum* innuat ipſe *Plinius*; quod fuerit *tempus* Tribunatui *legitimum* non aliunde melius quam è coævo *Tacito* colligemus. Sed vero perperam *ſemeſtrem* illum *Plinii Tribunatum* de *Tribunatu Plebeio* intellexerunt hactenus Viri Eruditi. Erat enim profecto [x] *militaris.* A *ſtipendio* enim *ſemeſtri Tribunatus* ille erat etiam *ſemeſtris*, quod tamen *ſtipendium* non *Plebeii* erat, ſed *militaris* duntaxat *Tribunatus.* Erant, fateor, ab origine, *ſtipendia* omnia omnino *annua.* Inde *ſtipendiorum* numerus in *Militia*, apud Veteres, idem valet quod *annorum.* His autem, de quibus agimus temporibus erant *ſtipendia* etiam *ſemeſtria.* Nonius: [y] *Tribuni Militares quorum ſtipendia vel ſemeſtria, vel annua.* Et *ſemeſtre aurum* de *annulo aureo*

x *Vid.* Lipſ. *II. de milit. Rom. Dial. IX.* y Non. Marcellus *voce* Ære diruti.

Tribuni

Tribuni Militaris insigni memorat [z] *Juvenalis.* Idque sane vel ex hoc ipso *Plinii* loco facile colligimus. Hunc enim Tribunatum *Calvisio Nepoti* amico suo ab homine *privato* Sossio Senecione rogat *Plinius.* De quo etiam aliud in eodem *Plinio* habemus exemplum. Jam enim [a] supra ostendimus penes Exercituum Duces fuisse *Tribunatus* illos *Militares.* *Tribunatum Plebeium*, honorem nempe *Senatorium*, dedit *Senatus*, referente duntaxat *Imperatore.* Hoc ex ipso discimus Plinio: *Ego* (inquit) *Sexto latum clavum à Cæsare nostro, Ego Quæsturam impetravi: Meo suffragio pervenit ad Jus Tribunatus petendi; quem nisi obtinet in Senatu, vereor ne decepisse Cæsarem videar.* Cæsar itaque primum rogandus, tum Senatus. Ubi illud etiam ejusdem testimonio discimus, functis *Quæstura*, tum demum fuisse *Jus* petendi *Tribunatus.*

VII. Tribunatus *ineundi* tempus *Dec.* X.

Cæterum *Tribunatus ineundi* tempus tradidit Scriptor accuratissimus [c] *Dionysius Halicarnassæus.* Sic enim ille de primis *Plebis Tribunis*, in Editione *Sylburgiana*: οὗτοι δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τριῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων, ὥσπερ καὶ μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου γίνεται. Atqui verba illa πρὸ τριῶν è *Livio* delenda esse colligimus, qui IV^m^. non III^m^. Idus *Decembres* ineundo *Tribunatui* docet esse legitimum. Ita nimirum anno U. C. Æræ suæ *Catonianæ* DCCXLV°. *Varronianæ* DCCXLVII°. scripsit Auctor gravissimus, Imperante scilicet *Augusto.* Ita etiam coævus *Dionysio Livius.*

z Juvenalis *Sat. VII.* a *Præl. IV. ad Sp.* Adrian. §. 5. b Plin. *L. II. Ep.* 9. c Dionys. *L. VI. an. U. C.* 261. d Liv. *L. XXXIX.* c. 52.

Idemne

Idemne fuerit *Tribunatus* inchoandi dies, etiam Imperante *Trajano*, de eo nullum, fateor, Veterum habemus diſertum Teſtimonium. Sed nec in contrarium habemus mutati, aut ſaltem *rationis*, cur mutaretur, ullius. Eſto itaque tunc *Tribunatum* inierit *Hadrianus*. Cum tamen *COSS*. geſti Tribunatus *annus* conſignandus erat; non certe propter paucos illos in *Decembri* præcedente dies, *Decembris COSS*. ſed *Januarii* potius ſequentis, erat conſignandus. His certe *COSS*. maxima geſti Tribunatus *pars* conveniebat, quem annuum probavimus. Annum itaque *ætatis* XXVII^m^. quo *petere Tribunatum* oportuiſſe diximus *Hadrianum*, abſolvit ille anni CIII^i^. die *Januarii* XXIV^o^. Sic proximi *Decembris* die X^o^. *Tribunatum* inierit, tenueritque uſque ad ſequentis *Decembris* diem ſimiliter X^m^. Cum itaque *Candido* & *Quadrato iterum* COSS. *Tribunum* factum teſtetur *Spartianus*; proinde ſequitur anno Æræ noſtræ CIIII^o^. eſſe imputandos.

VIII. *Tribunus Pleb.* fuerit *Hadrianus* ad *Dec.* X. anni 103^i^. ad *Dec.* X. anni 104^i^.

Sed reclamant (inquietis) *Faſti* qui *COSS* hoſce *Candidum* & *Quadratum* non ante annum agnoſcunt CV^m^. Nec tamen proinde à ſententia mea dimoveor quin anno, quo dixi CIV^o^. collocandos exiſtimem. *Annales* horum temporum, poſt *Plinii Panegyricum*, habemus plane nullos, qui *ſitum Conſulum* è *rebus geſtis* confirment. Sed nec indubitatæ fidei ullos etiam *Faſtos*. Solos *Trajani Conſulatus*, quo ſitu diſponendi ſint, è *Numis Inſcriptionibuſque* diſcimus. Inter *Trajani* II^m^. tertiumque *Conſulatum* medium annum XCIX^m^. agnoſcit *Plinius* tenuiſſe *privatos*. Ita Faſtos ſatis conſentaneos invicem habemus ad annum uſque

IX. Sic potuit Belli *Dac.* II^i^. rebus *geſtis* intereſſe an. VI^i^. *initio* finiti.

que CIm. ab initio *Trajani.* Tum & annus *privatorum* alius inſeritur inter Trajani COS. IVm. & Vm. qui ſatis commode *C. Soſio Senecione III.* & *L. Licinio Sura II.* COSS. ſuppletur. Inde à Vo. *Trajani* Conſulatu anno CIIIo. ad annum uſque CXIIm. quo VIm. iniit *Conſulatum,* Faſtorum fidem in *Privatorum Conſulatibus* laborare, & minus ſanam eſſe, contendo. Incommodum *Candidi* & *Quadrati* ſitum ſenſit Vir Maximus ipſe *Caſaubonus.* Sed Faſtorum receptorum reverentia perſtrictus, errorem *Spartiano* potius quam *Faſtorum* conditoribus imputandum cenſuit. *Obſervabit* (inquit) *diligens Lector ordinem hic temporum, ut ſæpe in his vitis, perverti ab Auctore. Nam horum Conſulatum biennio Dacicum Bellum ſecundum præceſſit, de quo mox dicturus eſt.* Sed in *honorum Hadriani* ſerie ratio nulla eſt cur à *Spartiano* perverſum ſuſpicemur ordinem. Innuit enim ille, acto jam *Tribunatu,* ad Expeditionem *Dacicam* ſecundam ſe ſtatim accinxiſſe *Hadrianum.* Sic itaque diſponendus eſt *Hadriani Tribunatus* ne *res* ab *Hadriano* in illa Expeditione *geſtas* impedierit. Finis illius Expeditionis in annum incidit CVIm. & quidem ante finem *Tribunitiæ Pot.* VIIIIæ. Eadem enim illa *Trib. Pot.* VIIIIa. titulum *Imperatorium* IVm. & Vm. qui illa Expeditione feliciter acta acceſſit, in *Inſcriptionibus* legimus. Itaque *initio* anni illius finem Bello *Dacico* impoſitum eſſe neceſſe eſt, ut etiam ante *Tribunitiæ Poteſtatis* IXæ. finem Victoriæ *Dacicæ* nuncius *Romam* & *Tribunos* adeo *monetarios* attigerit. Nec ſane aliter Vo. anno bellum *Dacicum* utrumque abſolverit, anni nimirum Ci. *fine,* vel CIi fortaſſe potius *initio* cœptum, quod tamen illum feciſſe teſtem habemus in *Cæſaribus Julianum.* Atqui ipſo *Tribunatu,*

*natu*, quem *annuum* probavimus, Bello ſane *Hadrianus* intereſſe non potuit, cum *Roma* ne abeſſet ab eodem illo impediretur *Tribunatu*. *Tribunorum* enim *Poteſtatem* omnem ipſis *Urbis* mœnibus fuiſſe concluſam, nec adeo extra Urbem, exceptis *feriis Latinis*, pernoctare licuiſſe, de *ſuo* etiam *tempore* teſtem habemus [e] *Dionyſium Halicarnaſſæum*, junioremque *Dionyſio*, imo ipſo etiam *Hadriano*, de *ſuo* item *tempore* teſtem, [f] *Aulum Gellium*. Et tamen illo ipſo anno cv. quo *Candidum* & *Quadratum* COSS. Faſti memorant recepti, geſta belli illius *diuturni* præcipua contigiſſe veriſimile eſt, cujus initio *Trajanum*, pro noſtra diſpoſitione, aſſequi potuit *Hadrianus*.

X. *Præturæ Hadrianeæ* COS. *Sura* & *Servian. II.* ante *Candid.* & *Quadrat. Tribunatus* COS. male diſpoſiti.

Detruſerant *Candidum* & *Quadratum*. COSS. ad annum cv[m]. *prioris* anni in Faſtis hodie vulgatis *COSS.* qui tamen ipſi ad inferiora tempora detrudendi ſunt. Id ſi fiat, jam recipient *Candidus* & *Quadratus* eundem in Faſtis ſitum quem nos aſſignavimus, anni nimirum civ[i]. *Prætor* noſter erat, [g] *Spartiano* teſte, *Hadrianus Surano bis* & *Serviano* COSS. Sic enim noſter corrigendus eſt. Horum COSS. nomina ita concipiunt lapides: *C. Juſto Servilio Urſo Serviano & Surano iterum COSS.* Hos tamen hactenus pro *ſuffectis* duntaxat *COSS.* habuerunt Viri docti *Hiſtoriæ Auguſtæ* Elucidatores. Cur ita? nempe quia nullam repererant eorum in Faſtis mentionem; nullam ſcilicet poſt *Candidum* & *Quadratum*, ubi tamen collocandos ex hoc loco didicerant *Spartiani*. Sed COSS. horum depravatorum indicia ſaltem & veſtigia ſa-

e Dionyſ. *Ant. Rom.* L. *VIII. p.* 554. f Gell. *Noct. Att. III.* 2.
g Spart. *Adrian. c.* 3

tis

tis luculenta conſtant in anni CIV[i]. receptis Faſtis. Conſulem alterum *Syrianum* appellat Chronicon *Alexandrinum*, & quidem ut *Spartianeus* ille fuit, *iterum Conſulem*. Et *Spartianeus* ille *Suranus Syrianus* legitur in Codice *Regio*, teſte *Caſaubono*. Paulo aliter *Suburanum*, & ipſum *iterum COS*. exhibent Faſti *Idatiani*, & quidem eodem, quo & *Suranum* exhibent, collega *Marcello*, Faſtorum corruptores. Inde *Surbianum* exculpſerunt Corruptores alii in Actis *Ignatii* ineditis apud *Uſſerium*. Niſi illud fortaſſe è nomine *Serviani* corrupto duxerint. Inde *Urbanum Proſper*, *Victorius* & *Caſſiodorus*, proximo quidem anno, ſed eodem etiam collega *Marcello*. Sed *Suranum II.* omnino ut *lapides*, eodem illo anno exhibet Liber *Cuſpiniani*. Sed & alterius *Surani* Collegæ veſtigia habemus in iiſdem Faſtis, quanquam locis, pro Conditorum imperitia, alieniſſimis. Modo vidimus ut nomen ejus *Servianum*, primo corruperint in *Suburanum* & *Surbanum*, dein, pro Maximi [h] *Uſſerii* conjectura, in *Suram* & *Urbanum*. Tum & nomen *Servilii* ob oculos habuit proculdubio Auctor Faſtorum *Cuſpiniani* qui anno CII°. collegam *Suræ* dedit *Servilium*. Inde enim nata eſt erroris occaſio quod *Suranum* alterum collegam cum *Licinio Sura Trajani* notiſſimo amico confuderint Faſtorum imperiti conditores. Secundus enim *Suræ* revera *Conſulatus* in illum quadrat annum CII[m]. quem qui eundem credidit cum 2°. *Surani Conſulatu*, proinde Collegam *Surani* in 2°. ejus *Conſulatu* addidit *Servilium*. Acceſſit etiam & alia occaſio, quod 2[us]. vere Conſulatus *Suræ* primus tamen apparebat in Faſtis. Primus

*h* Uſſer. *in Act.* Ignat. *p.* 52

enim

enim *ſuffectus* erat. Cum itaque *Suræ* Conſulatum III^m^. in anno legerent CVI°. cujus tamen *unicum* antea repererant in Faſtis *Conſulatum*, commode ſeſe offerre videbatur Conſulatus ille 2^us^. *Surani* in ejus locum ſufficiendus. Præſertim cum nec *Surani* priorem aliquem reperiſſent *Conſulatum*, quippe qui fuiſſet etiam ipſe *ſuffectus.* Ita factum ut *Surani* 2^us^. Conſulatus, qui 3^m^. revera ſequi debuit Conſulatum *Suræ*, (cum tamen ipſum pro 2°. *Suræ* Conſulatu haberent Faſtorum conditores,) videretur proinde recte in annum aliquem 3^io^. *Suræ* Conſulatu priorem potius conferendus. *Surani* autem nomen conſervarunt lapides duntaxat *unicum*, potuitque aliud ejus cognomen fuiſſe *Marcellus*, quem faciunt collegam Faſtorum corruptores. Niſi forte è *Servili* nomine, neſcio quo corruptoris caſu, emanarit nomen etiam aliud illud *Marcelli.* In Faſtis ergo antiquioribus hos etiam COSS. reperere Faſtorum hodiernorum conditores quibus *Præturam* noſter obiit *Hadrianus*, ut proinde *COSS. Ordinarii* fuerint, quos tamen pro *ſuffectis* habuerint viri Eruditi. Et *Conſulatus* ille 2^us^. *Surani*, propter illum, quem diximus, errorem, maturius Faſtis, quam oportuit, inſertus *ſequentes* ante locum ſuum *Conſulatus* in *anteriora* neceſſario protruſit.

XI. *Faſti* hodierni *omnes* in *Trajani* temporibus merito ſuſpecti.

Nec vero durum exiſtimari debet quod Faſtorum, quos habemus, omnium fidem, hoc in loco in dubium vocamus. Nec enim ullos hodie habemus ſic invicem *conſentientes*, quin ſuſpicioni locum ipſa faciat *diſcordia.* Nec ullos qui non ſæpe *COSS. legitimos* omittant, & rurſus è *binis* eorundem COSS. *nominibus* bina etiam ſæpe cudant COSS. paria. Nullos qui non infinitis

ſcateant tam Collectorum quam etiam Librariorum erroribus, infinitis mutationibus à *forma* Faſtorum *originali*, tam in Conſulum *nominibus*, quam in Conſulatuum *numeris*. Sæpe Conſulatuum numeros ex ipſis colligunt *Faſtis*, *ſuffectorum*, quos ignorabant, nulla prorſus habita ratione, quam tamen certum eſt accuratiſſime obſervatam fuiſſe in Faſtis *Originalibus*, ut ex hodiernis conſtat *Inſcriptionibus*, quæ *Faſtorum coævorum* formam illibatam retinent. Nullos denique qui non his, de quibus agimus, temporibus longe *juniores* ſint. *Proſperi*, *Victorii*, *Caſſiodori*, Faſti quam nullam mereantur, *his temporibus*, fidem, apud Eruditos in confeſſo eſt. Alios autem nullos habemus Faſtos, quod quidem ſciam, horum nempe temporum, præter *Idatianos*, & Libri illos *Cuſpinianei*, & Chronici *Alexandrini*, vel, quod eodem redit, juniores horum compilatores. De Chronici *Alexandrini* Auctore & *Idatio* ſatis conſtat Sæculis aliquot fuiſſe *Trajano* juniores. Nec multo illis ſenior erat Auctor Faſtorum *Cuſpinianeorum* ad *Honorii* uſque juniorisque *Theodoſii* tempora deductorum. Vixit ille certe quo tempore mos erat Faſtos *Conſulares* ad Cyclos *Paſchales* accommodare. Illud enim oſtendunt *Planetarum* nomina, adjunctique numeri, nec ab ipſo *Cuſpiniano*, nec ab *Onuphrio*, nec à *Bucherio* hactenus intellecti. Deſignabant nimirum *numeri* illi ætatem *Lunæ*, Planetæ autem *feriam* in Kalendis *Januariis*, ad eandem plane formam qua & *Lunæ* ætatem, & Kalendarum *Januariarum*, *feriam* dedit cum COSS. à Chriſti duntaxat paſſione, in ſuo quoque Kalendario *Victorius*. Utinam edidiſſet integros cum notis illis minime intellectis *Cuſpinianus*.

Utinam

Utinam adhuc ederent qui curam habent Bibliothecæ *Cæſareæ Vindobonenſis* in qua chartas adhuc ſupereſſe *Cuſpiniani* docuit *Lambecius.* Eo certe eſſent Faſti illi reliquis utiliores quod ſaltem *Librariorum* errores facillime proderent *feriæ* illæ Kalendarum *Januariarum* ætatiſque *Lunaris* numeri. Sic facile intelligeremus, ſiquos *omiſiſſent* inſertos à primo Faſtorum collectore COSS. ſiquos etiam *alienos* ab Auctoris *mente*, & *locis* etiam *alienis*, inſeruiſſent, quo ſolent utroque erroris genere peccare ſæpe Librarii. Sed miſſa hæc facimus impræſentiarum. Hoc enim jam duntaxat agimus ut oſtendamus non eſſe propterea quod quis miretur ſi Faſtos quos habemus hodiernos omnes, his ſaltem *Trajani* temporibus, erroris arguamus.

XII. Faſtorum *emendatio* in ſeq. Prælect. expectanda.

Convulſa jam *Faſtorum receptorum* fide, expectabitis, Academici, nec immerito, ut *hiatum*, quem fecimus, pro noſtra ſaltem ſententia doceamus, quomodo ſit ſupplendus, à v°. nimirum *Trajani* ad vi^m^. ejuſdem *Conſulatum*, ab anno nempe Domini ciii°. ad annum ejuſdem Æræ cxii^m^. Sed magis opportuna dabitur occaſio cum verba *Spartiani* de ſecuturis *Hadriani* honoribus expendemus, quod ſecuturis, Deo adjuvante, faciemus Prælectionibus.

XIII. *Initium* Belli *Dac.* II^i^. an. 103 ante *Octobr.*

Dedimus Belli *Dacici* ii^i^. *finem*. Quod ſi etiam *initium* vultis, illud nos docuerunt *Occonis* numi, in quibus *Vota ſuſcepta*, & *Expeditionem Auguſti* legimus cum *T. P. VI.* COS. ejuſdem v°. Redierat nimirum *fine anni* cii^i^. ut *Conſulatum*, pro ſuo more, *præſens* inire poſſet, *initio* anni ciii^i^. Sequebatur *triumphus*, & cum triumpho, ut *Numi* docent,

*congiarium.* Et tamen eodem illo anno, ante finem T. *P.* VI^æ. quæ *Octobri* menſe terminabatur, *Expeditionem* novam idem ſuſcepit *Trajanus*. Mox enim perfide egit *Decebalus*, arma parare, fugitivos recipere, munimenta reſtaurare, occultas etiam Legationes vicinis gentibus concitandis mittere. Nec mora, ſtatim ſe ad Bellum illud novum accinxit Princeps bellicoſiſſimus. Sed *moram* tamen fuiſſe conſtat in ipſo *Bello.* Illud enim, δι' ἀσφαλείας μᾶλλον ἢ διὰ σπουδῆς ποιούμενος, σὺν χρόνῳ καὶ μόλις ἐκράτησε τῶν Δάκων. Quæ ipſa ſunt Dionis verba. Ea quomodo intelligenda ſint, jam ſupra monuimus. Non ita nimirum, quaſi *Secundum* hoc Bellum *priori* fuerit multo *diuturnius*; ſed quod, pro rerum geſtarum *exiguitate* fuerit, quam neceſſe erat, aliquanto productius. *Inermis* enim & *munimentis* ſuperiori Bello nudatus *Decebalus*, nec ab *armis* proinde nec à *propugnaculis* tam brevi, quod interceſſit, tempore, potuit eſſe admodum inſtructus. Et ut *nihil* illum *deſperaſſe* ſignificat [i] *Plinius*, ſic utique rationem cur *ſperaret*, nullam fuiſſe una innuit. Conveniunt & verba illa *Dionis Xiphiliniani*: καὶ ὁ Δεκέβαλος κατὰ μὲν τὸ ἰσχυρὸν κακῶς ἔπραττεν. Proinde ad *inſidias* converſum & *dolos* oſtendit. Hæc ille dum adhuc verſaretur in *Myſia Trajanus*; nec proinde vires ejus Bellum hoc Secundum, quod inſtabat, attriverat. Nec ſane pluſquam *unius Prælii* veſtigia in Fragmentis *Dionis Xiphilinianis* apparent, nec pluſquam *unici* in Columna Trajani *Tropæi*. Et tamen tanta erat *Dacorum* pertinacia, & tanta adeo repugnantium *clades*, ut ad *paucos homines* gens illa univerſa redacta ſit, teſte *Luciani* Scholiaſte *Voſſiano*. Nec ſane *Dacorum* in ipſa quo-

*i* Plin. *VIII. Ep.* 4.

que

que *Dacia* legimus poſtea mentionem. Sed & illud ſibi diffidentis indicium erat quod theſauros ſuos in *Sargetia* flumine defoderat *Decebalus*, & aliam ſupellectilem, quæ humorem ferre non poterat, in *ſpeluncis*. Mora itaque quæ erat, ea præcipue in expugnandis *montium* propugnaculis collocata eſt tam egregia fortiſſimorum hoſtium audacia defenſis. Sed nec ea *multa*, aut admodum *valida*, eſſe poterant afflictis adeo ſuperiori Bello viribus, nec diutino reſtaurandi ſpatio. Ex ea tamen qualicunque mora factum, ut poſt *Tribunatum Plebis*, *Tribunus militum* in Bello illo fuerit *Hadrianus*, & *præclara* illa *facinora* ediderit de quibus *Spartianus*. Pro noſtris nimirum hypotheſibus, non pro recepta *Tribunatus Hadriani* Chronologia.

# *Prælectio* XIII. *ad Spart.* Hadrian.

OCT. 13. 1691.

## *Fastorum* Consularium *per annos* Dom. CV$^{m}$. CVI$^{m}$. & CVII$^{m}$. *emendatio.* Hadriani Prætura annua *erat*, & *per* COSS. *adeo* Ordinarios, *non* Suffectos, *a* Spartiano *designanda.*

*Fastorum emendatio.* §. I. COSS. *anni* CV$^{i}$. Commodus *&* Cerealis. §. II. COSS. *anni CVI*$^{i}$. Senecio *IIII.* *&* Sura *III.* *si quidem nondum* Romam *venerit*, *nec adeo* Prætor *fuerit*, Hadrianus. §. III. *Fieri tamen potest ut hoc ipso anno* Prætor *fuerit. Sic erunt prædicti* COSS. *ad* sequentem *potius annum differendi.* §. IV. *Anno CVII*$^{o}$. Prætura *Hadriani COSS.* Surano *II.* *&* Serviano : *quos quidem* Ordinarios *fuisse necesse est*, *si fuerit* Prætura *ipsa* annua. §. V. COSS. *plures* binis *eodem tempore esse non poterant. Et tamen* plures, *pro proportione aucti ab* Imperatoribus *Senatus*, *necessarii* annuatim. *Inde* bimestres *&c.* §. VI. Prætores *satis multi esse poterant* Consulatus Candidati, *ut nullæ fuissent eorum*, *in eodem anno*, vices. §. VII. Prætores annui *sub Impeperatoribus*, *cum* plurimi, *non plures tamen* octodecim. §. VIII. Prætores Consulibus *plures proportione* sesquialtera. §. IX. *Satis erat illa* proportio *ad* spatium *illud quod medium erat*, *his* Imperatorum *temporibus* , *inter* Præturam Consulatumque *triennii.* §. X. *Huic* numero proportionique *supplendis satis erant* munera Prætoria *invicem diversa* ; *nec erant necessariæ* munerum, *in eodem anno*, vices. §. XI. Annui *certe fuisse videntur*

Prætor

Prætor Ludorum, & Prætores Ærarii. §. XII. *Imo* alii *etiam Prætores* omnes. §. XIII. *Erat certe* Hadriani *Prætura* Ludorum. *Consulibus proinde non* Suffectis, *sed* Ordinariis, *consignanda.* §. XIV. *Plena horum Consulum* nomina. §. XV.

Spartian. vit. *Adrian.* c. 3.

I. Fastorum emendatio.

P*Rætor factus est Surano bis & Serviano iterum COSS.* Jam supra, Auditores, ostendimus *Tribunatum Hadriani* in annum ejus XXVIII$^{m}$. & Æræ nostræ *Christianæ* CIV$^{m}$. esse conferendum; nec alteri proinde anno assignandum esse II$^{m}$. *Candidi*, & *Quadrati* similiter II$^{m}$. Consulatum, quo *Tribunatum* ab eo gestum testatur *Spartianus.* Id, cum Fastis *hodiernis* repugnet, quos habemus, omnibus; proinde consentaneum duximus ut, quem fecerimus in Fastis hactenus receptis *hiatum*, eum pro virili suppleamus, pro nostris nimirum hypothesibus. Præsertim adeo benignam occasionem nacti in his, de quibus agimus, *honoribus Hadriani.* Inde enim constabit quam accurate legitima *honorum tempora* & *res gestæ Hadriani*, nostræ Fastorum *dispositioni* respondeant.

II. COSS. an. CVI. *Commodus & Cerealis.*

Itaque *Tribunatu* functus *Hadrianus Trajanum* consecutus est in *Dacia* agentem. Proximo nimirum à *Tribunatu* anno, Æræ nostræ CV°. Tum demum *Tribunus* fuerit *Legionis primæ Minerviæ*, & *multa* illa *egregia facta* ediderit quibus illum dicit inclaruisse *Spartianus.* COSS. illius anni erant, qui proximum in receptis Fastis locum occupant, *Commodus* & *Cerealis.* Sic enim illos appellat *Idatius*; Sic Liber *Cuspiniani*; Sic *Prosper*, *Victorius*, *Cassiodorus.* Sic etiam

 Auctor

Auctor Chronici *Alexandrini*, ſi tamen unum illud exceperimus, quod pro *Cereali* legat *Ceratanum*. Cur vero Commodum illum *L. Ceionium L. F. Commodum Verum*, & Cerealem *L. Tutium Cerealem* appellent Viri Eruditi; & *Commodum* Ælii Cæſaris Hadrianei *Patrem* exiſtiment, rationem ego prorſus nullam video. Imo qui *delicatus* fuit *Hadriani*, is idem hoc anno cv°. *ætate* non potuit eſſe *Conſulari*; ſed nec ætatis *veniam* conſequi, cum nondum Principatum *ipſe* conſecutus fuiſſet *Hadrianus*. Aliud enim illius *Commodi* meritum nullum legimus. *Cerealis* autem, ſi *Tutius* ille *Cerealis* fuiſſet cujus meminit Plinius; jam certe *Conſuliterum* fuerit oportet, cum illum *Conſularem* fuiſſe ante anni c^i^. menſem *Januarium* ex eodem intelligamus [a] *Plinio*. Idemne fuerit *Cerealis* alter ad quem ſcripſit *Plinius* L. II. Ep. 19. omnino non conſtat. Nomen ejus *Gentile* nullum memorat, nec ſcio unde *Vellium Cerealem* illum nominarit [b] *Catanæus*. Sed nec illud conſtat, fueritne hujus anni Conſul *Plinii* amicus ille *Cerealis*, an potius *Julius* ille *Cerealis* cujus meminit [c] *Martialis*. *Petilius Cerealis* initio *Veſpaſiani* coævus antiquior erat quam ut *hoc* demum *anno* Conſulem illum fuiſſe veriſimile ſit. De mimo *Cereali* nulla ſuſpicio eſt. Sed melius eſt ignorantiam noſtram ingenue profiteri, quam ſine monumentis quicquam de re incerta atque incomperta pronunciare. Fieri fortaſſe poteſt ut *Cerealis* ille idem fuerit cum *Neratio Cereali* quem *Conſulem Ordinarium* agnoſcunt duæ Inſcriptiones [d] *Gruterianæ*. Id ſi verum fuerit, jam facile intelligemus unde irrepſerit in horum Temporum

*a* Plin. *II. Ep.* 11. *b* Catan. *ad II. Ep.* 11. *c* Mart. *XI. Ep.*
*d* Gruter. 181. 3. 441. 3.

Faſtos

Fastos nomen *Marcelli*, & quidem collega supradicto *Surano iterum Consule.* Erat enim in gente *Neratia Marcellus* Consul in Inscriptione memoratus, quem ad annum Æræ *Christianæ* CXXIX^m^. retulit *Onuphrius.* Eundem scilicet *annum*, licet aliis anni *mensibus*, quo *Arrium Severianum*, cujus mentio in [e] *Pandectis*, recenset *Onuphrius*, suffectum scilicet ipsum, ut fuit etiam *Neratius Marcellus*, pro *Onuphrii* sententia, similiter *suffectus*. *Severianum* cum *Serviano* & *Surano* facile confundunt non modo imperiti *Fastorum* consarcinatores, verumetiam ipsi illorum temporum *Auctores*, ut ostendi multis posset exemplis, si esset operæ pretium. Male tamen *Neratium Marcellum* eundem cum *Neratio Prisco* Jurisconsulto celeberrimo & *Trajani* amicissimo credidit *Onuphrius*, nec *homine* scilicet eodem, nec etiam ejusdem *Imperii Consule*. Cereales *certi alienique* temporis *COSS.* hoc in loco non moramur.

III. *COSS.* anni CVI^i^. *Senecio IV.* & *Sura III.* si quidem nondum *Romam* venerit, nec adeo *Prætor* fuerit, *Hadrianus.*

Sequebatur deinde annus Æræ nostræ CVI^us^. quo Bellum *Dacicum* II^m^. à *Trajano* absolutum esse diximus. Ante illum *Romam* redire non potuit *Hadrianus*, qui, nisi *Bello* penitus *confecto*, non redierit; nec adeo *Præturam* inire, non alibi quam *Romæ* ineundam. Fuerant sane in *libera Republica* Prætores etiam *Provinciales*. Erant etiam sub *Augustis* Legati *Prætorii*, & Populi Magistratus *Pro-prætoribus*. Sed *Prætorii* illi non jam *Prætores* erant, sed qui Præturam *antea* administraverant. Quod idem etiam de Populi *Pro-prætoribus* sentiendum. Sic enim *Pro-Consulibus* appellabantur non *Consules*, sed *Consulares*, Consulatu

e Pand. *V. I.* 3.

*olim* functi, quos *Ex-consulibus* juniores appellabant. Quod enim *Augustus* Legatus Populi *pro Prætore* fuerit, necdum etiam *ætate Prætoria*, vis erat & necessitas, nec in exemplum aliquatenus trahendum. Et quidem, pro eodem exemplo, cum vim aliam Reipublicæ idem inferret *Augustus*, non jam *Præturam* petiit qui jam *Legationem* obierat *pro Prætore*, sed *proximum* Prætoriæ Legationi honorem *Consulatus*, ipsum *ætate* similiter ad *Consulatum* immatura. Nullum itaque *Augusti* erat in utrovis Magistratu exemplum, præsertim hominibus *Privatis*, qualis hoc tempore noster erat *Hadrianus*. Et tamen cum res esset extra *Urbem* gerenda, non *Præturam* ipsam petiit, sed *Legationem* potius *Prætoriam*. Legimus tamen, fateor, etiam sub *Tiberio*, *Provinciarum Prætores*, [f] Prætorem *Bithyniæ*, Prætorem [g] *Achaiæ*, Prætorem [h] *Hispaniæ citerioris*. Sed non erant illi *Prætores* vere proprieque sic dicti, quales olim in *Comitiis* Populi Romani, postea, Populi Juribus ad *Senatum* translatis, in *Senatu* quotannis deligi solebant, florente quidem Republica ad *Provincias* cum Jure *Gladii* regendas. His enim Augustorum temporibus *Prætorum* nomen *Consulumque* in *Italia* servatum, teste disertissimo [i] *Dione*. Itaque extra *Italiam* Præfecti *Provinciarum* omnes, seu *Augusti* fuissent, seu *Populi Romani* Provinciæ, non *Consules* tamen aut *Prætores*, sed *Proconsules* duntaxat *Proprætoresq;* solebant appellari. *Proprætores* itaque & post Præturam *Romæ* gestam, non autem *Prætores* ætate Præturæ *legitima Provinciarum* illi *Prætores* intelligendi sunt. Proinde *Hadrianus* si hoc ipso anno *Romam* appulerit, *Prætor* nondum es-

*f* Tacit. *Ann.* I. 74. *g* Tacit. *Ann.* IV. 43. *h* Tacit. *Ann.* IV. 45. *i* Dio L. LIII. *An. U. C.* 726.

ſe potuit. Ex quo illud etiam ſequitur, *Præturæ* Hadrianeæ *Conſules* huic anno aſſignari non poſſe, ſi quidem *COSS. Ordinariis* Præturam illam deſignarit *Spartianus*, de quo mox plura diſputabimus. Rectius illi convenient *C. Soſius Senecio*, & *L. Licinius Sura III.* quos jungunt invicem collegas *Inſcriptiones*, & proximos *Commodo* & *Cereali* ſubjungunt Faſti hodierni ad unum omnes.

IV. Fieri tamen poteſt ut hoc ipſo anno *Prætor* fuerit: Sic erunt prædicti COSS. ad *ſequentem* potius annum differendi.

Poteſt tamen illud, fateor, in dubium vocari rectene ſupra II[i]. Belli *Dacici* finem in initium Anni CVI[i]. contulerimus. Jam enim ſupra vidimus eſſe Inſcriptiones quæ I[i]. Belli *Dacici* initium referant ad finem anni C[i]. Illæ itaque ſi recte ſe habeant; ita juſtum Quinquennium utrique Bello pro *Juliani* in *Cæſaribus* teſtimonio tribuendum, anni CV[i]. potius fine expleverit *Trajanus*. Habetque illa quidem Faſtorum diſpoſitio ſuas quoque, ne facile repudietur, utilitates. Sic enim *Romam* anni CV[i]. fine venire potuerit *Hadrianus*. Sic *Præturam* obire ipſo anno CVI[o]. anno *ætatis* XXX[o]. *Præturæ*, uti vidimus, legitimo. Convenietque cum *reliquis* ejus honoribus, quos *annis* ipſis obierit, ut oſtendimus, per Legem Annariam *legitimis*. Nec enim ſibi deerat *Hadrianus* in honoribus primo quoque tempore *legitimo* ambiendis; nec poterat *legitima* ambienti deeſſe *Trajanus* avunculus honorum ejus ſatis æquus *arbiter*, jam nempe *Princeps*, ſuoque adeo honores ejus moderaturus *arbitrio*. Adjuvit illum certe in *Quæſtura*, ne repulſam pateretur, cum illum *Candidatis* ſuis accenſeret. Nec quicquam obſtat quod ſpem ejus de *Imperio* lactaverit *Trajanus*, & in longum protraxerit. *Hæredibus* enim *Imperii gratia*

Legis

Legis Annariæ *indulgeri* ſolebat; cum vero illa permitteret honores, ne quidem facile Privatis negari ſolebant, nedum ſanguine & affinitate junctis, quo duplici nomine *Trajano* carus erat *Hadrianus*. Et tamen poſt II$^{m}$. Bellum *Dacicum*, in illa quoque *Trajani gratia*, quæ ad *Hæreditatem* ſpectabat multum profecerat noſter, teſte *Spartiano*. Hoc ſane teſtatum fecit decretis *Præturæ*, de qua agimus, *ſumptibus* publicis, quod non aliis concedi ſolebat quam *gratia* florentiſſimis, ut multa noſtræ *Hiſtoriæ Auguſtæ* docent exempla. Sic etiam arctiſſimis nectentur temporum limitibus res ab *Hadriano* geſtæ. Eſt enim neceſſe ut uno ſaltem anno Belli *Dacici* II$^{i}$. finem præceſſerit *Tribunatus Hadriani*, imo *Tribunatus* etiam *finis*, ut anno Tribunatum *ſequenti* rebus intereſſe poſſet in illo Bello gerendis. Nempe *Tribunatus* auno CIV$^{o}$. aſſignandus erit ut Bello ante finem anni CV$^{i}$. debellato inclareſceret. Et quidem ſatis commode fieri poteſt ut *Tribunitiæ Poteſtatis initio* illi quod fine anni CV$^{i}$. poſt *Octobr*. XXVII$^{m}$. cœpit, convenerint Inſcriptiones ambæ tam illæ nimirum in quibus *Imperatorem IV*. quam & aliæ quoque illæ in quibus *Trajanum Imp. V*. legimus. Sic autem *Senecionis* Conſulatus IV$^{us}$. & *Suræ* III$^{us}$. in ſequentem annum differendi erunt, & viceverſa *Tribunatus COSS*. à *Spartiano* memorati huic anno aſſignandi. Vim tamen Faſtis receptis minorem inferet diſpoſitio illa quam dedimus. Habet interim utraque opinio ſuam veriſimilitudinem à vobis, Academici, expendendam atque judicandam. Nos autem cœpta temporum ſerie pergemus qua reditum à Bello *Dacico* ad annum CVI$^{m}$. & *Præturam* adeo noſtri *Hadriani* ad annum uſque CVII$^{m}$. diſtulimus.

Sequi-

V. Anno CVII°. *Prætura* Hadriani COSS. *Surano* II. & *Serviano*; quos quidem *Ordinarios* fuisse necesse est, si fuerit *Prætura* ipsa *annua.*

Sequitur ergo annus cvii^us. non sane admodum *Præturæ inopportunus*, seu *Legem* spectemus *Annalem*, seu etiam Expeditionem illam, quam dixi, *Dacicam* ii^am. Per *Legem* quidem *Annalem*, quod hujus anni initio annum *Ætatis* fere xxxi^m. absolverit, cum tamen satis esset ad *Præturam* annus xxix^us. *absolutus*, xxx^us. *inchoatus*. Per Expeditionem autem *Dacicam*, quod *reversus* demum à Bello editorum in *Bello* facinorum *præmiis* & *honoribus* esset decorandus. Hoc saltem opportunum, ne *ultra* hunc annum *Prætura* ejus differretur. Itaque si hoc anno *Præturam* susceperit *Hadrianus*, eidem proculdubio assignandi erunt quos docet *Spartianus* fuisse *Præturæ* Consules, *Suranus* II. atque *Servianus*. Id tamen obstitit quo minus receptum fuerit quod nondum illos pro *Consulibus Ordinariis* habuerint Viri alioqui *Romanæ Historiæ* peritissimi conditores. Cur illud? Nempe quia nullam illorum mentionem repererant in *Fastis*, quos habemus, *antiquioribus*. Atqui Fastorum receptorum errores fœdissimos jam deteximus. Facietque porro ad eorum fidem elevandam si hos *Consules Ordinarios* fuisse probaverimus, quos tamen nulli memorant *Fasti hodierni*. Ita sane fuisse necesse est si *annua* fuerit, etiam his temporibus, *Prætura*. Cur enim *Consulibus* in partem duntaxat anni *Suffectis* designandi erant qui annum integrum tenuerint *Prætores*? Cur non *Januarii Consulibus* qui *Comitiis iisdem* in libera Republica designari solebant quibus *Consules*, (qui non alii olim fuerant quam *universi* anni *Ordinarii*) nec alio Magistratum tempore capessere solebant quam *Kalendis Januariis*?

*Januariis*? Cur aliis quam *Januarii* (qui tamen iidem erant *Ordinarii*) Consulibus qui mense erant etiam *Januario Prætores*? Age itaque videamus quamdiu tenuerit illorum temporum *Prætura*.

VI. *COSS.* plures *binis* eodem tempore esse non poterant. Et tamen *plures*, pro proportione aucti ab *Imperatoribus* Senatus, necessarii *annuatim*. Inde *bimestres*, &c.

Et quidem hanc Quæstionem difficilem esse fateor. Nec enim ulla sunt, quod quidem sciam, *diserta* horum temporum *Testimonia* quæ *annum integrum* Prætores in officio fuisse convincant. Sed nec ulla viceversa sunt quæ breviori quam *annuo* spatio *Successores* Prætoribus datos ostendant, nisi *mortuo* aut *ejurante* Magistratum decessore, verba Auctorum coævorum admodum diserta. Itaque ad *Ratiocinia* confugiendum erit. Et sane multa sunt quæ *annuam* videantur, etiam sub *Imperatoribus*, astruere *Præturam*. Jam supra observavimus, nullos memorari apud Veteres, *menstruos* Prætores, cum tamen *menstruorum suffectorumque Consulum* eodem anno memoriam habeamus frequentissimam, cum nulla tamen decessoris præcessisset sive *mors*, sive etiam *abdicatio*. Hoc tamen Veterum silentium, ut non solum per se sufficiat, habemus adhuc firmiora atque luculentiora, quæ hoc suadeant, quod volumus, Argumenta. Cur enim *semestres* essent, aut *quadrimestres*, aut etiam *bimestres Consules*, ratio illa erat omnium præcipua, quod plures essent per censum *Senatorium*, auctumque ab *Augustis* Senatorum *numerum*, *Consulatus Candidati*, & plura adeo *Consularium* in *Senatu* suffragia, quam ut sufficerent *bini* duntaxat singulorum annorum Consulatus. *Sententiæ dicendæ* in *Senatu* soli Jus habebant *Consules Prætoresque*, seu, quod eodem redit, Viri duntaxat *Consu-*

*Consulares* atque *Prætorii*. Et quidem illi suo quique ordine, seorsim, priori loco *Consulares*, tum deinde *Prætorii*. Aucto itaque ab Imperatoribus *Senatu*, *Consularium* pariter *Prætoriorumque* numerus erat similiter augendus. Ita factum, ut longe plures utriusque Ordinis sub Imperatoribus necessarii fuerint quam sub libera fuissent Republica. Erant *Senatores* primis *Consulum* temporibus *trecenti*. Erant sub *Augusto mille*, plusquam *triplo* nimirum plures. Sic fuerint pro *binis* Reipublicæ *Consulibus*, sub *Augustis* necessarii ad minimum *senis* plures. Et quidem pro *primo* Augustorum temporum exemplo, cum *semestres* essent Consules *Ordinarii*, erant singulis annis duntaxat *octoni*. Nec pauciores esse poterant cum nullo Veterum probato, quique in morem transierat, exemplo, Rempublicam unquam tenuisset Consul *Solitarius*, nec deesset qui Collegæ violentiam moderaretur intercessor. Sed *novos* præterea sub *Augustis Consules Prætoresque* exigebant *novæ* sub Augustis *Provinciæ*, pluresque quam sub libera Republica, tam illæ nimirum quæ tum *primum* victæ essent, & in Populi Romani ditionem redactæ, quam & aliæ quoque è *Veterum* Provinciarum *partitione* natæ. Nec enim alios quam *Senatorios* Præsides habebant utriusque generis Provinciæ, pro primævo more, tam *Augusti*, quam *Populi Romani*, si unam exceperimus *Ægyptum* Equestri Ordinis viro, ne Jus *fascium* haberet, demandari solitam; Sed nec *aliis* quoque *Senatoribus* quam *Consularibus* atque *Prætoriis*. Erant enim in *obsequio* Præsidum *Quæstores* etiam *Provinciales*. *Tribunos* autem *Plebis Ædilesve Curulos* nullos in *Provinciis* unquam legimus. Nec tamen anno nniverso per *bimestres Consulatus* diviso

viso plures erant XII *singulorum* annorum *Consules*. Scio quidem *suffectos* à Principibus *Consules* paucorum aliquando *dierum*, semel etiam *horarum*. Sed quis numerus esset ad Rempublicam, pro ea, quæ tunc recepta est, constitutione, necessarius, non è Principum *placitis* & *arbitrio* interdum licentissimo, sed ex *more* potius atque *consuetudine* statuendum. Sic autem sufficiebat, uti dixi, numerus annuorum Consulum, ad summum *duodenarius*. Sed nulla erant Consulatus *officia* quæ non fuerint *utrique* Consuli communia. Nulla certe quæ plures *duobus* uno eodemque *tempore* postularent. Inde factum ut, cum plures *binis* eodem tempore *Consules* esse non possent, & plures tamen *binis annuis* exigerent usus Republicæ; proinde fuerint per *binariorum* Collegia, & per *bimestria* ejusdem anni spatia, tribuendi.

VII. *Prætores* satis multi esse poterant *Consulatus Candidati*, ut nullæ fuissent eorum, in eodem anno, *vices*.

Contra in *Prætura* nullus fuerat tam sacer tamque perpetuus *numerus*, quin potuerit pro Republicæ usibus *augeri*. Sic etiam augeri, ut uno eodemque *tempore* omnes officium administrarent, & per annum *universum* obtinerent. Ita nulla erat necessitas, quo plures haberet Respublica *Prætores annuos*, ut alii aliis *sufficerentur*, nec per annum integrum in officio permanerent. Cum primo constituerentur, erant toto anno *bini*, postea *quaterni*, nunc *seni*, nunc *octoni*, aliquando *deni*. Sic tamen illi ut nemo alteri *successerit*, sed spatio essent omnes *annuo* pares, & *officio* invicem diversissimi. Ita ad *Prætorum* numerum *augendum* nullæ erant necessariæ *vices*. Sufficiebant nova *officia Prætoria* nihil quicquam commune invicem habentia. Sic enim *munera* perpetua atque *annua* satis multos

sup-

ſuppeditare poterant viros *Prætorios*, ut nullæ fuiſſent in Prætura *ſucceſſiones*, ſed annum *integrum* tenuiſſent omnes, ut olim in Republica. Et quidem erant, etiam ſub *Imperatoribus*, *Officia* iſtiuſmodi *Prætoria* ſatis *multa*, invicem *contemporanea*. Sorte *Prætores* Urbis *Regiones* inter ſe partiri ſolitos ex Inſcriptione diſcimus [k] *Gruteriana*. Temporum *Imperatoriorum* propriam illam partitionem fuiſſe neceſſe eſt ſub quibus cœpit in *Regiones* Urbs ipſa dividi. *Contemporaneorum* etiam *Officiorum* illæ ſolebant eſſe *partitiones*. Sic enim *Provincias* ſimul adminiſtrandas, quibus adeo *ambo* adeſſe non poterant, ſolebant *Conſules* inter ſe, ſeu *comparando*, ſeu etiam *ſortiendo*, partiri, ni *extra ſortem* Provincia eſſet eorum alteri decreta atque demandata. Sic fuerint neceſſarii *Prætores*, pro numero *Regionum*, ad minimum *quatuordecim*. *Jus* proculdubio dixere per *Regiones* illi diſtributi Prætores. Sic enim per *titulos* ſortito diſtribui ſolebant Judices *Athenienſes*, ut è Scholiaſte conſtat *Ariſtophanis*. Et tamen erat præterea *Prætor Ludorum* cauſa ſine *Juriſdictione*. Illam obiit *Agricola* Præturam, ut è *Tacito* diſcimus, cujus illa ſunt verba. [l] *Idem Præturæ tenor & ſilentium, nec enim Juriſdictio obvenerat. Ludos & inania honoris modo rationis atque abundantiæ duxit, uti longe à luxuria, ita famæ proprior.* Alius itaque hic *Prætor* à *Regionariis*. Erat præterea, etiam ſub *Imperatoribus*, Prætor [m] *Urbanus*. Erat [n] *Peregrinorum*. Utriuſque generis *unicos*, ut olim, memorat, ſub Principibus, *Tacitus*; ſi tamen alii illi à *Regionariis*. Sed & *Singulis* etiam *Juris Prætorii* capitibus ſuos *ſinguloſque* legimus *Prætores* aſſignatos.

*k* Grut. *LXI.* 3. *l.* Tacit. *Agric. c.* 6. *m* Tacit. *Ann. I.* 42. *Hiſt. I.* 47. *IV.* 39, *n* Tacit. *Ann. I.* 15

natos. Erant [o] *Ærarii*, erant [p] *Tutelarum*, erant [q] *Fideicommiſſorum.* [r] Imo de Fiſco, de [ſ] Veneficiis, & de [t] Uſuris, de [v] Falſo, de [x] Parricidiis, de [y] Sicariis, de [z] Injuriis. Quid ſi ſimiliter in *aliis*, quæ neſcimus, *Juris* ejuſdem *Prætorii* Capitibus *Prætores* fecerint ſimiliter *Imperatores*? Poterantque in his omnibus Prætorum *ordinibus*, pro *Principum* placitis, uno eſſe *plures*. Cum nempe *plura* eſſent de uno Juris Honorarii capite *negotia* quam ut ab *uno* commode, etiam *totius anni* circuitu, expediri poſſent. Quin & *Expeditionis Sarmaticæ Prætorem* memorat Inſcriptio [a] *Gruteriana.* Nec quicquam vetat, pro eodem exemplo, aliarum quoque *Expeditionum* alios etiam fuiſſe *Prætores*. Sic facile intelligimus, ut nulli fuerint, per illa tempora, Prætores *Provinciarum*; ut nullæ etiam Prætorum *Urbanorum*, in eodem anno, *vices*: multos tamen *Urbanos* atque *annuos* fuiſſe neceſſarios. Et quidem ita multos, ut *duodenis bimeſtribus Conſulibus* & *plures* fuerint, & ſatis apta *proportione* reſponderint. Erant enim *Conſulatus Candidati* omnes *Prætores*, proximi nimirum ipſi *Conſulibus*. Itaque & *plures* fuerint oportet *Prætores*, ne nullus eſſet in *Conſulum* creatione *delectus*, & ne deeſſent, per Prætorum *mortes*, Conſulatus *Candidati*. Nec *multo* tamen plures, quod *legitimo* tempore, *Ætatiſque* anno, appetente, *Prætores* omnes *Conſulatum* eſſent petituri.

*o* Grut. CCCLX. 3. 4. *& alii paſſim illorum temporum Auctores.* *p* Grut. *CCCCLXV.* 5. *& alii.* *q* Pompon. *in Pand. L. I. Tit. II.* 2. *r* Pompon. *ib.* *ſ* Tacit. *Ann. II.* 79. Suet. *Aug.* *t* Tacit. *Ann. VI.* 16. *u* Pompon. *ib.* *x* Pompon. *ib.* *y* Pompon. *ib.* *z* Pompon. *ib. addentibus nimirum quibuſdam ad quaternarium Prætorum numerum explendum, qui à* Sylla *inſtitutus eſt.* *a* Grut. *MXCV.* 1.

Et

VIII.
*Prætores annui* ſub Imperatoribus cum *plurimi*, non plures tamen *octodecim.*

Et quidem hanc proportionem ita tenuere munerum *annuorun Prætores*, ut, ſi fuiſſent in muneribus illis *ſucceſſiones*, ut in *Conſulatu*, menſtruæ, eam neceſſario ſuperaturi videantur. Plures XVIII, ne quidem cum *plurimi* eſſent, numerat [b] *Pomponius*. Convenit ad amuſſim *Dio*, qui ita loquitur quaſi ad ſuum uſque tempus, pauciores quidem nonnunquam fuiſſent, nunquam autem plures *octodenis*. Sic enim ille ad COSS. anni Urbis *Varroniani* DCCLXXXVI[i]. (qui idem erat *Christi* XXXIII[us].) [c] *πεντεκαίδεκα στρατηγοὶ ἐγένοντο. καὶ τοῦτο ἐπὶ πολλὰ ἔτη συνέβη· ὥστε ἔστι μὲν ὅτε ἑκκαίδεκα, ἔστι δὲ ὅτε καὶ παρ' ἕνα ἢ καὶ δύο χειροτονεῖσθαι.* Verbum illud ἔστι ad *ſuam* uſque ætatem morem illum deductum videtur innuere. Hujus numeri Hiſtoriam ſub *Imperatoribus* (de his enim nos temporibus agimus) ita deducit, ubi ſupra, *Pomponius*, ut fuerint nimirum ab *Auguſto* XVI, quibus *duos* addiderit de *Fideicommiſſis Claudius*, ita nimirum abſoluto octodenario. *Ex his unum* (inquit) *Divus Titus detraxit, & adjecit Divus Nerva qui inter Fiſcum & Privatos Jus dicunt.* Loquitur etiam ille quaſi ad *ſua* quoque tempora deſcendiſſet ille Prætorum numerus, nunc uno alterove pro Principum arbitrio deminutus, qui tamen ipſe *junior* erat *Hadriano*. Sic, inquam, ille quaſi nullus poſt *Nervam* Princeps ad illum uſque ſub quo ſcripſit *Pomponius*, *Antoninum*, aliud aliquod *munus Prætorium* novaſſet, quod quidem ſi verum fuerit, nihil erit proinde cur dubitemus firmiſſimam eſſe ab *hoc numero*, his præſertim *Hadriani* temporibus, Argumentationem. Verum

*b* Pompon. *in Dig. I.* 2. 2. *c* Dio. *L. LVIII*

tamen hujus numeri ſub *Principibus* progreſſum melius diſcemus à Scriptore in *Imperii initiis* longe omnium accuratiſſimo *Dione*. Illum autem ſi audiamus, jam *ſedecim Prætores* eodem anno quo ipſe interfectus eſt, conſtituerat ipſe [d] *Julius*, Urbis nimirum Conditæ anno *Varroniano* DCCX°. Sic tamen ille ut redierit poſtea *Prætorum* numerus ad *duodenarium*. Inde factum ut XII duntaxat *Prætores Julio* tribuerit *Pomponius*, cum tamen alias *alios* Prætorum *numeros* deſignarit idem *Julius*, hunc illo demum anno ſibi ultimo & fatali. *Decem* [e] certe *Prætores* anno DCCVIII°. conſtituit *Cæſar*, *quatuordecim* anno proximo DCCIX°. eodem teſte [f] *Dione*. Rediit tamen, uti dixi, poſt annum DCCX^m^. quo *Cæſar* interfectus eſt, ad numerum rurſus *duodenarium*. Poſtea anno DCCLXIV°. cum *ſedecim* eſſent *Præturæ Candidati*, nolens *Auguſtus* quenquam oſtendere, omnibus [g] conceſſit. Hoc habuit in animo *Pomponius*, qui tamen Auctores ſuos perperam intellexit, ſi hunc numerum ab *Auguſto* conſtitutum eſſe crediderit. Sequentibus enim annis XII duntaxat teſtatur fuiſſe *Dio*, ut ne quidem ſub *Auguſto* is numerus videatur in morem fuiſſe receptus & exemplum. [h] Fine certe *Tiberii*, nec multis ante mortem annis (*tribus* nimirum) anno quo diximus DCCLXXXVI°. rurſus conſtituti XV. aucti nimirum à numero *duodenario*, eodem teſte *Dione*. Imo ſub *Claudio*, qui primus numerum introduxit, qui poſtea receptus eſt, *Prætorum* XVIII. ἀνωμάλως conſtitutum obſervavit ipſe [i] *Dio*. Ea nimirum diverſitate, ut nunc fuerint XVIII, nunc duntaxat XIV. Aliter juniores *Claudio*, & fortaſſe *Pomponio* Principes, *Dione* tamen

*d* Dio *L. XLIII. ſub fin.* *e* Dio *L. XLII.* *f* Dio *L. XLIII.* *g* Dio *L. LVI.* *h* Dio *L. LVIII.* *i* Dio. *L. LX.*

anti-

antiquiores, qui nec ipsi XVIII. semper *Prætores* creabant, nec tamen unquam XVI. pauciores.

IX. *Prætores Consulibus* plures propartione *sesquialtera.*

Et quidem satis accurate respondebat numerus ille *annuus Prætorum* numero *Consulum* etiam *annuorum.* Cum essent *Consulatus* omnes *bimestres*, tum *maximus* erat *Consulum annuorum* proventus, anni universi XII. Huic si componamus *Prætorum annuorum* numerum etiam *maximum* XVIII. erant dimidio plures, proportione nimirum *sesquialtera.* Sed numerum illum *Consulum annuorum* sæpe minuebant spatia *Consulum Ordinariorum* majora quam *suffectorum.* Cum enim *semestrem* Magistratum tenerent *Consules Ordinarii* , tum plures *octonis* per universum annum *Consules* esse non poterant. Cum *quadrimestrem*, tum *Consules* erant annui in universum *deni.* *Octonis* anni *Consulibus* respondebant *Prætores* annui similiter *duodeni*; quem numerum sæpe vidimus observatum, etiam sub *Imperatoribus.* Sed nescio fuerintne ulli, post *Claudium semestres* Consulatus *Ordinarii*, quamvis multos habeat *Onuphrius* , suis potius nixus conjecturis , quam idoneis Auctorum testimoniis. Multos fuisse verisimile non est. Nec legimus proinde illis temporibus *Prætores* annuos *duodenos.* Itaque siqui fuerint *plusquam bimestres Consules*, illos *quadrimestres* fuisse *Ordinarios* necesse est. Sic fuerint per totum annum *deni. Denis* autem *Consulibus* respondent *Prætorum* alii per illa tempora recepti numeri, seu *quindeni* fuerint , seu *sedeni*, seu etiam *septemdeni.* Et quidem eadem illa proportione *sesquialtera.* *Consulum* enim *annuorum* numeros & *pares*, & per *binarios* distribuendos, fuisse necesse erat. *Prætorum* numerus & *impar* esse potuit, nec è *binariis* conflatus. Nume-

rus itaque *Consulum denario* proxime major erat *duodenarius*, cui proportione *sesquialtera* conveniře non potuit numerus aliquis minor *octodenario*.

X.
Satis erat illa *proportio* ad *spatium* illud quod medium erat, his *Imperatorum* temporibus, inter *Præturam Consulatumq;* triennii.

Quam porro apte responderit *Prætorum* illa ad *Consules* proportio, è spatio *temporis* intelligemus inter honorem utrumque medii, *Præturæ* atque *Consulatus*. Quo enim *plures* intercessissent *anni*, eo *plures* necessarii erant *Prætores* Consulatuum *Candidati* ad sarcienda *mortium* damna; quo *pauciores*, eo *pauciores* sufficiebant etiam *Prætores*. Sed vero *Præturæ Ætatem* designavit, uti vidimus, satis manifeste *Dioniana Mæcenatis* Oratio. *Consularis* quæ fuerit sub *Imperatoribus*, nec ibi, nec alibi, quod scimus, habemus *diserta* Testimonia. Itaque breviter indaganda erit, nec aliunde quam ex *Exemplis*. Nec tamen *Principum* illis, aut *Principatus Candidatorum*; jam enim supra ostendimus quantam illi *licentiam* usurpaverint, & quantæ illis concedi solerent Legis Annariæ *Indulgentiæ*, & quam etiam enormes, in ipso quoque *Consulatu*. Et quidem per Legem *Villiam Annalem* annum Ætatis XLIII^m^. *Consulatui* legitimum fuisse, jam olim collegerunt è *Cicerone* Viri Eruditi. Sed vero *Legem* illam prorsus *nullam* fuisse ostendunt multo *maturiores* hominum, etiam *Privatorum*, Consulatus, his nempe *Principum* temporibus. Et tamen *normam* illis fuisse *Ætatis* etiam *Consularis*, nihil prorsus est cur dubitemus. Ea autem quæ demum fuerit, è *Consulatibus* colligendum *præcocissimis*, in quibus tamen nullas legimus Legis Annalis *Indulgentias*. Poterat enim quis paulo *serius* honores vel ambire, vel consequi propter repulsas;

pulsas; non poterat sine *Legis venia maturius.* Neminem autem legimus *Privatum* qui ante annum Ætatis XXXIII^m. Consulatum fuerit consecutus. Qui illo ipso *anno* labente inierit, *Aulum Vitellium* observavimus, postea *Principem*, adhuc certe *Privatum*, nec Legis *gratia* sublevandum. *Natus* ille est VIII. Kal. *Octobris*, *velut quidam* (verba sunt [k] *Suetonii*) *VII. Idus Septembris, Druso Cæsare, Norbano Flacco COSS.* anno nimirum Æræ nostræ *Christianæ* XV°. Eundem *Consulem* habent *Ordinarium* Fasti anno Æræ ejusdem XLVIII°. Ætatis anno illo quem diximus. Nec vero anteriori aliquo anno *legitimum* fuisse *Consulatum* exinde colligo, quod justo discrepet *decennio* hæc Ætas sub *Imperatoribus*, ab *Ætate Villia Consulari* annorum XLIII. quæ fuerat olim sub *Consulibus.* Sic etiam accurate respondet, ut anno illo XXXIII°. Consulatum non *ambierit* modo, sed *gesserit Vitellius*, ut gessit etiam anno XLIII°. ipse *Cicero*, qui honores omnes *legitimo tempore* consecutus est. Sic *trium* fuerit *annorum* spatium illud à *Prætura* ad *Consulatum.* Nec metus erat ne deessent ad *Consulatus* Candidati *Prætores* proportione *Consulibus sesquialtera* superiores.

XI. Huic *numero proportionique* supplendis satis erant *munera Prætoria* invicem diversa; nec erant necessariæ *munerum*, in eodem anno, *vices.*

Hic ergo numerus erat *Prætorum* summus in morem receptus, etiam sub *Imperatoribus.* Nec enim hoc in loco moror Principum *placita* sine norma, sine Lege, prorsus *arbitraria.* Atqui huic numero supplendo satis erant *diversa* invicem *Prætorum officia Urbica*, cum nec ulli essent *Provinciarum Prætores*, nec ullæ etiam in eodem officio *annuo* Successiones. Facilis omnium

k Suet. *Vitell.* c. 3.

um ratio è coævis *Præturis* reddi poſſet, ſi quidem *perpetuæ* fuiſſent *Præturæ Regionariæ*. *Quindenarium* abſolvebat *Prætor Peregrinorum* additus *quatuordecim Regionariis*. Additis à *Claudio* duobus *Fideicommiſſorum*, jam erant *ſeptemdecim*. Horum *unum* cum detraxiſſet *Titus*, jam *ſedecim* duntaxat. *Ludorum* deinde & *Tutelarum Prætores* numerum illum accuratiſſime explebant *Octodenarium*, tam à *Dione*, quam à *Pomponio* memoratum. *Ludorum Prætori* occaſio erat fortaſſe *Claudius*. [l] Sub eo enim *Natalem Britannici* à *Prætoribus* celebratum legimus. Sed *arbitrio* ſuo. Necdum enim erat forte *Prætor* qui *Ludis Solis* ſine *Juriſdictione* vacaverit. [m] *Tutelarum Prætorem* addidit *Marcus*, & quidem *primus*, noſtro teſte *Capitolino*. Sed non alii erant, ut videtur, à *Regionariis Juris* illi *Prætorii* Capitum *Singularium Prætores*. Sic enim erunt *extra numerum* alii à nobis jam obſervati. Atqui *propria* illa *Prætorum* munera, quorum adhuc memoriam habemus, ut numerum prædictum non abſolvant; eo tamen aſſurgunt ut locum *ſucceſſionibus* in eodem anno non relinquant. *Urbis* imprimis & *Peregrinorum*, ut his etiam *temporibus ſinguli* memorantur; ſic ratio nulla eſt cur minus invicem *diverſi*, aut minus *annui* fingantur. Sic etiam de Prætorii Juris Capitibus quatuor, *quatuor* à *Sylla* conſtituti *Prætores*, & ipſi adhuc *diverſi munera* etiam *diverſiſſima* obtinebant. Ita *Prætoria munera annua* habemus ad minimum *ſena*. Addantur hiſce Quæſtiones de *Veneficiis*, de *Uſuris*, de *Judiciis Majeſtatis*, de *Ambitu*, & alia illa inter *Fiſcum & Privatos*, jam erunt quotannis *undeni*. Accedent denique *Fideicommiſſorum* Prætores *duo*, & *Ærarii plures*, ad minimum certe ſi-

*l* Dio L. LX. *m* Capitol. *Marc. c.* 10.

mili-

militer *duo*, & *Ludorum unus*, & *causarum liberalium*, eruntque in universum *septemdeni*, deeritque unicus duntaxat ad numerum quem dixi *summum*, ab *Expeditionariis*, aut aliorum, quæ nescimus, *Juris Prætorii* Capitum *Prætoribus* supplendus. Poterat etiam *Prætor* esse supra numerum *Provincialis*. Id enim quanquam rarius, ad suum usque tempus, admissum indicat aliquando *Dio* L. 53. p. 505. Jam si *breviores annuis* fuerint horum *Prætorum* Magistratus, fingamus saltem fuisse *semestres*, & *Successores* adeo omnium fuisse *singulos*. Sic essent *Prætores* annui xxx, quod tamen constat fuisse falsissimum. Frustra autem existimabimus designatorum *iisdem Comitiis Prætorum* aliis *annuum* fuisse Magistratum, aliis *annuo breviorem*.

XII. *Annui* certe fuisse videntur *Prætor Ludorum*, & *Prætores Ærarii*.

Et vero aliquos fuisse annuos omnino verisimillimum est. *Prætorem* illum qui *Ludis* vacaverit, & *honoris* illis, quæ appellat Tacitus, *inanibus insignibus*, *unicum* duntaxat legimus in probatæ fidei monumentis. Imo si *totius anni* Ludos celebraverit, *anno* proinde *universo* præfuerit necesse est, cum pars anni *nulla* fuerit *Ludis* vacua *publicis*, & *Populi Romani* nomine celebrandis. Hoc certe manifestum est ex *hodiernis* etiam, quæ habemus, *Kalendariis*. Et tamen *Ludis*, quorum illa mentionem fecere *Kalendaria*, accedebant præterea alii, *temporum*, quibus vixit *Prætor* quisque *Augustorumque*, proprii. Nec aliter, ut puto, *Prætores Ærarii*. Illis *Ærarii Prætoribus* successerant, *Plinii* junioris ætate, *duo Præfecti*, è quorum proinde moribus liceat etiam ad *Prætores* argumentari. *Bini* autem erant illi *Præfecti*, habuitque *Plinius* collegam in illa *Præfectura* amicum charissimum *Cornutum Tertullum*; ut colligamus *Ærarii Prætores* similiter fuisse

isse *binos*. Etiam *alternis* [n] *mensibus* Reipublicæ inserviebant *Præfecti*, ut *vacationis* mensibus *commeatus* impetrare possent, siqui fuissent ad propria negotia necessarii. Sic intelligimus cur *pari* mensium numero tenuerint *Consules*, ut scilicet haberent & ipsi suas, etiam in officio, *vacationes*. Nec aliter administrationem officii inter se partitos verisimile est etiam *Ærarii Prætores*. Atqui annua erat *Pliniana* illa *Præfectura*. Nec breviorem *annua* fuisse consentaneum erat, pro reliquarum *Præturarum* exemplo, etiam *Ærarii* fuisse *Præturam*. Imo in *Prætorio Jure* universo fuisset incommodissimum si ad novos *Prætores* negotia plerunque distulissent usitatissimæ *comperendinationes*.

XIII. Imo *alii* etiam Prætores *omnes*.

Imo *rarum* fuisse, præterque *morem*, siquis *Prætor* ante *annum* expletum munere decessisset, alia etiam etiam ostendunt *Imperatorum* temporibus coæva Testimonia. *P. Ventidium* jam *Prætorem* in suum *Consulatum* (quem etiam ipse *suffectum* gesserat) suffecit *Cæsar Octavianus*, *Præturæque* ejus successorem dedit ejusdem anni etiam *Ædilem*. [o] Imo *Prætores omnes*, ante *quinque dies* quam oportuit, abrogavere *Triumviri*. Ita *Triumvirorum* facinoribus pro *arbitrio* dominantium hoc ipsum accenset *Dio*, quod *Prætores* munere exuissent, cum tamen *Consulum suffectorum* anno illo etiam *Urbis* DCCXI°. multa jam fuissent exempla; *Prætorum* nisi decessorum *morte* suffectorum, ut videtur, omnino nulla. Etiam anno ejusdem Æræ DCCXVI°. *Prætores* LXVII. [p] ἄλλοι ἐπ᾽ ἄλλοις ἀποδειχθέντες ἦρξαν. Verba sunt ejusdem *Dionis* in eam nimirum sententiam, ut videtur, intelligenda, quod *insolitum* esset *Prætorem* alium in alte-

*n* Plin. *L. X. Ep.* 24. *o* Dio *XLVII.* *p* Dio *L. XVIII.*

rius

rius locum *ſuffici*, atque ita eorum numerum augeri ſupra munera *Prætorum annua.* Sic etiam [q] *Prætorem* de *Camilli Scriboniani* defectione ſuſpectum necavit *Claudius*, anno Æræ *Romanæ* DCCXCV°. *Chriſti* XLII°. Non antea tamen quam ſe *Prætor* ille Magiſtratu *abdicaſſet.* Atqui *abdicatione* opus non erat ni fuiſſet alioqui *Præturæ exitus* paulo *longinquior.* Sic & *Silanus Præturam ejurare* coactus eſt à Cenſore Vitellio, *cum eſſet forte* (inquit [r] *Tacitus*) *eo anno Prætor.* Ea Cl. Hiſtorici verba *Præturam annuam* ſubindicare videntur. Ita ratio nulla prorſus erat cur *annuam* Hadriani *Præturam* COSS. duntaxat *deſignatis*, nec annuis, & ne quidem anni *initio* deſignarit *Spartianus.*

XIV. Erat certe *Hadriani* Prætura *ludorum*. COSS. proinde non *ſuffectis* ſed *ordinariis* conſignanda.

*Quæſturam* certe ejuſdem *Hadriani* non *ſuffectis* tamen, ſed *Ordinariis*, *Conſulibus* habemus ab eodem *Spartiano* conſignatam, *Trajano* nimirum *IV.* & *Pæto.* Idem proinde de *Prætura* expectandum erat. Niſi forte in *primos* anni *menſes* incidiſſe fingamus *Quæſturam*, non item *Præturam*, *Hadriani.* *Diu* certe *Conſulatum*, nec *potuit* tenere *Trajanus* nec *tenuiſſe* veriſimile eſt anno illo CI°. quo & *Quæſtor Hadrianus*, & in Belli *Dacici* primi procinctu erat, uti vidimus, ipſe *Trajanus.* Nec potuit adeo in Principis *Conſulatum* illa incidiſſe *Quæſtura* niſi in *primos* incidiſſet anni *menſes.* Eam tamen *Præturam* obiit *Hadrianus*, quæ, ut reliquæ *annuis breviores* eſſe potuiſſent, *ipſa* certe, ut oſtendimus, *brevior* eſſe *non* potuit. Ejus enim *Juriſdictionem* nullam, ſed *Ludos* duntaxat, memorat *Spartianus.* Sic enim ſequitur: *Seſtertium iterum vicies ad Ludos edendos à Trajano accepit.* Nec ſane unquam ad

q Dio *L. LX.* r Tacit. *Ann. XII. c.* 4.

*Juriſ-*

*Jurisdictionem*, ſed ad *Ludos*, *ſumtus decretos* legimus. Ita igitur & *Conſules* erunt *Ordinarii* ſub quibus *Prætor* noſter erat *Hadrianus*. Faſtorumque adeo receptorum errorem, hoc in loco, convincet hic ipſe locus *Spartiani*.

XV. Plena horum COSS. *nomina*.

Recte ergo huic anno COSS. *C. Julium Servilium*, *Urſum Servianum*, & *Suranum II*. aſſignabimus cum noſtro Auctore *Spartiano*. Sic enim illos nominat lapis *Onuphrii*. In eo tamen peccat Auctor noſter quod *Conſulem iterum* fecerit cum hoc Collega *Servianum*. Sed *Conſulatus iterati* notam nullam exhibet Inſcriptio. Suntque aliæ *Inſcriptiones* quæ IIm ejus *Conſulatum* cum alio Collega repræſentent *L. Fabio Juſto*, ut infra opportunius videbimus.

*Præ-*

# *Prælectio* XIV. *ad Spart.* Hadrian.

Oct. 23. 1691.

## *Fasti* Consulares *ab anno* Domini cviii°. *ad* cxi^m. *restaurati.*

*Anno CVIII°.* Hadrianus *Legatus* Prætorius *COSS.* Gallo & Bradua. §. I. *Res ab* Hadriano *hoc* anno *gestæ explicantur.* §. II. COS. *anno CIX°.* Hadrianus. §. III. *Sed* Suffectus *tantummodo, COSS. Ordinariis* Palma II. & Tullo. §. IV. Orfiti & Prisciani *Consulatus omnino* fictitius. §. V. COSS. *anni CX*^i. Piso & Bolanus. §. VI. COSS. *anni CXI*^i. Servianus *II.* & Fabius Justus. §. VII. *Hi* COSS. *erant hoc ipso* anno. §. VIII. *Et quidem* Ordinarii. §. IX. *Collegam* Hadriani *in Consulatu* Publilium Celsum, *nullo Auctore, facit* Onuphrius. §. X. Sura *hoc anno CIX°.* Hadriano, *ut videtur*, Consule, *mortuus.* §. XI. Hadriani inimici *quinam.* §. XII. *Paludem* Pompinam *stravit* Trajanus *anno CXI°.* §. XIII.

### *Pergit* Spartianus.

I. Anno cviii°. *Hadrianus Legatus Prætorius* COSS. *Gallo & Bradua.*

*Legatus postea Prætorius in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit, Procuratores latius evagantes coercuit : ab hoc COS. est factus.* Hæc proximo anno, Æræ nostræ cviii°. contigisse verisimile est. Ut enim *Prætura* ipsa *annua* non fuisset, vix tamen legimus, nisi anno *Præturæ* expleto, qui *Provinciam* attigerint.

rint. Inde tanquam *insolitum* narrat *Dio*, [a] exutos à *Triumviris* ante 5[m]. à finito Magistratu diem *Prætores*, in *Provincias* missos, aliosque in eorum locum *suffectos*. Inde Leges illæ *Claudii*, semel iterumque repetitæ, de *anni tempore* quo *Roma* discedere oportuerit *Magistratus* in *Provincias* mittendos. Unde intelligimus *mensium* omnium *Magistratus uno* tamen eodemque sequentis anni *tempore* in *Provincias* concessisse. Et quidem ut *anno* alio à *Præturæ* anno in *Provinciam* venit *Hadrianus*, sic *proximo* illum venisse verisimillimum est. Quanquam enim nonnunquam cautum fuerit, ne statim à gestis in *Urbe* Magistratibus *Provinciis* præficerentur; id tamen, quoties contingeret, singulari observatione insignire solent Historici, id nimirum innuentes, obtinuisse, etiam sub *Imperatoribus*, receptum in Rep. *morem*, quo *proximum* annum agere solebant in *Provincia*, ni deesset locus vacuus, & raro ab eo more discessisse etiam Imperatores. Nec vero probabile est prætermitti potuisse in *Provinciarum* delectu tam arcta Principis necessitudine conjunctum hominem, & tanta etiam ejusdem *gratia* jam florentem. Recte itaque hoc anno in *Provinciam* venerit *Hadrianus*, COSS. *Appio Annio Trebonio Gallo*, & *M. Atilio Metilio Bradua*. Hos enim vere *COSS.* fuisse, non è *Fastis* duntaxat, sed è tribus etiam *Onuphrii* discimus *Inscriptionibus*, qui etiam hunc situm obtinent in Fastis *Idatii*, Libri *Cuspinianei*, & Chronici *Alexandrini*.

*a* Dio *l.* 47. *p.* 382.

Legatus

II Res ab *Hadriano*, hoc *anno* gestæ, expli-cantur.

Legatus porro *Prætorius* appellatur *Hadrianus*, quod non *Populi*, sed *Imperatoris* Provinciis accenseretur illa *Pannonia*, hostibus nimirum *limitaneis* posita, & propterea *Exercitibus* instructa. Sed gestarum cum *Sarmatis* rerum nusquam hodie extatare memòriam observavit *Casaubonus*. Extant tamen memoriæ illæ è quibus facile colligimus, metum illis partibus fuisse à *Sarmatis*. Juncti enim erant in *Dacico* Bello etiam *Sarmatæ*. Inde factum ut, post duos triumphos *Dacicos*, tertio demum in eosdem hostes Bello *Sarmaticam lauream* reportarit *Domitianus*. Et Cataphractos Equites *Sarmatas*, in hoc ipso, de quo agimus, Bello repræsentat columna nobilissima Trajani. *Disciplinam* (inquit *Spartianus*) *militarem tenuit.* Quæ nempe Bello *Dacico* profligato, sensim, cœperit labascere. Sic tamen illa recenti memoria, ut *tenenda* fuerit potius quam *restauranda*. Et quidem *tenendæ* justam satis & necessariam occasionem dederunt *Sarmaticæ* illæ Belli *Dacici* reliquiæ. *Procuratores latius evagantes coercuit*, inquit noster. Nempe *ultra terminos Potestatis delatæ*, ut ex *Ammiano* interpretatur *Casaubonus*. Aliter fuisset, ipsi *Augusto*, non autem Provinciarum *præsidibus*, obnoxii erant *Procuratores*. Cum vero *Legatorum* negotiis sese immiscerent *Procuratores*, recte poterant *Legati* Jus suum, in *Procuratores* etiam non obnoxios vendicare, evagantesque ipsi, nec appellato Principe, coercere. Et ad *disciplinæ militaris* laudem recte erat referenda hæc *Procuratorum* coercitio, si in re *militari* vellent molesti esse *Procuratores*. Id vero ut vellent, animos facere potuit Jus illud *Procuratorum* in *milites* ad exigenda *Tributa*, & quod sæ-

pe,

pe, ubi deessent *Præsides*, Provincias ipsas solerent moderari *Procuratores*. Sed vero *Procuratorum coercitio* quæ demum fuerit è *Plinio* optime colligemus. Erant nimirum *Procuratores* illi plerunque *Cæsaris liberti*, *statu* nimirum humili & *servituti* proximo. Tales erant sub *Trajano* ipso *Maximus* & *Virdius Gemellinus* quorum meminit is ipse [b] *Plinius*, ne alia addam exempla ex *Historia* & è *Jure* frequentissima. Erat enim hoc etiam *Privatis* in more ut *Dominorum* negotia procurarent *Servi*; *Patronorum Liberti*. Eo majorem *Patronis* invidiam conflaturi erant si quid ipsi in *ingenuos* egissent imperiosius. Concedi porro solebant his Procuratoribus milites ad *ministerium* pariter atque *tutelam* in officio nimirum constitutis odiosissimo. Sunt enim illa verba ipsa quibus usus est hac in causa *Plinius*. Et quidem concedi solebant à Provinciarum armatarum *Præsidibus* qui soli Jus *Gladii* & *Militum* habebant, sed *Principis* tamen sæpe *mandato*. Ita *Virdio Gemellino* decem beneficiarios assignavit *Trajani* jussu *Plinius*, quos postea *Maximo* in *ministerio* reliquit, additis præterea duobus equitibus. Hoc militum numero denario cum non esset contentus *Gabius Bassus*, [c] id ita interpretatur ipse *Trajanus* quasi vellet Gabius *imperare latius*. Hoc est, ni fallor, idem quod *evagari latius* apud nostrum *Spartianum*. Et quidem pro *sententia* ejusdem, de quo agit noster, *Principis*. Idque agit utroque illo suo, apud [d] *Plinium*, Rescripto ne plures, his de causis, aut diutius, quam necesse esset, *milites à Signis abessent*. Sic itaque *Procuratores coercuit*, ni fallor, *Hadrianus*, ut quam *paucissimos* illis *mi-*

*b* Plin. *X. Ep.* 36.37. *c* Plin. *X. Ep.* 32,33. *d* Plin. *X. Ep.* 31.33.

*lites*

*lites* concesserit, *quamplurimos* autem sub *Signis* retinuerit. Idque adeo & *Trajano* placuit, & *Disciplinæ militaris* nomine noster laudavit *Spartianus.* Atque hanc nostram Interpretationem veriorem existimo quam sit alia illa quam ex *Ammiano* dedit *Casaubonus.* His itaque meritis *Consulem* factum noster ait *Spartianus.*

III. COS. ann. CIX°. *Hadrianus.*

Nempe *COS.* hoc anno *designatus* tantummodo in *Provincia,* quem anno proximo CIX°. obiturus erat. Idque *Romæ.* Nec enim verisimile est, qui ipse adeo solicitus erat ne *Roma* abesset in *Consulatu Princeps,* id facile passurum in *privato,* qualis noster adhuc erat *Hadrianus,* ut ejus *absentis ratio* haberetur. Jam autem annum ætatis XXXIII^m. impleverat mense, COSS. *Ordinariorum, Januario.* Sed qui *Consulatum suffectum* gessit, jam annum XXXIII^m. absolverit oportet, XXXIV^m. inchoarit, cum honore illo fungeretur. Nec id incommode. *Ætas Consularis,* vigente Rep. ejusque lege *Annali,* annus erat, ut è *Cicerone* constat, XLIII^us. Postea *Augustus* anno ætatis XX°. *Consulatum* armis sibi vendicavit. Inde Lex *Annalis* de *Consulatu* penitus in desuetudinem abiit, nec ulla ejus mentio in *Mæcenatis* oratione *Dioniana.* Quam tamen observabant normam Imperatores ea erat, ni fallor, ut *hæredibus Imperii* exemplo fuerit *ætas* illa Consularis *Augusti.* Sic certe *Consules designati* erant in annum ætatis XX^m. *Caius* & *Lucius* & *Nero. Privatis* autem *decennio* contractior erat quam per Legem Reip. licuerat *Annalem.* Illud certum, *Consulatui* nisi per *Præturam* nullum fuisse locum. Itaque cum *Præturæ* candidato annum *tricenarium* præscribat Oratio illa *Mæcenatis,* tricenario proinde majorem fuisse, e-

tiam ſub *Imperatoribus*, ætatem *Conſularem*, perinde certum eſt. Et vero *triennii* ſpatium erat inter *Præturam* & *Conſulatum*, ſub libera Rep. ut proinde idem intervallum ſub *Imperatoribus* etiam obſervatum, ſit ſane conſentaneum. Sic anno xxxiii°. Conſulatum *gerere* licuerit. Et quidem eo anno etiam *privatos COSS.* reperio; qui eo anno *minor* fuiſſet ſub *Imperatoribus* Conſulem *privatum* nullum reperio. Imperator *A. Vitellius* natus *Sept.* vii°. vel xxiv°. anni Æræ *Chriſtianæ* xv$^{i}$. *COS.* erat *Ordinarius* anno ejuſdem Æræ xlviii°. *privatus* adhuc, cum tamen annum illum, quem dixi, ætatis xxxiii$^{m}$. nondum abſolviſſet, ut jam ſupra obſervavimus. Noſter *major* erat *Hadrianus*, quod *Præturam* tardius quam oportebat, accepiſſet, propter Bellum *Dacicum* 2$^{m}$. vel potius quod *Conſulatum* acceperit duntaxat *ſuffectum*. Si enim *COS. Ordinarius* fuiſſet, is idem Conſulatus in annum ejus xxxiii$^{m}$. incurriſſet accuratiſſime.

IV. Sed *ſuffectus* tantummodo, *COSS.* Ordinariis *Palma* II. & *Tullo.*

Et quidem *ſuffectum* fuiſſe ejus *Conſulatum* verbis diſertiſſimis tradit *Dio.* Ὕπατος ἐν τοῖς πρώτοις (inquit) οὐκ ἐγένετο. Fruſtra itaque quærendus in *Faſtis.* Id potius quærendum, quibus *COSS.* ille *Conſul* fuerit, ut in *Panegyrico* ad *Gratianum* loquitur *Auſonius.* Nec alios puto quam quos proximos legimus in Faſtis *Palmam II.* & *Tullum. Palmæ* 2$^{m}$. illum Conſulatum meruit proculdubio Victoria illa *Arabica* cujus ſupra meminimus. Nec aliunde acceſſit Trajano ipſi titulus *Imperatorius* vi$^{us}$. Quo autem anno *Trajanus VI. Imp.* appellatus ſit, deſunt Inſcriptiones quæ teſtentur accurate. Illud certum poſt *T. P. IX.* ita appellatum, & tamen ante *T. P. XII.* Ea enim T. P. Inſcriptionem exhibet *Onuphrius* titulo *Imp.* vi°. inſigni-

insignitam. Inde extant & aliæ. Sic itaque inter annum CVI. & CIX. accessisse necesse erit. Certe ante *T. P. XII.* accessisse indicant verba *Dionis*, qui eodem tempore *Arabes* à *Palma* victos testatur quo *Dacos* vicit *secundo* ipse *Trajanus*. Imo *Trajano Romam* reverso occurrisse *Legationes* multas gentium barbararum, in quibus etiam *Indorum*, *Arabum* proculdubio, ut supra jam ostendimus à *Palma* debellatorum. Sed vero cum Bellum *Dacicum II.* anni CV^i. exitu finitum ostenderimus, facile inde colligitur, nihil esse cur nimis *reditum Trajani* prorogemus. Esto itaque *coloniarum* deducendarum gratia, manserit post victoriam aliquantisper in *Dacia*; at certe *Romam* vel anno CVII°. vel saltem CVIII°. appulisse consentaneum est; nec erat Consulatus, Victoriæ *Arabicæ* merces, ultra annum saltem CIX^m. differendus. Et quidem ab VIII°. *Trajani* anno *Petræorum Bostrenorumque* Epocham deducit Auctor Chronici *Paschalis* quod vulgo *Alexandrinum* appellant eruditi. Vix alio verisimilius, quam ad *Palmæ* illam victoriam *Arabicam*, Epocham illam retulerimus. Et convenit sane satis accurate. Annus quidem *Trajani* VIII^us. si à morte *Nervæ* numeretur, desinet mense anni CVI^i. *Januario*. Rectius autem, ni fallor, annum *Trajani* VIII^m. per *COSS.* ejus VIII^os. pro hujus *Auctoris*, Cyclorumque *Paschalium* more, designabimus. Ita annum CVI^m. complectetur universum. Ita annus CVII^us. *Christi*, idem erit *Petræorum Bostrenorumque*, (qui ambo *Arabes* erant) primus. Cur autem victoriæ anno CVI°. aut CVII^i. saltem initio, acquisitæ merces ad annum usque CIX^m. differretur, causa esse potuit *COSS.* præcedentium *priora* aliqua aut etiam *potiora*, quæ nescimus, merita;

aut *dispositio Magistratuum* per annos aliquot futuros ante victoriæ nuncium constituta, quales illis temporibus solebant satis esse frequentes. Imo ipsum illud Bellum *Dacicum* IIm. satis multos suppeditaverat *honorum* propter *Belli* ipsius merita, Candidatos. Pergimus jam ut & reliquum Fastorum hiatum suppleamus, usque ad annum CXIIm. sextumque *Trajani* Consulatum.

V. *Orfiti & Prisciani* Consulatus omnino *fictitius*.

Proximi sequuntur in *Idatio* COSS. *Orfitus* & *Priscianus* fictitii omnino atque expungendi. In *Prisciani* nomine cum *Idatio* convenit Auctor Chronici *Alexandrini*. *Priscinum* reponit Liber *Cuspiniani*; *Crispinum*, *Prosper*, *Victorius* atque *Cassiodorus*. Estque *Crispinus* proculdubio verum *hominis* nomen, non tamen homo ille verus *hujus* anni *Consul*. Collega erat *Crispinus Celsi iterum* Consulis anno CXIIIo. legiturque *Crispinus* in Inscriptione coæva quam exhibet *Onuphrius*. Et tamen *Priscianum* ibi etiam habet *Idatius*, *Priscianum* Chronicon *Alexandrinum*. Unde intelligimus porro quam fuerit proclive Librariis *Crispini* nomen in *Priscianum* depravare. Addit præterea *Idatius* in *Celsi* collega *Crispino* IIi. Consulatus notam quæ scilicet necessaria erat si vere fuisset *hujus* anni Consul cum collega *Orfito Priscianus*. Sed nec *iterati* Consulatus notam illam habet in *Crispino*, quam tamen in Collega *Celso* agnoscit coæva illa, quam diximus, Inscriptio. Ita certo colligitur fictitium prorsus esse hujus anni illum, seu *Crispinum* malitis, seu *Priscianum*. *Crispino* illi & alium similiter collegam adjungunt loco suo motum *Trajani* in VIo. Consulatu, & Æræ nostræ anno CXIIo. collegam *Africanum*. Sed etiam *Africani* cum certissimis temporum notis *Trajani*

Con-

Consulatu VI°. *T. P. XV.* coæva meminit Inscriptio, quæ tamen 2$^{i}$. Consulatus memoriam nullam habet. Ita sequitur, ut nec ille in hoc anno locum ullum habere possit. Aliud collegæ nomen tradunt *Orfitum*, *Idatius*, Liber *Cuspinianeus* & Auctor Chronici *Alexandrini*. Sed eundem, ni fallor, hominem cum *Africano* designare voluit imperitus hujus nominis Impostor. Est sane Gentis *Corneliæ*, & in ea *Scipionum*, cognomen *Africanus*. Estque in Fastis *Corneliorum Scipionum* cognomen frequentissimum *Orfitus*, seu, ut nonnunquam concipiunt coævæ Insciptiones, *Oreitus*. Videantur Fasti in annis Æræ nostræ LI. CXLIX. CLXV. CLXXIV. CLXXVIII. Sic ergo cum nomen integrum putarent *Cornelium Scipionem Africanum Orfitum*, & unicum, plerunque cognomen, pro more suo, nomen in Fastis referre solerent Fastorum collectores: ita factum existimo, ut alius cognomen *Orfiti* eligeret, alius *Africani*. Utrumque tamen *hoc loco* fictitium est, nec in *Fastos* admittendum. Et quidem hos collegas eo facilius eliminabimus quod nulla eos agnoscat genuina & vetus *Inscriptio*.

VI. *COSS.* anni CX$^{i}$. *Piso* & *Bolanus.*

Itaque anno CX. *COSS.* assignandi sunt *Piso* & *Bolanus* ex Inscriptione *Onuphriana* nota Kalendis *Aprilibus* dedicata. *Bolani* nomen in *Julianum* corrupit *Idatius*, in *Bolenum Prosper*, in *Solenum Victorius*, *Cassiodorus* & *Florentius Wigorniensis*. Quod non observavit tamen *Onuphrius* cum ad fictitium retulit *Orfitum*, eumque propterea *Solenum Orfitum* appellavit. Et quidem *Vectius Bolanus* è [e] *Tacito* & [f] *Statio* notus est, nostræ quoque *Britanniæ* Præ-

e Tacit. *Ann. XV.* 3. *Hist. II.* 65. 97. *Agr. c.* 8. 16. f Stat. *Sylv. ad* Crisp.

ſes, noſtri fortaſſe *Bolani* deceſſor. *Vettium* certe & noſtrum appellatum conſtat è lapide alio quem profert [g] *Lipſius* in quo ita horum COSS. nomina concepta legimus: C. CALPURNIO. PISONE. M. VETTIO. BOLANO. COS. Alius eſt hic lapis ab *Onuphriano*, quique adeo non modo COSS. horum nomina integrius repræſentat quam habet *Onuphrius*, verumetiam aliud iiſdem addit novumque teſtimonium. Quod vero hinc confirmet *Lipſius* gentem *Bolani Vettiam* potius quam *Vectiam* appellandam, eſt quidem illud leviculum. Vetuſtiſſimis nullas fuiſſe literas geminatas ſæpe monet *Feſtus*. Et tamen ante T. addi ſolitam C multa ſunt exempla. Sic multa *mulcta*, Quintus *Quinctus* & inde *Quinctilis*,& ſexcenta id genus alia. Sic gentem *Otaciliam* nominant lapides, quam alii *Ottaciliam* appellant atque *Octaciliam*.Et quidem *Attium* Poetam ſæpe *Actium* appellant Veteres, & gentem ejus nunc *Atiam*, nunc *Attiam*, nunc *Acciam*, nunc denique *Actiam*. Quibus in exemplis è litera *t* geminata alia in *c* mutatur. Sic itaque in *gente*, de qua agimus, *Bolani*, forma antiquiſſima fuerit *Vetia*, tunc *Vettia* etiam & *Vectia*,nec diffitemur in Inſcriptionibus frequentiſſimam eſſe *Vettiam*, ut obſervavit etiam *Aldus Manutius*.Sic *Vettius Valens* paulo recentioris Antiquitatis Aſtrologus. Nec tamen deſunt alterius formæ etiam antiquiſſima in Libris exempla.

VII. *COSS.* anni CXIi. *Servianus* II. & *Fabius Juſtus.*

Supereſt jam annus CXI[us]. in quo ſupplendo nihil juvant fateor hodierni *Faſti*; Juvant tamen fide longe digniores *Inſcriptiones*. COSS. itaque hujus anni fuiſſe exiſtimo *C. Julium Servilium Urſum Servianum II.* & *L. Fabium Juſtum*. Sic enim no-

g Lipſ. *ad* Tac. *Ann. XV.* 3.

mina

mina eorum concipienda esse discimus ex Inscriptionibus. *Servianus* ille est qui sorore *Hadriani* in uxorem ducta *Paulina* frequentes tamen habuit cum *Hadriano* inimicitias. Ter *COS.* fuit, 1°. eodem, ut supra vidimus, anno quo *Prætor* ipse fuit *Hadrianus*, nimirum Æræ nostræ CVII°. 2°. hoc ipso anno CXI°. 3^io^. Imperante tandem *Hadriano*, anno nimirum CXXXIV°. paulo antequam moreretur *Hadrianus*, ab *Hadriano* mori coactus, anno Æræ nostræ CXXXVIII°. cum annum ætatis XC^m^. ageret ipse *Servianus*. Situmque adeo satis commodum habebit hoc anno 2^us^. hic *Serviani* Consulatus. *Fabio* autem *Justo* dicavit *Tacitus* Dialogum elegantissimum de *Oratoribus*. Idem [h] *Plinio* juniori familiaris, sed nondum *Consul.* Hos itaque fuisse in *Consulatu* Collegas duæ *Onuphrianæ* in hoc anno testantur *Inscriptiones*.

VIII. Hi *COSS.* erant hoc ipso *anno*.

Esto (inquietis) fuerint illi *Collegæ*; unde tamen colliges huic anno esse assignandos? Nempe ex *Onuphriana* altera Inscriptione, ut nec ipse quoque hunc eorundem situm neget *Onuphrius*. Ibi enim ex altera lapidis parte legitur *Trajani T. P. XIV.* à tergo vero hi ipsi *COSS.* cum Kal. *Martiis* conjuncti. Cœpit fateor T. P. Trajani XIV. anno superiori, mense *Octobri*. Sed cum Kalendæ Martiæ conjunctæ leguntur, non alia *Tribunitiæ Potestatis* XIV^æ^. pars intelligi potest quam quæ in hunc ipsum Æræ nostræ annum incurrit CXI^m^.

IX. Et quidem *ordinarii*.

Id quoque verum fuerit; Quid tamen obstabit quo minus pro *suffectis* habeantur, ut habuit *Onuphrius*? Quod quidem pro *suffectis* habuerit *Onuphrius*, id proculdubio fecit Fastorum hodiernorum, in quo nul-

*h* Plin. *l.* 5. 11.

li memorantur, adeo conſentienti Teſtimonio perſtrictus. Aliter fuiſſet, erat certe, in his ipſis quas dedit Inſcriptionibus, cur merito dubitaret potuerintne eſſe *ſuffecti.* Imo potius cur ne dubitaret quidem quin fuerint Ordinarii. Duas habet ille noſtris hiſce, de quibus agimus, *Conſulibus* inſignitas, aliam Kalendis *Martiis*, aliam III. Id. *Octobris.* [i] Atqui tanto menſium intervallo *Conſules ſuffectos* nullos unquam legimus. Erat ille quidem Magiſtratus, pro Principum arbitrio brevis, ut nonnullos *dierum*, nonnullos *horarum* Conſules legamus. Sed ubi nullum erat à Principe impedimentum, utplurimum *bimeſtres. Semeſtres* fateor fuiſſe aliquando *COSS.* Sed *Ordinarios* potius, quam *ſuffectos.* Sed ad Kalendas uſque *Julias*, vel inde, ſi ſuffecti unquam *ſemeſtres* fuerint, quod vix puto, Magiſtratum inchoantes. Qui autem *ſemeſtrem* Conſulatum poſt menſem quidem *Januarium*, & tamen ante *Julium* cœperit, nemo unquam dabit, opinor, e bonis probatiſque monimentis exemplum. Tantum abeſt ut *octimeſtres* unquam fuerint, nec anni *initio* Magiſtratum ineuntes, aut *fine* terminantes, quales noſtros fuiſſe neceſſe eſt, ſi quidem fuerint *ſuffecti.* Plane *Ordinarios* fuiſſe neceſſe eſt quibus res geſtæ deſignantur tanto invicem intervallo diſſitæ. Imo nec *K. Martiis* adhuc inire ſolebant Magiſtratum Conſules *Ordinariorum* loco *ſuffecti.* Ita Kalendarium [k] *Sylvii* editum à Bollando: *XI. K. Maii. Nat. Urb. Rom. COSS. Ordinarii faſces deponunt.* Inde factum exiſtimo quod *Principum Conſulatus* legamus, nonnunquam *ſemeſtres*, nonnunquam *quadrimeſtres*, quoties nimirum legiti-

i *Habet etiam* Gruterus 175. 10. è Smetio 190. 6, 1083. 19. *ut in* Onuphrio. k Bolland. *Præf. p.* 44.

ma

ma *Consulum Ordinariorum* tempora explere volebant. Alioqui post paucos dies plerunque abdicabant, *suffecto* in suum locum collega singulari. *Binos* COSS. collegas *suffectos* ante *Palilia* uno eodemque tempore vix puto unquam legimus. Hæc sane disciplina vigebat etiam in Principibus *Suetonianis*, non modo ante *Sylvium*, verum etiam ante *Hadrianum*. Non sunt facile de *suffectis* intelligendi *COSS.* Inscriptionum integrarum, præsertim ubi nihil monent (quod faciunt nonnunquam sculptores) velintne de *suffectis* intelligi. Aliter fiet certum ut tempus nullum illæ designent Inscriptiones. Id quod facile intelligebant ipsi Inscriptionum Auctores, his præsertim temporibus de quibus nos impræsentiarum agimus, cum nulli scilicet publicarentur ex Archivis *suffectorum COSS.* Fasti. Sed & locus Inscriptionum considerandus est, quem utinam edidisset Onuphrius. *Suffectos* enim *COSS.* ægre extra *Italiam* innotuisse testis est [l] *Dio.* Inde fiet ut *Provinciarum* Inscriptiones non sint facile de *COSS.* aliis intelligendæ præterquam *Ordinariis.* Est & illud observandum, quoties ad *Legum* formas, quod sæpe accidit, aptantur illa lapidum monumenta, non utique de aliis *COSS.* capienda quam de illis, quos præcipiunt *Leges*, non utique *suffectis*, sed duntaxat *Ordinariis.* Sed vero *Senatusconsulta* aliquoties *COSS. Suffectis* quorum *Relatione* fuerant à *Senatu* decreta, consignata observavimus. Fateor tamen nihil facere ad illam quam jam agimus causam nostram illam Observationem, alioqui utilissimam. Sic itaque *Fastis* ad VI$^{m}$. usque *Trajani* Consulatum, annumque Æræ nostræ

*l* Dio *L. XLVIII.*

*Christianæ* CXII^m. emendatis, ad nostrum jam redeamus *Hadrianum*, primumque ejus quem diximus *Consulatum*.

X. Collegam *Hadriani* in Consulatu *Publilium Celsum*, nullo Auctore, facit *Onuphrius*.

Collegam *Hadriani* in Consulatu *Publilium Celsum* facit *Onuphrius*, ut ex *Dione* (inquit) *Ælio Spartiano*, & *Plinii Epistolis intelligitur*. Utinam id intelligi posset. Sed Collegam *Hadriani* quis fuerit nemo horum prodidit. Id unum è *Dione* colligitur & *Spartiano*, fuisse Consulem *Hadrianum*; *Celsi* Consulatus in quem annum inciderit, nihil dicunt unde posset intelligi. Sic & *Hadriani Consulis* nullus unquam meminit *Plinius*, ne quidem fueritne ullus *Hadrianus*. Sed nec illud, fueritne hoc anno Consul *Celsus* quem nos *Hadriano* assignavimus. Dubito sane an meminisse potuerit, quod certe admodum dubitem hunc annum Æræ nostræ CIX^m. attigeritne ipse *Plinius*. Habet quidem *Celsum* Prætorem [m] *Plinius* eodem anno quo *Prætor* etiam erat *Licinius Nepos*, & quo *Vareni* Proconsulis caussam egit ipse *Plinius*, & quo Consul designatus erat *Acilius* [n] *Rufus*. *Acilium Rufum* COS. *suffectum* anno CII°. reponit *Onuphrius*. Nescio quam recte. Sic *Prætor* illius anni *Celsus* Consulatum petere potuerit anno CV°. diu ante nostrum *Hadrianum*. Sed *Celsus* ille, non *Publilius* erat, sed *Juventius*, cujus 2^us. Consulatus sub ipso *Hadriano* erat, anno Æræ nostræ CXXIX°. Verba *Plinii* sunt: [o] *Jubentius quidem Celsus Prætor tanquam emendatorem Senatus, & multis & vehementer increpuit*. Sed reponendum *Juventius*. Scripserat Librarius *Jubentius*, pro more Seculi, ut concipitur hodieque

[m] Plin. *VI*. 5. [n] *ib*. *V*. 24. [o] *VI*. 5.

in

in Pandectis L. V. Tit. 3. Est quidem *Publilius Celsus* II. COS. anno cxiii°. ut ex Inscriptione constat & Fastis. Sic erit Consulatus ejus prior in priorem aliquem annum conferendus. Quo fuerit referendus non constat, quia erat duntaxat designatus. Sed *Plinianos* COSS. *designatos* omnes ita pro arbitratu suo conjecturisque digessit *Onuphrius*; ut proinde non sit quod admodum fidamus *Onuphrianæ* horum temporum dispositioni.

Sequuntur verba *Spartiani*:

XI. *Sura* hoc anno cix *Hadriano*, ut videtur, COS. mortuus.

*In quo Magistratu, ut à Sura comperit adoptandum se à Trajano esse, ab amicis Trajani contemni desiit ac negligi. Et defuncto quidem Sura, Trajani ei familiaritas crevit, causa præcipue Orationum quas pro Imperatore dictaverat.*] Inde constat ad hunc usque *Hadriani* nostri *Consulatum* vixisse *Suram* in *Trajani* Historia celeberrimum, quem tamen *obiisse* certum est ante ann. cxii^m. quo *Parthicam Trajanus* suscepit Expeditionem, quod è *Dione* satis manifestum est. Medio itaque tempore illum obiisse necesse est. Ego hoc ipso *Hadriani* suffecto *Consulatu* defunctum arbitror, & *moribundum* adeo *Suram* hoc significasse *Hadriano*. Tanta erat ipsius, dum viveret, *Suræ* apud *Trajanum gratia*, tanta ad successionem *merita*, tam alienus, exemplo *Nervæ*, *Trajanus* ipse à nominandis ad successionem illis qui se cognationis aliqua propinquitate contigissent, ut nesciam fueritne de alio Imperii successore quam *Sura* ipso cogitandum. Sed nec ipsum *Suram*, nisi *moribundum*, quæ princeps profiteri nollet, ea aperte patefecisse consentaneum erat. Sed simili exemplo,

COS.

COS. *Hirtius Augusto* moribundus arcana revelavit. Et quidem arcana erat *Suræ* illa indicatio, ut ne quidem innotescere potuerit amicis *Trajani*, *Hadriano* subinfensis, ni *factis* potius quam his ipsius *verbis*, Aulicis innotuisset. Aliter fuisset, non fuissent tot aliæ Historicorum à *Spartiano* ipso recensitæ Traditiones. Alii *Neratium* [p] *Priscum* Jurisconsultum à *Trajano* potius adoptandum censuerunt, "*alii Trajanum in animo* "*id habuisse, ut exemplo Alexandri Macedonis, sine* "*certo Successore moreretur: multi ad Senatum eum* "*Orationem voluisse mittere, petiturum ut siquid ei* "*evenisset, Principem Romanæ Reip. Senatus daret,* "*additis duntaxat nominibus, ex quibus optimum idem* "*Senatus eligeret.* Nec deerant qui omnem illam *Hadriani* Adoptionem suspectam haberent. Non certe tam diversæ invicem fuissent de Successione sententiæ, si quidem *testibus* adhibitis *Sura*, quid vellet *Trajanus Hadriano* indicasset. Nondum certe in *Adoptionis sponsionem* venit, nisi *Palma* & *Celso* in suspicionem affectatæ tyrannidis lapsis, si recte locum interpretatus fuerit *Salmasius*; ut nempe *Trajanus* ipse Adoptionem spoponderit; quam certe interpretationem ego veriorem puto. *Casaubonus* ita locum intelligit quasi ipse cum *Palma* & *Celso* contenderit *Hadrianus*, non certe de re certa & palam nota. Antea gradus recensuerat *Spartianus* quibus ad Successionis *spem* erectus *Hadrianus* est, omnes incertiores. Nuncius de morte *Nervæ fuit* (inquit noster) *in amore Trajani.* Postea *Præsumtionem* habuit Imperii mox futuri ex Oraculo *Jovis Nicephorii;* (de hoc tamen infra opportunius) Tum *suffragante* hoc ipso *Sura* ad amicitiam Trajani pleniorem

*p c.* 4.

rediit.

rediit. Secundo Bello *Dacico adamante gemma quam Trajanus à Nerva acceperat* donatus, *ad spem Successionis* (inquit noster) *erectus est.* Jam tandem *post mortem Suræ crevit Trajani familiaritas.* Sed *sponsio* illa *Adoptionis* non erat ante Expeditionem *Parthicam* anno CXII°. imo non ante *Celsi* Consulatum anno CXIII°. *Totam Adoptionis præsumptionem* ne quidem ante *Consulatum* 2^m^. *designatum emeruit.* Ita constat incertam apud alios fuisse hanc totam Adoptionis expectationem. Unde itaque cognovit *Spartianus* hoc *Hadriani* arcanum, quod reliqui omnes ignorarint Historici? Nempe ex ipso *Arcanorum suorum* conscio *Hadriano*, cujus *vitam* ab oculos habuit à seipso conscriptam. Unde infensi illi *Hadriano* Amici *Trajani*? Non certe aliunde quam è *signis* crescentis indies Amicitiæ, cum in locum *Suræ* successisse viderent *Hadrianum*, quod nisi *Sura* mortuo non contigit. Verba certe illa quæ dixerat arcana *Sura*, omnino nosse non poterant. Cum ergo ex illo usque tempore *Hadrianum* contemnere desinerent ac negligere; facile inde colligimus verbis illis *Suram* non *diu* fuisse superstitem.

XII. *Hadriani inimici* quinam.

Erant autem *Amici* illi *Trajani*, nostro autem infensi *Hadriano*, imprimis *Palma* & *Celsus* quos *semper inimicos* appellat noster. *Tum* & sororis maritus *Servianus*, quem in multis adversum expertus est. Hos certe postea jam Princeps interfecit. Forte *Nigrinus* etiam & *Lusius Quietus Trajano* gratissimi & ab *Hadriano* similiter interfecti. Hos illum dicit *contemnere* desiisse ac *negligere*. Non *negligebant* qui illum *officiis* demereri conati sunt. Non *contemnebant* etiam semper inimici *Palma* & *Celsus*,

*Celſus* majori ſtudio, contentioribuſque viribus, illum *oppugnandum* deinde cenſentes.

XI. Paludem *Pomptinam* ſtravit *Trajanus* anno CXI.

Κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους τά τε ἕλη τὰ Ποντικὰ ὡδοποίησε λίθῳ· de *Trajano* inquit *Dio*. Hæc eadem verba cum ſequentibus necti poſſunt de morte *Suræ*, quam etiam cum antecedentibus, de reditu *Trajani* & triumpho de Bello *Dacico* II°. Ita nimirum ut uno eodemque tempore hæc omnia contigerint. Nempe de Palude *Pontina*, quam *Pomptinam* alii appellant à *Pometia* ſcilicet, lapideis operis munita. *Viarum* enim etiam *publicarum* cura gloriam captabant illorum quoque temporum Principes. *Viam Domitianeam* à *Domitiano* ita reſtauratam memorat *Statius*. Et amicum ſuum, viis publicis ab hoc ipſo *Trajano* præfectum *Plinius*. Ut itaque mox reverſus à Bello *Dacico* II°. manum huic operi admoverit *Trajanus*, non tamen abſolvit niſi poſt aliquot annos. Habet enim *Grevius* noſter V. Cl. ediditque, de hoc ipſo opere, in Libro de *Pede Romano* à Collectoribus Inſcriptionum, prætermiſſam Inſcriptionem temporis nota inſignitam. Sic autem habet:

X.

IMP. CAESAR DIVI NERVAE FILIUS NERVA TRAJANUS AUG. GERMANICUS DACICUS PONTIF. MAX. TRIB. POT. XIIII. IMP. VI. COS. V. P. P. XVIII. SILICE SUA PECUNIA STRAVIT. LIII.

Lapis hic, ni fallor, *milliarenſis* erat, quales in aliis quoque *viis publicis* multi paſſim reperiuntur. *T. P. XIIII*[a]. maxima ex parte in annum incurrit CXI[m]. quo abſolverit dedicaveritque opus ante aliquot annos inchoatum. Sic & *columnam Trajani* hoc medio ante expeditionem *Parthicam* tempore ſtructam

structam ait Dio, quæ tamen *T. P. XVII.* insignita hodieque conspicitur, anno nimirum Ær. nostræ *Christianæ* CXIV°. Extat autem hæc Inscriptio *Greviana Terracinæ* quam *Pontinæ* paludi tribuit [q] *Festus*, ne proinde dubitemus quin de hoc ipse opere *Dioniano* intelligenda sit. Hinc etiam intelligimus, quod nondum tamen observasse videntur Eruditi, quid fecerit *Trajanus* quod non in hac eadem causa fecerit *Augustus*. *Cursum publicum* instituit *Augustus*; *vias* noster *publicas* duntaxat instauravit. Hæc nempe est *Dioniana* illa ὁδοποίησις. Quod enim hic in *palude Pomptina* fecit, id postea illum per feras gentes ab usque *Pontico mari* ad *Galliam* fecisse è *Victore* discimus *Schottiano*. Eo tamen discrimine quod hanc *viam* in *Palude Pontina suis* restauraverit impensis, reliquas fortasse *publicis* victarum gentium manubiis. Solebant enim id genus *publicis* Urbis decoribus impendi illæ *manubiæ*, *Ædibus Sacris*, *Signis*, *Foris*, *Porticibus*, *Aquæductibus*, *Viisque* adeo *publicis*. Multa horum exempla passim in *Romana* occurrunt Historia. *Manubiarum* autem nomine, non *prædam* intelligebant ipsam, sed redactam potius è Prædæ divenditæ pretio *Pecuniam*. Quanquam illud incertum sit *viamne* illam per *feras gentes*, nondum ab *Augusto* devictas, à *Pontico mari* ad *Galliam* fecerit *Augustus*.

q Fest. *Pont. trib.*

*Præ-*

# *Prælectio* XV. *ad Spart.* Hadrian.

OCT. 30. 1691.

## *Fasti* Consulares *ab ann.* Domini CXII. *ad* CXVII. *restaurati.*

Plotinæ *bona in* Hadrianum *officia, illiusque in eam viceversa* gratitudo. §. I. *De* legatione *Hadriani* Syriaca *destinata.* §. II. COSS. *anni CXII* i. Trajanus *VI. &* Julius Africanus. *Trajanus* Athenis. §. III. *Hoc eodem* anno *venit* Trajanus *in* Armeniam. §. IV. *Ibidemque* hyemavit. §. V. COSS. *anni CXIII* i. Celsus *II. &* Crispinus. Mesopotamiam *&* Arabiam *vicit* Trajanus. §. VI. COSS. *anni CXIV* i. Pedo *&* Messalla. §. VII. *Hoc anno,* prioris *Belli* Parthici *fine,* Antiochiam *redit* Trajanus. §. VIII. *Pro Chronologia* Antiochena *Trajanus anno CIX*o. *in* Orientem *venerit.* Terræmotus *autem* Antiochenus *contigerit anno CXI* o. §. IX. *Ea tamen Chronologia* vera *esse vix potest.* §. X. COSS. *anni CXV* i. Q. Ninnius Ilasta *&* P. Manilius Vopiscus. Assyria *victa* Imp. VIII. *appellatus* Trajanus. *Forte etiam victa* Palæstina. §. XI. *Hoc anno* Imp. IX. *& forte* Parthicus. *Victa* Babylonia *&* Chaldæa, *&c. Defectio.* §. XII. COSS. *anni CXVI* i. Ælianus *&* Vetus. *Defectio* Judæorum. §. XIII. Judæi Mesopotameni *victi a* Lusio Quieto, *&* Nisibis. Seleucia *capta ab* Erucio Claro. §. XIV. *Trajanus* Imp. X. *forte de* Rege Parthis *dato.* §. XV. COSS. *anni CXVII.* Niger *&* Apronianus. Hadrianus *hoc anno* Syriæ *præfectus.* §. XVI.

Spart. *vit. Hadrian. c.* 4.

I *Plotinæ* bona in *Hadrianum* officia, illiusq; in eam viceversa *gratitudo*

USus *Plotinæ quoque favore, cujus studio etiam legatus, Expeditionis Parthicæ tempore destinatus est.*] *Plotinæ* officia multa expertus est *Hadrianus*. Cum *Sabinam* neptem, per sororem, *Trajani* uxorem duceret, favente id *Plotina,*

*tina*, factum ait *Spartianus*. Eidem hanc tribuit, ut videmus, *Syriæ* legationem; Eidem 2m. *Consulatum*; Imo eidem *Adoptionem* Successionemque in *Imperio*, non modo *Spartianus*, sed proximus hisce temporibus *Dionis* pater *Apronianus*. Ἐρωτικὴ φιλία hæc tribuit officia *Dio*. Quod tamen aliter quam oportet intelligendum non est de fœmina prudentissima pariter ac continentissima, tantoque viro *Trajano* dignissima. Quæcunque autem fuerit ἐρωτικὴ φιλία, erat sane *Hadriano* grata *Plotinæ* memoria. *Consecratam* factamque *Divam* ostendunt cusi sub illo *numi*. *Basilicam* etiam *Nemausi* in honorem ejus à nostro *Hadriano opere mirabili extructam* noster testatur [a] *Spartianus*. Fieri quidem potest ut *Palatium* illa fuerit *Basilica*, qualia multa *Augustorum* nominibus appellata memorant *Notitiæ* præsertim *Urbis Constantinopolitanæ*. Sed *Templum* dicit *Plotinæ Hadrianum* extruxisse [b] *Dio*; *Nemausi* autem, an alibi, extruxerit, hoc sane non dicit. Et quidem juniorum *Augustarum* memoriis & *Templa* legimus dicata, & Sacerdotum *muliebria* Collegia. Præsertim in *Faustinis*, quæ proximæ erant his *Hadriani*, de quibus agimus, temporibus. His enim suæ cuique erant *Puellæ Faustinianæ*. *Plotinianarum Puellarum* quæ meminerint, nulla sunt, quod quidem sciam, veterum monumenta. Addit præterea *Dio* per *novem dies* audita ejus morte *atratum* fuisse. Et quidem *novendialia* Sacra satis utique frequentia occurrunt in Portentorum expiationibus, non *novem* fortasse *dierum*, sed *octo*. *Nundinarum* nimirum integrarum, ita propterea appellari solitarum quod *novo* demum *die* redirent. Et [c] *hymnos*

*a* Spart. *Adrian. c.* 12. *b* Dio *Xiphil.* *c* Dio *il.*

etiam in *Plotinam* fecit *Hadrianus*. Spectabant nimirum ad *Divæ* honorem illi *hymni* à *Puellis* fortaſſe *Plotinianis* decantandi. Nec enim *alios* honore illo celebrant, quos habemus, *Hymnographi*, *Homerus*, Pſeudo-*Orpheus*, *Callimachus*, *Dionyſius*. Inde quod *Carmen* Chriſto cecinerint Primævi *Chriſtiani*, hoc illi quaſi *Deo* factum interpretatur [d] *Plinius*. Verba illa *Plinii*, *carmen dicere*, Euſebius *Græce* reddidit ὑμνεῖν. Et ex illis ipſis in *Chriſti* honorem *hymnis* Chriſti *Divinum* honorem colligit vetus Auctor Anonymus adverſus Hæreſim [e] *Artemonis*. Sic etiam *Epiphanes* à *Carpocratianis* pro *Deo* cultus, libationibus proinde, atque Sacrificiis, [f] *hymniſque* honoratus eſt.

II. De *legatione* Hadriani Syriaca deſtinata.

Ea vero *legatio* non alia proculdubio erat quàm *Syriæ* illa quam Expeditionis illius tempore *Hadriano* contigiſſe teſtis eſt *Dio*. Non tamen certum *tempus* deſignant verba illa, *Expeditionis Parthicæ tempore*; ſed de initio, medio, aut fine *Expeditionis* illius intelligi poſſunt. Quanquam ſi *initium* vellet *Spartianus*, non tamen neceſſario *legatum* jam factum, ſed de eo qui *futurus* eſſet legatus, intelligi poſſet vox illa *deſtinatus*. Ita *COSS.* *deſignatos* in *Inſcriptionibus* ſæpe *deſtinatos* appellatos obſervavimus. Ut tamen ſenſum illum *neceſſario* non deſignet, poteſt nihilominus ſatis commode illum quoque ſenſum, pro illius Sæculi uſu, *ferre*, ut legationis Jure *fruentem* indicet. Ita *mitti* dicuntur Provinciarum *Præſides*. Sic enim vocem πεμπομένοις 1 *Pet.* II. 14. & quidem recte, interpretatur Cl. *Hammondus*. Et vocem *deſtino* per πέμπω, ἐξαποστέλλω, ἀποστέλλω reddunt *Caroli Lab-*

*d* Plin. *X. Ep.* 97. *e ap.* Euſ. *H. E. V.* *f* Clem. Al. *Strom. III.* Epiphan.

*bæi*

*bæi* Latino-Græca Gloſſaria. Sed nihil fateor certum ex hac voce colligi poſſe, num *factus* fuerit, an *deſtinatus* duntaxat, legatus *Hadrianus*. Sic facile pervertunt Criticos vocum uſus horum in barbariem degenerantium temporum Scriptores. *Secundo Conſulem favore Plotinæ factum totam præſumptionem Adoptionis emeruiſſe* idem ait Spartianus. Quod tamen intelligatur oportet de *Conſulatu* duntaxat *deſignato*: Geſſit enim *Conſulatum* illum Hadrianus jam *Imperator*, jam certe ultra *Adoptionis præſumptionem* conſtitutus. Qui itaque *deſignatum* Conſulem *factum* dicit, quidni idem *deſtinatum* legatum etiam *factum* intellexerit? Et tamen certum eſt Expeditionis *Parthicæ initio* nondum *legatum* eſſe factum *Hadrianum*. Idque etiam obſervavit rectiſſime *Caſaubonus*. Sed quia rem *Chronologicam*, quod non fecit ille, nos præcipue excolendam ſuſcepimus: Age reliquos *Trajani* Faſtos, & res *geſtas*, pro virili diſponamus. Ita enim intelligetur quo tempore, non illa modo *legatio*, ſed res etiam *geſtæ* aliæ *Hadriani* collocandæ ſint.

III. *COSS.* anni CXIII. *Trajanus* VI. & *Julius Africanus*. Trajanus *Athenis*.

Sequitur annus CXII$^{us}$. VI$^{o}$. *Trajani* Conſulatu cum collega *Julio Africano* inſignitus. Et quidem ſitum VI$^{i}$. *Trajani* Conſulatus Inſcriptiones faciunt certiſſimum. *T. P.* ejus XIV$^{m}$. cum *Coſ.* ſuperioris anno & Kalendis *Martiis* conjunctam exhibet lapis *Onuphrii*. Inde conſtat priorem *T. P. XV*$^{æ}$. partem iiſdem *COSS*. aſſignandam eſſe; & tamen *T. P. XV*$^{m}$. cum *Conſulatu* Principis VI$^{o}$. alia ejuſdem Inſcriptio conjungit *Onuphrii*. Inde manifeſtum eſt *poſteriorem* hujus *T. P.* partem eſſe quæ cum *Conſulatu* VI$^{o}$. conjungitur, quæ in alium annum quadrare non

poteſt quam CXII[m]. *Julius* ille *Africanus* idem eſſe ſatis commode potuit cum illo *Julii oratoris* itidem *Africani*, qui ſub *Nerone* floruit, nepote, cujus meminit tanquam coævi * *Plinius* junior. Hoc anno Expeditionem *Parthicam* ſuſceptam exiſtimo. Hoc enim VI°. *Trajani* Conſulatu *Numos* habemus *Profectione Auguſti* inſignitos, & *votis ſuſceptis*, & quidem *Fortunæ Reduci*, qui certe alio, quam ad *ultimam* hanc *Trajani* à *Roma* profectionem referri non poſſunt. Hujuſmodi multos habet *Mediobarbus*, temporis tamen nota alia nulla præterquam VI[i]. hujus, uti dixi, *Conſulatus*. Hinc autem illud ſaltem colligitur *ante* VI[m]. Conſulatum Expeditionem illam *Parthicam* ſtatui non poſſe. Addit præterea anni etiam *menſem* (ſiquid tamen habeat è *Domnino* ſuo ſani *Malela*) quo *Trajanus Roma* diſceſſerit. Eum enim fuiſſe dicit Macedonum *Hyperberetæum*, Romanum autem *Octobrem*. Cœpit autem *Antiochenus* Macedonum *Hyperberetæus* ab *Æquinoctio* quod in forma anni Romani *Juliana* tunc à *Colonis Romanis* recepta *Septembris* XXIV°. aſſignari ſolebat, ſic quidem ut pars ejus longe maxima in *Octobrem* incurrerit. Sic autem *Trajani* iter deſcribit *Dio* in Fragmentis *Porphyrogenetæ* περὶ Πρεσβειῶν à *Fulvio Urſino* editis, ut per *Athenas* tranſierit, ibi legationem de *Pace* à *Choſroe* acceperit, cum donis, ea Pacis addita *conditione* ut coronam *Armeniæ Parthamaſiridi* fratris *Pacori* filio, & *Choſroæ* adeo nepoti, concederet *Trajanus*. Archon autem *Athenis* hoc ipſo *Trajani* Conſulatu erat *Hadrianus*, ut nos docet in Libro de Mirabilibus *Phlegon* [g] *Trallianus*. Non certe abſens *Athenis* cum in *Archontem* ele-

* Plin. *VII. Ep. 6.* g Phleg. *de Mir. c. 25.*

ctus est, ut demus alioqui quoad *officium* ab Archonte præstandum, *nomen* illud Archontis fuisse duntaxat honorarium. Ita nimirum ut Archontis *Eponymi* officium præstare possit *Archon* aliquis *suffectus.* Ea præsertim ætate, quemadmodum apud *Romanos Consulum* Ordinariorum locum supplerent Consules *suffecti*, cum alioqui ambo olim tam *Consules* quam *Archontes*, fuissent annui. Ne certe posset à *Trajano* divelli, faciebat officium illud quo, *Sura* mortuo, eum ornatum diximus, *Orationum* pro *Imperatore* dictandarum. In *aula* certe fuisse majorem illam ejus cum *Trajano* familiaritatem, indicat postea *Spartianus.* Quid vero sit in *Aula* esse, pro illorum temporum usu nos alibi ad [h] *Irenæum* explicuimus. Nempe ita, ut in *Comitatu* Principis officium haberet, eoque nomine *stipendium* acciperet & *annonam.* Hæc certe faciebant ut, nisi *commeatu* impetrato, abesse non posset. Quare ubi erat *Hadrianus*, ibi *Trajanum* fuisse necesse est. Ut proinde cum his ipsis *COSS. Athenis* fuerit *Hadrianus*, non sane aliis *COSS. Trajanus* ibidem fuerit, quem aliunde *Athenis* fuisse didicimus. Ita mense *Mæmacterione* vel *Pyanepsione* Comitia *Archontum* habuerint *Athenienses*, si quidem vera de *Parthicæ* Expeditionis *tempore* tradiderit *Malela.* Hinc etiam constat nondum certe *Syriæ* legatum fuisse *Hadrianum.*

IV. Hoc eodem *anno* venit *Trajanus* in *Armeniam.*

Cæterum *Athenis Trajanus* diu morari non potuit. Refutata enim *Chosroæ* legatione, quæ æqua viderentur, se cum in *Syriam* venisset, facturum pollicitus est. Quæ certe verba erant mox *Sy-*

h *Add. ad* Iren. *Diss. III.* §. 10.

*riam*, nulla mora interpoſita, cogitantis. Per *Aſiam*, itaque viz. *Proconſularem* & *Lyciam* genteſque finitimas, *Seluciam*, *Antiochiamque* veniſſe teſtantur Fragmenta *Dionis Vrſiniana*; ibi legationem ab *Augaro Oſroeno* accepiſſe, ſed ingratam. Inde mox in hoſtem moviſſe ait, & capta ſine prælio *Samoſata*. Deinde *Sata* conceſſiſſe quæ tamen rectius cum Ptolemæo & Stephano *Sotala* appellat Dio *Xiphilinianus*. Hic *Anchialum* donis muneraſſe *Heniochorum* & *Machelonum* Regem. Tandem *Elegiam* appuliſſe *Armeniæ* civitatem; Hic *Parthamaſirim* diadema ad *Trajani* pedes poſuiſſe, & tacitum aliquantiſper aſtitiſſe, expectantem nimirum ut à *Trajano* redderētur. Id cum vidiſſent milites *Trajanum* ea occaſione *Imperatorem* ſalutaſſe, cujus tamen *tituli Imperatorii* memoriam nullam in hujus anni Inſcriptionibus mihi compertam fateor. Sed fieri poteſt ut *titulum* illum recuſarit ipſe *Trajanus*, Princeps nimirum *diſciplinæ* Imperatoriæ ſtudioſiſſimus, quod conditioni non ſteterit *Parthamaſiris*. Audita enim militum *acclamatione*, indignari primum *Parthamaſiris* & fugam circumſpicere. Sed ubi ſe ſatellitio *Romano* ſtipatum videt, nec elabi poſſe, eſſe ſibi dixit quæ in ſeceſſu, nec turba conſcia, *Trajanum* vellet. Ductus itaque in *tentorium* ita reſpondet ut quorum cauſa venerat nihil à *Trajano* conſequeretur. Rurſus itaque fugientem retraxit *Trajanus*, & conſcenſo rurſus *Tribunali* juſſit ut quæ vellet ea coram exercitu loqueretur. Hic animo collecto *Parthamaſiris*, non *victum* ſe nec *captivum* dixit eo veniſſe, ſed eodem animo quo olim ad *Neronem Teridates* ut Regnum *Armeniæ* ejus beneficio conſequeretur. Reſpondit *Trajanus Armeniam* ſe nemini conceſſurum, ſed *Populi* eam eſſe *Romani*

& à *Romano Præside* regendam. Ita eum custodia data demisit. Hæc est τιμωρία illa *Dioniana* quam, cum *Ursiniana* nostra *Porphyrogenetæ* Fragmenta non consulerent, perperam intellexerunt viri Maximi *Casaubonus* & *Salmasius*. Hinc autem manifesto constat non *vita*, sed duntaxat *Regno*, multatum esse *Parthamasirim*.

V. Ibidemq; *hyemavit.*

Firmata itaque præsidiis *Armenia*, *Edessam* venit *Trajanus*; & *Augarum*, pulchro filio *Arbaudo* interpellante, in gratiam recipit. *Manno* autem *Arabe* Regulo & *Manisero* fugatis *Singara* urbem recipit per *Lusium Quietum*, ipse interim *Nisibin* & *Batuas* expugnans, quod *prima* hac Expeditione factum testatur *Dio Xiphilinianus*, à quibus captis *Parthicum* appellatum dicit idem *Dio*, *Parthici* titulum addit Inscriptio *Onuphriana P. T. XV.* signata. Et quidem in *Hispania*. Sic anni hujus *medio* hucusque *Trajanum* processisse necesse erit. Aliter non potuit *Hispanis* suis ita tempestive innotescere, ut lapidi inscriberent sub initium *Octobris* quo exiit *Potestas* illa *T. P. XV.* Hoc si verum sit, jam concidet Testimonium illud *Malelæ* de *tempore* Parthicæ Expeditionis, fidemque prorsus nullam merebitur. Frequens autem mentio ejus expectanda est ante captam *Ctesiphontem* quo tempore confirmatam *Parthici* appellationem scribit *Dio*. Sed mihi fateor suspectam esse Inscriptionem illam *Hispanicam*. Et multa sæpe comminiscuntur *Hispani*, & sæpe errant Inscriptionum imperiti descriptores. Potius in *Armenia Trajanum* hyemasse crediderim, & sequenti potius anno Bellum gessisse *Mesapotamenum*, antequam rediret *Antiochiam*.

VI. COSS. anni CXIII. *Celsus* II. & *Crispinus*. *Mesopotamiam* & *Arabiam* vicit *Trajanus*.

Proximo anno CXIII°. COSS. *L. Publilius Celsus II.* & *C. Clodius Crispinus*. Sic enim insigniuntur in coæva Inscriptione *Onuphriana*; ne dubitemus vere fuisse *COSS.* & in Consulatu *collegas*, & 2m. *Celso*, 1m. *Crispino* assignandum esse hoc anno Consulatum. *Crispinus* ille, ni fallor, est, non cujus meminere [i] *Juvenalis* & [k] *Martialis*, verna *Canobicus*, sed potius ille cujus [l] *Statius*, nobili admodum & antiqua familia, & *Vettio Bolano*, è materna fortasse stirpe oriundus. Convenit certe *ætas*. Erat ille, cum scriberet illa *Statius*, ætatis anno XVI°. labente scilicet. Sic enim verba illa *Statii* intelligo:

> *Octonos bis jam tibi circuit orbes*
> *vita.*

Hæc scripsit *Statius* L. Sylv. V. Certe post XVIIm. *Domitiani* Consulatum quem L. IVi. initio celebraverat. Erat is annus Æræ nostræ XCVus. Sic itaque natus fuerit anno LXXX°. ut annum ætatis XVm. expleverit, XVIum. inchoarit anno XCV°. Ita XXXIIIm. & quidem ipsum labentem attigerit hoc ipso anno CXIII°. quem *annum* diximus privatis fuisse *Consularem*. Quæ certe ratio facit ut ne facile illum ab hoc ipso loco divelli patiamur, suffragantibus præsertim Fastis hodiernis omnibus, qui VI°. *Trajani* Consulatui, cujus locus certus est, proximum faciunt. Hoc itaque anno & sequentis initio, reliqua Belli hujus Orientalis primi *Mesopotameni* & *Arabici* perfecerit.

*i* Juven. *Sat. I.* *k* Martial. *VII.* 98. *m* Stat. *Sylv. V.* 2.

VII. *COSS.* CXIV. *Pedo & Messalla.*

Anno autem CXIV°. rursus errant Fasti. Nos quos sequenti tribuunt *COSS.* huic potius anno tribuendos existimamus, *L. Vipstanum Messallam*, & *M. Pedonem Virgilianum.* Idque ex egregia Inscriptione [m] *Gruteriana* confirmamus, in qua legimus hos *COSS.* fuisse post *R. C. ANNO DCCCLXII.* Exarata est illa Inscriptio post tempora saltem *Elagabali*, cum jam ubique recepta esset illa numerandi ratio, qua *Claudius DCCC*^m. U. C. annum celebravit anno Æræ nostræ *XLVII°*. *Pius DCCCC*^m. anno ejusdem Æræ *CXLVII°*. qua etiam paulo postea *Philippus M*^m. anno Æræ nostræ CCXLVII°. observavit. Ut ne dubitemus quin illam numerandi rationem secuti fuerint Inscriptionis Auctores. Ita certe numerant illi quoties aut sibi constant, aut nulla subest verisimilis de descriptorum errore suspicio. *Claudii* Consulatum V^m. cum collega *Cornelio Orfito* ponunt illi anno U. C. 804. qui anno Æræ *Christianæ* vulgaris convenit 51°. *Galerii Trachali*, & *Silii Italici* consulatum anno U. C. 821. assignant Inscriptores qui Æræ nostræ convenit 68°. *Bruttii Præsentis* Consulatum Inscriptores cum collega *A. Junio Rufino* ann U. C. 906. quem anno Æræ *vulg.* 153. tribuunt Fasti accuratissimi. *Q. Sosium Priscum* & *P. Caelium Apollinarem* Inscriptores ann. U. C. 922. quos Fasti optimi anno Æræ. nostræ 169°. *Vespasian.* III. & *Nervam* Inscriptores an. U. C. 824. quos *Fasti* ann. Æræ. nostræ 71°. *C. Bruttium Præsentem* & *Tit. Messiam Extricatum* II. Inscriptores ann. U. C. 970°. quos Fasti anno 217°. *Antoninum* [*Elagabalum* nimirum] II. & *Sacerdot.* II. Inscriptores ann. U. C. 972. quos Fasti ann.

m Grut. 300. 1. à Schotto.

*Clist.* 219. Hæc ſane exempla ſatis oſtendunt quam ſupputandi methodum voluerint in aliis obſervare Inſcriptores, ſi aut Faſti ſani eſſent, aut numeros Inſcriptionis recte deſcripſiſſent Editores. Non ſane invicem conveniunt in eadem illa Inſcriptione repræſentanda *Urſinus* & *Schottus*. Fruſtra itaque cum recepto *Pedonis COS.* ſitu hanc Inſcriptionem nititur conciliare *Baronius* cum anni U. C. 867. pars nulla illi Conſulatui conveniat ſi ita diſponatur; cum vel ex his exemplis facile colligamus annos U. C. eos aſſignaſſe Inſcriptores in quos incidiſſent Conſulum *Ordinariorum* Kalendæ *Januariæ*. Firmat præterea eundem noſtrum *Pedonis* ſitum Auctor alioqui futiliſſimus *Malela*, qui tamen hoc è meliore Auctore accepiſſe videtur quam *Domnino*, quod ait, 2°. demum anno à *Trajani* in *Orientem* adventu contigiſſe *terræ motum* illum *Antiochenum*, quo periiſſe *Pedonem Conſulem* intelligimus è *Dione*. 2m. enim annum, quocunque demum modo numeretur ſuperarit oportet, ſi quidem anno cxv°. *Pedonis* Conſulatus aſſignandus ſit.

VIII. Hoc anno, *prioris* Belli *Parthici* fine, *Antiochiam* redit *Trajanus*.

Et quidem hoc ipſo anno, vel ſuperioris fine, primi hujus Belli *Parthici* finem ponendum arbitror. Id colligo è titulo *Imp. VII.* cujus mentionem hac ipſa *T. P. XVII.* primam reperimus. Sic equidem columna *Trajani* hoc ipſo anno dedicata. Et tamen hac eadem *T. P. XVII*a. *Imp.* titulum duntaxat vIm. exhibet Inſcriptio alia *Gruteriana*. Unde colligitur ſic *T. P. XVII*r. initio non fuiſſe *Imp. VII*°. ut tamen ante ejuſdem *finem* illum etiam ſit titulum conſecutus. Ut autem pro *unico Bello unicus* erat, ut oſtendimus, titulus etiam *Imperatorius* capiendus,

dus, ſic niſi Belli *fine*, *domitis* nimirum (ut ait *Plinius*) *hoſtibus*, non erat accipiendus. Eodemque, ni fallor, tempore titulum etiam *Parthici* nondum confirmatum adeptus eſt. Nec enim is, niſi *Parthis* penitus *devictis* concedendus erat. Primo autem hoc Bello *Meſopotamiam* uſque ad *Tigrim* omnem lucratus eſt. Hoc inde conſtat quod Bellum proximum à *Tigri* trajiciendo auſpicatus ſit. Regionis itaque *Ciſtigritanæ Niſibin* & *Batuas* ultimas expugnavit, quibus nimirum devictis *Parthicum* primo *Dio* teſtatur appellatum. Hac utique *T. P. XVII*[a]. ita mature ut *columnæ* ejus hoc anno dedicatæ poſſet inſcribi. Et quidem hujus anni *initio* nondum *Antiochiam* rediiſſe, exinde colligimus, quod *hyemaſſe* illum *Dio* dicat *Antiochiæ*, χειμάσαι, non ita certe locuturus de eo qui annum præcedentem integrum *Antiochiæ* conſumpſiſſet. Et tamen ſolito *maturius* in *hyberna* conceſſiſſe idem indicat *Dio* quod διατριβὴν, ſeu *moram* ejus memorat ante terræmotum. Διατρίβοντος δὲ αὐτοῦ ἐν Ἀντιοχείᾳ (inquit) σεισμὸς ἐξαίσιος γίνεται. Tempus autem hujus terræmotus habemus ex *Malela Decembris* XIII[m]. poſt *gallicinium* ſi quidem recte, hoc ſaltem in loco, Auctores ſuos excerpſerit *Antiochenos*. Inde intelligimus ad hunc annum, potius quam ſequentem, referendum eſſe *Pedonis*, quem dixi, Conſulatum. *Januarii* ſequentis Conſul *Pedo* eſſe non potuit, qui tam longe aberat à *Roma*. Nec enim veriſimile eſt Principem illum, qui ipſe *abſens* ægre Conſulatum admittebat, hoc idem privatis facile permiſſurum. Sed cum *bimeſtres* eſſent in more Conſulatus, Conſules *Ordinarii*, peracto *Romæ* officio Conſulatus, reliquum annum in *Principis* videntur egiſſe *comitatu*. Ita certe aderat *Valeriano*

*Byzantii*

*Byzantii* in *Persas* proficiſcenti *Conſul* illius anni Ordinarius *Memmius Fuſcus*. Habebant enim, ut ſupra vidimus, ex inſtituto *Alexandri*, concilium *Senatorum* ad *Reſcripta* condenda, proculdubio honoratiſſimorum. Nec dubium eſt ſuo anno honoratiſſimos fuiſſe *Conſules Ordinarios*. Erat tamen Conſtitutio illa *Alexandri* recentior *Trajani* hiſce, de quibus agimus, temporibus. Erat fateor, qua *Senatorum* tantus erat in Principis comitatu *numerus* qui ſatis eſſet ad vim *Senatuſconſultorum* Reſcriptis Imperatoriis addendam. Alioqui, ut *Senatores*, ſaltem aliquos, *comites* haberet, à primis uſque Imperii originibus receptum eſt. Ab eo ſaltem tempore quo Rempublicam, non ſuo proprio, ſed *Senatus Populique Romani* ſaltem, nomine adminiſtrandam ſuſcepit *Auguſtus*, i. e. ab anno ſaltem Urbis *Varroniano* DCCXXVII°. [n] Ab eo uſque tempore xv. Senatores ſortito delegit *ſemeſtres Conſiliarios*. Horum conſilia de *pleriſque maximiſque* rebus audivit, *expeditiora* nimirum cum in *re præſenti* verſarentur, ſimulque *arcanis* celandis ipſa conſulentium *paucitate* tutiora. Et quidem cum *ſorti* conſiliarios ſuos committeret, ne quidem Senatorum reliquorum ſententias defugiſſe viſus eſt, quos etiam deſignaſſe potuit *ſortis* ille caſus omnium æquiſſimus. Nec ſane quicquam hac in cauſa fecit ille quod non paterentur exempla receptiſſima etiam in *Republica liberrima*. Etiam illis temporibus *Pacis* leges *Imperatoribus* permiſſas legimus, quæ quidem *delectis*, hoc ipſo fine, placuiſſent *Senatoribus*. Hujuſmodi multa erant Senatuſconſulta penes Imperatorem relinquentia, ut,

n Dio *L. LIII. p.* 511.

° *si ei videretur, rem integram ad Senatum rejiceret.* Ita Princeps, quo erat quisque *Reip. libertatisque* studiosior, eo magis illum *Senatoriis* hisce *Consiliariis* usum est sane verisimilius. Maxime certe *Trajanum*, qui maxime omnium *Senatus* illam *Populique* gratiam affectavit. Et vero cum *Senatores* erant consiliis adhibendi, illi erant potissimum adhibendi qui jus habebant *Sententiæ* in *Senatu* ipso dicendæ. *Consulares* imprimis, interque illos illi præcipue qui eo ipso tempore *præcipuo* quodam *Consulatus* jure inter *Consulares* eminerent, quales erant *Consules* ipsius anni *Ordinarii.* Inde fortasse *Consulibus Ordinariis* Magistratus erat Romæ sæpe *Semestris*, ut *semestrem*, quæ supererat, anni partem *totam* consiliis Imperatoriis impenderent. Atque ex hoc hujus anni titulo novo Imperatorio *T. P. XVII*[a]. diu ante mensem *Octobrem* ut *Romæ* posset *columnæ* inscribi, firmatur rursus locus quem assignavimus Consulatui *Pedonis.* Eodem enim anno Bello *finito* rediit *Antiochiam*, eodemque rursus quo *Antiochiam* accessit, constat illum fuisse, in quo periit *Consul Pedo*, terræmotum. Firmat præterea, siquid tamen ibi firmum, *Eusebius* in *Chronico* cum anno *Trajani* XVI. hunc apponit terræmotum. A *morte* nimirum *Nervæ* numerat ille, ut faciunt Historici, non à *T. P.* Et pro XVI. anno annum illum universum habet cujus in XVI. annum incidunt Kalendæ *Januariæ.* Ita certe CXIV°. anno conveniet Consulatus ille *Pedonis.*

*n* Liv. *L. XXVI. c.* 16

Sic

IX. Pro Chronologia *Antiochena* Trajanus anno CIX°. in *Orientem* venerit. *Terræ motus* autem *Antiochenus* contigerit anno CXI°.

Sic quidem *noſtram* de *terræmotu*, deque *Pedonis Conſulatu*, ſententiam explicuimus. Eſt autem alia, & antiqua illa, Chronologorum veterum *Antiochenorum*, quæ quia nondum ab Eruditis explicata eſt, & poteſt fortaſſe nonnullam veriſimilitudinem habere, eam proinde explicabo, atque eruditioribus ſubjiciam expendendam. Quarto itaque exeunte, aut Quinto Seculo, cum jam ubique receptæ eſſent *Cyclorum Paſchalium* tabulæ in diverſis Eccleſiis admodum diverſæ, & ab Orbe condito Veteris Teſtamenti Feſtis Paſchalibus inſignitæ ad illud uſque Feſtum quo Dominus *crucifixus* eſt; quo minus otioſa eſſent illa annorum ſpatia, aptabant illa aliis in Hiſtoria univerſa uſibus *Chronologicis*. Et quia admodum diſcrepantes erant *Chronologorum* ſententiæ, proinde inſigniores Eccleſiæ *vetuſtiores* quoſque ſibi ſeligebant *Chronologiæ* duces, ſuæ præſertim, ſi fieri poſſet, Eccleſiæ qui quidem celeberrimi haberentur atque peritiſſimi. Sic Chronologia Paſchalis *Alexandrina* ab *Hippolyto* Martyre derivata, & ab *Aniano Alexandrinis* ſuis commendata; quam quidem *Aniani* operam poſtea *Conſtantinopolitanis* ſuis communicavit *Maximus* Martyr. Ita *Conſtantinopolitanorum* facta eſt, quam proinde ſequitur *Georgius* monachus *Conſtantinopolitanus*, quem *Syncellum* vulgo appellamus. *Hippolytum* eundem Auctorem, *Epiphanium* & *Heronem* ſequi volebant in Paſchali ſua Chronologia *Hieroſolymitani*, ut è *Cyrillo Scythopolitano* colligimus. *Antiocheni Clementem* malebant & *Theophilum* & *Timotheum* ὁμοφωνήσαντας. Hos enim ſequitur *Malela*, *Anaſtaſius* ὁδηγὸς & *Euagrius*. Inde diverſæ

diverſæ illæ Æræ *Mundanæ* in Eccleſiis celeberrimis. Itaque in Chronologia illa *Antiochena Malelæ* menſe *Hyperberetæo* ſive *Octobri* qui in annum Imperii XII$^{m}$. incidit, *Roma* in *Perſas* movit *Trajanus*. Numeretur annus ille à morte *Nervæ*, menſe *Januario* anni CVIII$^{i}$. ſic anni XII$^{i}$. labentis *October* in annum Æræ *Chriſtianæ* conveniet CIX$^{m}$. mox à ſuffecto *Hadriani* Conſulatu, morte autem *Suræ*. Nec abhorrebit à *Trajani* ingenio, ne plus *tribus* annis *Romæ* hæſerit à finito Bello *Dacico* II$^{o}$. priuſquam nova Bella laboreſque ſuſciperet. In *Orientem* appulit, *Seleuciam* ſcilicet *Antiochiæ* navalem, menſe *Syro-Macedonum Appellæo*, ſive *Decembri Romano*. *Antiochiam* ingreſſus *Januarii* ſive *Audynæi* VII. fer. V. hor. diei 4$^{a}$. per auream portam ſive Daphneticam. Ita accurate tempus deſignabant Auctores *Antiocheni*. Sed raro Auctores ſuos ita deſcribit *Malela* ut ſibi invicem conſentiant. Nec convenit cum menſis die *feria* deſcribente *Malela*. Inde terræmotum, quem 3$^{m}$. *Malela* 5$^{m}$. numeravit *Euagrius*, ex iiſdem licet, ut videtur, Auctoribus, 2$^{o}$. poſtquam *Trajanus* in *Orientem* veniſſet anno, dicit contigiſſe *Malela*, *Appellæi* ſeu *Decembris* XIII$^{o}$. feria I$^{a}$. poſt gallicinium. Nec illa abſurde, ſi recte intelligantur. Nec enim ita intelligendus quaſi *Decemb.* XIII$^{us}$. dies in *feriam primam* incidiſſet, ſed, pro more veterum quoties de re *noctu* geſta loquuntur. Quoniam enim *nox*, pro more Veterum, nunc diei *præcedenti* ſolebat, nunc ſequenti accenſeri; proinde Aſtronomi, & qui loqui accurate vellent, ſic *noctem* deſcribere ſolent, ut *duplici* dierum numero eam includant, tam nimirum illius qui eam *præceſſerat*, quam illius etiam qui eam *ſecuturus* erat. Ita fere perpetuo *Ptolemæus*.

Ita ſæpe *Epiphanius* & *Euagrius*. Sic enim intelligenda verba *Euagrii* de proximo terræmotu ſub *Leone*, [p] κυρίας ἐπικαταλαβούσης ἡμέρας. In eo tamen errarunt ambo tam *Malela* quam *Euagrius* quod cum diei duplicis in Autoribus ſuis uſum non intelligerent, proinde alterum prætermiſerint. Recte tamen habebunt ſi invicem alter ex altero ſuppleatur. Ita terræmotum ſub *Leone* anno Æræ noſtræ CCCCLVIII°. *Sept.* XIII°. ponit *Malela*, XIV°. vero *Euagrius* quæ ipſa erat κυρία ἐπικαταλαβοῦσα ἡμέρα. Eo nimirum anno lit. *Dom.* E. Sic & in terræmotu, de quo agimus, *Trajani*, diem duntaxat *præcedentem* deſignavit *Malela* Dec. XIII^m. *feria* autem referenda erat ad diem ſequentem Dec. XIV^m. qui vere erat *Dominicus*, Ann. Æræ *Chriſt.* CXI°. lit. *Dom.* E.

X. Ea tamen Chronologia *vera* eſſe vix poteſt.

Quod vero illum ſub *Trajano* terræmotum anno Æræ *Antiochenæ* CLXIV°. aſſignet *Malela* in eo rurſus ex *Euagrio* corrigendus eſt qui rectius Chronologos ſuos deſcripſit *Antiochenos*. *Euagrius* enim anno ejuſdem Æræ *Antiochenæ* tribuit CLIX°. Atque ita *Euagrium* deſcripſit *Nicephorus Calliſtus*. Ita etiam conveniet cum aliis numeris *Euagrianis*. Illum enim ipſum numerum relinquent 347. ſi è 506 detrahantur, ut præcipit *Euagrius*. Rurſus ex Æra *Antiochena* 159 tollantur (per perpetuam Regulam) anni 48. reliquus erit annus *Domini*, quem diximus, CXI^us. Ita hunc deſignant annum, pro Hypotheſibus *Antiochenis* annus 2^us. à XII°. *Trajani* 347^us. ante terræmotum *Leonis*, & lit. *Dominicalis* ita, uti dixi, explicata; ut plane nullam dubitandi rationem videam quin Chrono-

*p L. II. c.* 12.

logo-

logorum *Antiochenorum* mentem, nondum explicatam, recte fuerim assecutus. Eam itaque, rectene se habeat, aliis relinquo, uti dixi, discutiendam. Si quidem vere *Clementem*, *Alexandrinum* scilicet, & *Theophilum* illum antiquissimum, cujus scriptos in *Autolycum* Libros habemus, *Antiochenum*, Auctores haberent illæ rationes, non essent, fateor, negligendæ. Ego confictas suspicor à recentioribus antiquiorum nomina falsa præ se ferentibus. Certe ne veræ esse possint, sufficiunt impræsentiarum eadem illa Argumenta quibus nostras veras esse probavimus.

XI. *COSS.* anni CXVI. *Q. Ninnius Hasta*, & *P. Manilius Vopiscus. Assyria victa Imp. VIII* appellatus *Trajanus*. Forte etiam victa *Palestina*.

Sequenti anno CXV°. *COSS.* erant, quos superiori anno retulerant Fasti hactenus recepti, *Q. Ninnius*, & *P. Manilius Vopiscus*. Sic enim concipienda constat eorum nomina è duabus Inscriptionibus *Onuphrianis*. E quibus illud etiam intelligimus, *veros* fuisse COSS. nec, quales multi leguntur in Fastis, è Librariorum errore confictos atque supposititios. His itque COSS. gesta *Trajani* subjungamus. Rogatu Patrum militiam repetiisse Auctorem habemus *Victorem Schottianum*. Quod militiam repetiisse dicatur, inde colligimus maximam superionis anni partem, qua res Bellicæ geri solent, desidem illum *Antiochiæ* permansisse, & *novum* fuisse Belli hoc anno gerendi consilium. *Vere* novam hanc Expeditionem suscepisse testis est *Dio*, quem solum habemus gestorum sequentium enarratorem. Naves itaque *Nisibi* factas jam superiori *anno* & *Bello* captæ, itinere terrestri vectas sub *Carduno* monte junxit, & in *Tigrim* immisit. Ita trajecto *Tigri* *Adiabenen* omnem *Assyriæ* *Nino* finitimæ partem in fidem recepit, &

*Arbela* & *Gaugamela* 2ª. *Darii Codomani* clade celeberrima. Ex illo nimirum montium jugo erat mons iste *Cardunus* quos alii *Carduchos*, alii *Gordyæos* appellant; Sacræ vero literæ montes *Ararat*, *Græci* autem earum Interpretes *montes Armeniæ*, Arcæ *Noeticæ* & ipsos quoque memoria celeberrimos. Finitimos illos *Assyriæ* fuisse certo constat 4 *Reg.* XIX. ult. & *Tobiæ Græci* I. 24. Jam certe hanc victoriam *Assyriacam* valde celebrant Numi à nobis superius observati. Ut proinde titulo *Imperatorio* non fuerit indigna. Alium certe, & sibi proprium, Regem habebat *Assyria* non *Arsacidam*, quem *Bebarsapam* appellant Excerpta *Dionis Ursiniana*. Proinde & *Bellum* aliud erat, nec cum *Parthico* confundendum. Id cum hoc anno absolverit, proinde etiam hoc *Imp.* fuerit appellandus. Et quidem admodum opportunè titulum Imperatorium VIIIm. hac *T. P. XVIII.* repræsentant Inscriptiones, *Numi* in *Occone*, *lapidis* in [q] *Grutero.* Et quidem hoc ipso anno accessisse inde colligimus quod cum hac eadem *T. P. XVIII*a. titulus *IMP.* duntaxat *VII*us. legatur *Beneventi* in arcu *Trajani*, teste *Onuphrio.* Est etiam numus à [r] *Scaligero* memoratus, qui *Assyriæ Palæstinam* conjungit in hæc verba: ASSYRIA ET PALÆSTINA IN POTESTAT. P. R. REDAC. S. C. Inde suspicio est, fuisse, eodem tempore quo victa est *Assyria*, nonnullos etiam in *Palæstina* motus, quorum occasione, si minus victa esse, at saltem *Provinciis Romanis* accenseri cœperit ipsa quoque *Palæstina*, jam nempe erumpentibus *Judæorum* tumultibus.

*q* Grut. 190. 7. *r* Scalig. *num.* Euf. 2118.

Re-

XII. Hoc an. *Imp.* IX. & forte *Parthicus*, victa *Babylonia* & *Chaldæa*, &c. *Defectio.*

Redacta itaque in *Provinciæ* formam *Aſſyria* rediit deinde in *Tranſtigritana* *Trajanus*, ad ipſam uſque *Babylonem*. Nec mora, rurſus trajecto *Tigri* *Cteſiphontem* Imperii *Parthici* ſedem occupat, & inde novos honores lucratur. *Imp.* certe hac occaſione appellatum teſtatur diſerte *Dio*. Et quidem tit. *Imp. VIIII.* cum hac eadem *T. P. XVIII*[a]. reperimus in *Occidentis* Inſcriptione apud [f] *Gruterum* & *Onuphrium*. Medio certe anno recentior eſſe vix potuit illa militum in *Oriente* acclamatio ut ejus meminiſſe poſſet *Occidentalis* Inſcriptio *T. P. XVIII*[a]. quæ menſe deſiit *Octobri* exarata. Inde & *Parthici* cognomen confirmatum, cujus in *T. P. XVIIII*[a]. mentio frequentiſſima, hujus nimirum anni *fine*, vel ſequentis ſaltem anni parte *priore*. Ita Numi *Occonis*, & Inſcriptio [t] *Gruteriana*. Sed & *dies ſupplicationum* quot vellet à Senatu decreti. Sic enim *Dio*: νικητήρια ὅσα ἐθελήσει, διεορτάσαι. Hos tamen *dies* & *Parthici* cognomenti *confirmationem* ſub *finem* anni decretos exiſtimo, ante tamen quam audiretur de Provinciarum *defectionibus*. Tum maris *Rubri* videndi deſiderio, ſecundo *Tigri* navigavit *Trajanus*. Maris Rubri nomine ſinum utrumque tam nempe *Perſicum* quam *Arabicum*, complexus eſt, pro veterum more, *Dio*. *Arabici* enim ſinus *Tigris* partem nullam influit. Et quidem uſque ad *Oceanum* navigavit, ut & navem viderit in *Indiam* vela facientem. In oſtio autem *Tigris* magnum illi dicit periculum fuiſſe *Dio* ὑπὸ χειμῶνος, τῆς τε τοῦ Τίγριδος ὀξύτητος, καὶ τῆς τοῦ ὠκεανοῦ ἀναῤῥοίας. Fieri quidem poteſt ut *tempeſtatem* deſignarit vox illa χειμών. Sed eo potius pro-

*f* Grut. 1019. 9. *t* Grut. 248. 2.

pendeo, ut anni tempeſtatem *hyemalem* deſignarit, & ipſam tempeſtatibus obnoxiam. Accenſetur enim, hoc in loco, notæ illi *Tigridis* velocitati, & *Oceani* refluxui, cum alioqui *procellæ* ipſius cauſæ fuiſſent *Tigris* & *Oceanus* potius quam periculi concauſæ. Sic itaque intelligimus ſub anni finem *Babylonem* verſus rediiſſe *Trajanum*. Hac autem navigatione Inſulam *Tigridis Meſſenen* recepit, cum Rege *Athambelo*, ἀπόνως, & *Caſtrum*, in eadem ditione, *Spaſini*. Recepit *Babyloniam* Provinciam & *Chaldæos*. Nec alio referendos exiſtimo numos ita inſcriptos: DE CHALDÆIS SC. Imo recepiſſe crediderim ſita intra *Tigridem* omnia, ut deinde fluvium ipſum poſuerit Imperii terminum. Quinetiam extra *Tigridem*, cum finitima regione *Cteſiphontem*, & partem etiam *Perſidis* meliorem, ut è *Rufo Feſto* diſcimus & *Eutropio*. Imo gentes omnes inter *Indum Euphratemque* ſitas *concuſſas Bello* dicit *Victor Schottianus*. Opportuna voce uſus eſt *concuſſas*, ut nimirum ad illas, non tam *Victoria Trajani*, quam *terror*, pertinuerit. Sed vero in *reditu* defecere gentes ab eo devictæ. Nempe hoc ipſo defeciſſe *anno* arbitror antequam *Trajanus* in *hyberna* rediiſſet. Fidem tamen ſervavit *Athambelus*.

XIII. *COSS*. anni CXVI. *Ælianus* & *Vetus*. Defectio *Judæorum*.

Jam proximi anni CXVI[i]. *COSS*. litem nullam moveo quin iidem fuerint quos illi anno tribuunt Faſti, *Ælianus* & *Vetus*. Nullas habemus, quæ eorum meminerint, coævas *Inſcriptiones*. Meminit quidem *Phlegon* [u] *Trallianus*, verum adeo ille mendoſè, ut nullum inde auxilium lucremur quo illi tempore faſces acceperint, ſeu

[u] Phleg. *Mir*. c. 19.

quibus

quibus aliis nominibus appellarentur. Eſt enim admodum incertum iidemne ſint cum Plinianis *Aemilio Æliano* & *Antiſtio Vetere.* Quare res à *Trajano* his *COSS.* geſtas diſponamus. Diximus ſuperioris anni *fine* defeciſſe plurimis in locis gentes à *Trajano* ſubactas. Harum occaſione captata *Judæi* ipſi quoque pluribus in locis *defecerunt.* Defecerunt in *Ægypto,* duce, ſeu Rege, *Lucua,* vel, ſi *Dionem* audiamus, *Andria*; in *Cypro* duce, ut nos docet *Dio*, *Artemione.* Motus hoſce *Ægyptios* & *Cyrenaicos,* è coævis Autoribus, ipſis eorum, ut dicit, verbis anno *Trajani* XVIII°. attribuit in Hiſtoria [x] *Euſebius.* Nempe annum illum XVIII$^{m}$. à morte *Nervæ* deducunt Hiſtorici, quo pacto hujus anni CXVI$^{i}$. menſe *Januario* exierit. Illo nimirum anno στάσεις fuiſſe dicit, quæ tamen in apertum Bellum non ante annum ſequentem, *Trajani* nempe XIX$^{m}$. eruperint, cujus pars longe maxima huic anno Æræ *Chriſtianæ* accenſenda eſt. Sic *Seditiones* illæ eodem tempore contigerint quo & aliæ illæ, pro noſtris Hypotheſibus, *Dionianæ.* Hujus itaque anni initio, cum *Præfectus* eſſet *Ægypti Luſius,* vincunt primo *Judæi Ægyptios,* qui mox *Alexandriam* confugientes, *Judæos,* qui in ea urbe degebant, captos interfecerunt. Horum igitur auxilio deſtituti *Judæi Cyrenaici Ægyptios* prædationibus ac latrociniis infeſtare, ac Provincias eorum vaſtare inſtiterunt. Hoc anno, ut videtur, affecto, miſſus eo eſt à *Trajano Martius Turbo* cum pedeſtribus ac navalibus copiis, & cum equitatu. Hic πολλαῖς μάχαις ἐν ἐκ ὀλίγῳ τε χρόνῳ (verba ſunt *Euſebii,* vel coævi potius *Trajano,* quo uſus eſt *Euſebius,* ut ipſe ait,

*x* Euſ. *H. E. IV.* 2.

Auctoris) Bello tandem finem imposuit. Non tamen ante annum sequentem, & *finem* adeo *Trajani*. Sic enim, antequam *Antiochia* discederet *Hadrianus* jam Imperator, *Marcium Turbonem*, *Judæis* compressis, ad deprimendum tumultum *Mauritaniæ* ab eo destinatum, noster ait [y] *Spartianus*. Hæc series rerum, sine *Trajani* gestarum in *Ægypto*. Et quidem eidem *Trajani* anno XIX°. hanc notam apponit [z] *Eusebius*: *Salaminam Cypri, interfectis in ea gentilibus, subvertere Judæi*. Inde intelligimus & *Cyprios* quoque *Judæorum* motus, eodem *Trajani* anno XIX°. hoc ipso nimirum *Domini* anno CXVI°. contigisse.

XIV. *Judæi Mesopotameni* victi à *Lusio Quieto*, & *Nisibis*. *Seleucia* capta ab *Erucio Claro*.

Eodem etiam contigere tumultus eorundem *Mesopotameni*. Hoc prælterquam quod eodem *Chronici* loco testetur *Eusebius*, etiam ex *Dione* colligimus. Superioris anni fine contigisse diximus gentium illas nuper victarum *defectiones*. De his certior factus *Trajanus* mittit in *Mesopotamiam* strenuum illum & rei militaris peritissimum, bellatorem *Lusium Quietum*. Eventu adeo felici ut *Nisibin* ab eo captam & *Edessam* fateatur ipse *Dio*, *Trajano* aliqui non adeo, ut ostendi, propitio. Sed vero eodem tempore jam luctabatur cum *Judæis Ægyptiis*, & *Cyrenaicis Marcius Turbo*. Et metus erat ne, eorum exemplo, in incolas similiter insurgerent *Judæi Mesopotameni*. Jussus itaque *Lusius Quietus* ut etiam illos è Provinciæ finibus expelleret. Sed illi jam in armis erant. Proinde acie instructa aggressus ingentem eorum multitudinem interfecit. Hujus victoriæ merito *Judæa* à *Trajano* præ-

y Spart. *Hadr.* c. 5. z Euf. *Chron.*

ficitur.

ficitur. Hæc loco modo memorato H. E. IV. 2. è coævis Autoribus *Eusebius*. Hinc intelligimus & illa quoque Bella *Mesopotamena* à *Dione* memorata, eodem fuisse *anno* quo & turbas illas *Ægyptias* & *Cyrenaicas*, quem XIX^m^. *Trajani* fuisse dicunt boni illi, quos habuit ob oculos *Eusebius*, & fide longe dignissimi, Auctores. Eodem autem tempore quo *Nisibin* expugnavit *Lusius Quietus*, *Seleuciam* expugnavit *Erucius Clarus Plinii* junioris amicus, & *Julius Alexander*, non alio utique quam hoc eodem anno *Trajani* XIX°.

XV. Trajanus *Imp.* X. forte de *Rege Parthis* dato.

Quo porro tempore hæc per *legatos* gessit, non fuit interim otiosus ipse *Trajanus*. Metuebat ille ne harum defectionum occasione uterentur *Parthi* ad res novas moliendas. Venit itaque *Ctesiphontem*, & *Regem* illis imponit ex *Arsacidarum* stirpe *Parthamaspaten*. Fieri potest ut ob Regem *Parthis* datum X^m^. adeptus fuerit titulum *Imperatorium*. Non certe admodum dissimile exemplum erat in *Parthamasiri* quo accepturo coronam *Armeniæ Trajanum* milites *Imperatorem* acclamasse constat è *Dione*. Et vero longe majus fuisset *Parthis* Regem dedisse quam *Armenis*. Sed & aliæ erant hoc anno victoriæ *Cæsarum* numero, cujus rationem habebant in titulis *Imperatoriis*, celeberrimæ quæ titulum eundem mererentur. Merebantur certe vel *Lusii Quieti* illæ, vel *Marcii Turbonis*. Et quidem *Numi* Inscriptionem dedit *Onuphrius*, in qua Tit. *Imp.* legitur X^us^. sed cum *T. P.* fateor, XX. Eam si recte descripserit *Onuphrius*, perperam descriptas fuisse necesse est alias illas *Gruterianas* in quibus cum *T. P. XIX.* legitur titulus *Imp.* XI^us^. Sed male colligit *Onuphrius T. P.* XX. accessisse, nisi aliæ quoque essent ejusdem *T. P.* Inscri-

Inſcriptiones, in quibus *Imp.* IX. duntaxat fuiſſet appellatus. Quanquam ſi Bellis illis *Judaicis* profligatis, ſalutatus fuiſſet, pro more, *Imperator*, non certe ante hujus anni *finem*, aut ſequentis *initium* *Imp.* appellari potuit, præſertim in Inſcriptionibus *Italicis*. Sequitur Expeditio *Trajani* in *Arabes*, non *Agarenos*, ut hoc in loco *Dio*, ſed *Atrenos* potius, ut intelligimus ex ejuſdem *Severo*. *Atreni* aliunde noti inter *Euphratem* & *Tigrim*. Hoc omne Bellum, eodem, quo & reliqua, tempore geſtum, eidem proinde anno erit aſſignandum.

XVI. *COSS.* anni CXVII. *Niger* & *Apronianus.* *Hadrianus* hoc an. *Syriæ* præfectus.

Ultimo *Trajani* anno *Domini* CXVII°. *COSS.* erant *Niger* & *Apronianus*. Horum præter *Faſtos*, meminit etiam *Inſcriptio* in *Phædimum* Trajani libertum à [a] *Scaligero* memorata. Inde conſtat & *vere* illos fuiſſe *COSS.* & vere etiam in Conſulatu *Collegas*. Hoc anno *Luſium Quietum*, ob prioris anni merita, *Palæſtinæ* præfectum arbitror, compoſitis jam *Judæorum* tumultibus. Superioris anni *fine* cœpit ægrotare *Trajanus*. Et tamen ad novam ſe accinxit Expeditionem in *Meſopotamiam*, παρεσκευάζετο αὖθις ἐς τὴν Μεσοποταμίαν στρατεῦσαι. Verba ſunt *Dionis*. Deque eo intelligi videntur qui jam moverit ex *hibernis*. Ut proinde de *novo anno* intelligenda ſit *nova* illa *præparatio*. Id quoque indicat vox αὖθις eoſdem hoſtes aggreſſurum quos fruſtra ſuperiori anno tentaverat; *Atrenos* ſcilicet, ipſos etiam *Meſopotamenos*. Sed morbo ingraveſcente nova cœpit conſilia redeundi in *Italiam*. Et *reditus* initio *Hadrianum Syriæ* præfecit, attributa etiam *Syriæ*, quod ſæpe factum antea, Provincia *Paleſtinæ*. *Luſium* certe *Quietum* quem mox Imperator exarmavit, non *Syriæ* jam, ſed

[a] *Num.* Euſ. 2132.

Maure-

*Mauritaniæ* præfectum memorat *Spartianus*. Hæſit autem hucuſque in comitatu *Hadrianus*, indivulſus *Trajani* à morte *Suræ* comes, propter officium illud dictandarum *Orationum*. Inde factum ut ejus geſta nulla legamus in tot gentium defectionibus, ne quidem *Judæorum*. Sed Bellis illis omnibus feliciter profligatis, ille *pacatæ* jam *Provinciæ* gubernaculum accepit. Atque ex hac tam congrua ſequentium annorum diſpoſitione, illud etiam liquet quam recte nos *terræmotum Antiochenum*, *Pedoniſque Conſulatum*, in anteriora retraxerimus.

---

# *Prælectio* XVI. *ad Spart.* Hadrian.

Nov. 6. 1691.

## *In* Adoptionis *a* Trajano *ſpe quos* æmulos *habuerit*, *&* *quibus demum* gradibus *illos ſuperârit* Hadrianus.

Gradus *quibus aſcenderit ad* Adoptionem Hadrianus *qui cognoſcantur utiliſſimi.* §. I. Domeſticam *rationem habuit* Hadrianus *cur a* Trajano *adhuc* privato *adoptaretur.* §. II. *Quid ſit* haberi pro filio. §. III. *In Succeſſione* Auguſtorum *non ſatis erat ad Adoptionem* cognatio *domeſtica, ni reliqua reſponderent.* §. IV. Æmulum *de* Adoptione *primum* Hadrianus *habuit* Julium Servianum. §. V. *Tum deinde* Neratium Priſcum. §. VI. *Denique* Luſium Quietum. §. VII. *Alii fortaſſe* æmuli. §. VIII. Gradus Hadriani *ad gratiam* Trajani. *Nuptiæ* Sabinæ *anno forte XCIX°. celebratæ.* §. IX. Hadriani Trajano *obſequentis* vinolentia, Omen *in Tribunatu*, gemmæ adamantis *donum, quam fecerint ad ſpem* Adoptionis *&* Imperii. §. X. *Alii* Hadriani *in* Trajani *gratia gradus.* §. XI.

*Spart.* vit. Adrian. *c.* 4.

I. *Gradus* quibus aſcenderit ad *Adoptionem*, *Hadrianus* qui cognoſcantur utiliſſimi.

I*N Adoptionis ſponſionem venit Palma & Celſo inimicis ſemper ſuis, & quos poſtea ipſe inſecutus eſt, in ſuſpicionem affectatæ Tyrannidis lapſis.*] Honores *Hadriani* ſub *Trajano* deceſſoribuſque *Trajani* jam geſtos hactenus oſtendimus, &, pro virili noſtra ſuis quoſque *annis* aſſignavimus. Jam tandem, Academici, ad honorem

honorem accingimur omnium ſummum, ipſum videlicet *Imperium.* Ut nempe doceamus quibus demum *gradibus* ad gradum illum excelſiſſimum in *Trajani* gratia aſcenderit, ut *filium* illum *Trajanus* adſciverit, tandem etiam in *Imperio* pariter ac *Patrimonio* ſucceſſorem. Pertinent enim illa pariter ad Hiſtoriam *Trajani*, & viam ſternunt ad Hiſtoriam *Hadriani.* Suntque etiam in utriuſque Hiſtoria momentoſiſſima, ut intelligamus quam partem habuerit in publicis *Trajani* conſiliis *Hadrianus*; itemque quæ fuerint, ſub Imperatoribus, *Succeſſionis Jura.* Et ſane hæc animadverſione digna noſter etiam cenſuit *Spartianus*, qui variis in locis variam *Hadriani* in *Trajani gratia* fortunam obſervavit. Locos illos omnes hujus, quem in manibus habemus, loci occaſione explicabimus.

II. *Domeſticam* rationem habuit *Hadrianus* cur à *Trajano* adhuc *privato* adoptaretur.

Primus ad Adoptionem gradus erat, *Trajano* adhuc *privato*, Imperante nimirum *Domitiano.* Sic enim ſupra de illo Spartianus: [a] *Quare à Trajano abductus à Patria, & pro filio habitus.* Hæc ille poſt annum *Hadriani* xv^m. Cum nempe *Romam* ſeſe conferret *Trajanus* ad capeſſendum *Conſulatum.* Geſſit Conſulatum illum *Trajanus* anno Æræ noſtræ vulg. xci°. Hoc itaque *primum* futuræ *Adoptionis* indicium edidit *Trajanus.* Erat nimirum ſatis frequens illud, apud *Romanos*, *Avunculorum* officium in *Nepotes.* Sic *Plinium* juniorem *ſororis* filium adoptavit *Plinius* major. Sic *fratris* etiam *Druſi* filium *Germanicum*, *Tiberius* Imperator. Erat quidem paulo remotior *Hadrianus*, avia nimirum *Ulpia Trajani* Princi-

*a* c. 2. *vit.* Adrian.

pis

pis *amita*. Satis tamen erat *aviæ* illa propinquitas ad officium hoc à *Trajano* impetrandum, cum alii nulli essent qui *Trajanum* propiori aliqua necessitudine contingerent. *Patruos* certe & *Avunculos* spectabat, ex *intestato* Pupillorum cura. Verum illos duntaxat è stirpe *paterna*. Hinc apud *Persium* idem valet *sapere Patruos* ac è Patruorum *tutela* excessisse. Idem & in illis observatum qui mente capti *ad agnatos* fuissent relegati atque *Gentiles*, εἰς φράτορας καὶ γεννητὰς, pro sermone *Græcorum*. Sed satis erat etiam è stirpe *materna* oriundis *avunculis*, cognatio illa *domestica* & necessitudo ad officium illud *Adoptionis*, itidem *domesticum*, spontaneum tamen, nec *Lege* aliqua cogente, qualis erat in *Tutela*, præstandum. Ita præter exemplum *Plinii* junioris modo memoratum, sororis *Octaviæ* filium *Marcellum* adoptavit etiam *Augustus*. Nec *proximos* modo *Patruos* verum etiam paulo *remotiores* spectabat illud morum *Romanorum* officium. Præsertim cum *soboles* alia nulla esset vel *necessitudo* conjunctior, cujus in fraudem cessura illa esset *Adoptio*. Nec vero *filium* alium *Trajani* ullum legimus, & ne quidem quenquam qui propiori illum *cognationis* gradu contigerit. Nullum sane vel *Imperii* æmulum qui arctiori *cognationis* vinculo illum fuerit vel æmulatus. Non est itaque quod dubitemus quin *Trajano* adhuc privato, & *domesticis* duntaxat rationibus in examen admissis, *Hadrianus* noster in Patrimonii privati *hæreditate* reliquis omnibus fuerit anteferendus.

III. Quid sit *haberi pro filio*.

Aliud tamen erat, in moribus *Romanis*, *haberi pro filio*; aliud *in filium adoptari*, sive *adrogari*. Haberi *pro filio* affectum duntaxat indicat *paternum*, vel eum saltem in disciplina *domestica* locum qui aliorum

esse

esse non solebat, præterquam *filiorum.* Filius nimirum etiam adscititius, in *nomen* transibat Patris Adoptivi, in *familiam*, in *Sacra*. Inde etiam in *Patrimonium.* Imprimis vero in *ædes* Patris Adoptivi, atque in individuam quandam contubernii vitæque *societatem.* Sic *adoptatus* ab Hadriano [a] *Marcus* in *Hadriani* privatam domum migravit. Idem adoptatus ab [b] *Antonino Pio* in *Tiberianam* domum transgredi jussus est, quam gentis *Aureliæ* fuisse verisimile est. Accepto in domum filio omnia erant pro *arbitrio* Patris agenda; nec unquam, nisi venia ejus impetrata, *abnoctandum.* Sic de eodem Marco noster ita scribit, [c] *per viginti & tres annos in domo Patris ita* fuisse *versatum, ut ejus quotidie amor cresceret, nec præter duas noctes per tot annos ab eo mansisse diversis vicibus.* Imo *emansionis*, & obsequii neglecti pœnam *abdicationem* fuisse, & Leges *Romanæ* agnoscunt, & *Lucianus* in *Abdicato.* Sic intelligimus verba illa filii majoris in Evangelio quibus gloriatur, tot annis se Patri suo *serviviſſe*, nec *Præceptum ejus neglexiſſe*, S. *Luc.* xv.29. Et verba illa, quibus *servi filiique* discrimen illud constituit ipse Dominus, quod *servus non semper in domo maneat, filius autem semper maneat.* S. *Joan.* VIII. 35. Falluntur enim siqui disciplinam illam vel *Pubertate*, vel etiam *adulta* ætate sine *emancipatione* conclusam existimant. *Pubertatem* egressus fuerat, ætatemque *pupillarem*, cum hanc, de qua agimus, Disciplinam subiret *Hadrianus.* Etiam *virilem* ætatem attigit superavitque *Marcus* in *domestica* illa Patris *Adoptivi* Disciplina. Suntque hæc in *moribus Romanis Legibusque* notissima. Et quidem Juri *Ser-*

*a vit. Marc.c.5. b ib.c.5. c ib.c.6. 7.*

*vorum*

*vorum* par erat hoc *filiorum-familias* obſequium. *Hero*, non *ſibi*, dominium acquirebat in Jure *Servus*. Et *Patri* ſimiliter non *ſibi*, tam *Poſſeſſiones*, quam etiam *Actiones*, *filius*. Pariterque ut *Servi*, emebantur per *æs* & *libram* in *Adoptione filii*, pariterque erant & *manu emittendi* atque *emancipandi*. Ita pendebant è *Patrum* nutu *Filii* in diſciplina illa, de qua agimus, domeſtica. Sic δουλείαν officium ſuum appellat *filius* ille, de quo modò, Evangelicus. S. *Luc*. XV. 29. Nec ullum prorſus diſcrimen inter *filium* atque *Servum* agnoſcit Apoſtolus *Gal*. IV. 1. Erat tamen interim filius *hæres* atque *dominus* omnium, è ſententia etiam Apoſtoli. Et ſua omnia ſibi cum *filio* communia fuiſſe agnoſcit *Pater* Evangelicus. S. *Luc*. XV. 31. Præcipue vero individui fere erant vitæ *comites* Parentibus *filii*, *domi* & *militiæ*, etiam in *Senatu*, ad *Papyrium* uſque *Prætextatum*. Ne quidem *currus* excipio, etiam *Triumphales*. Inde & in aliis vitæ negotiis, ſiqui *juniores ſenioribus* inſerviiſſent, nec unquam *abfuiſſent*, illos *filiorum* loco cenſebant veteres. Sic apud *Apoſtolum*, ut *Patri filius*, ita ſervivit *Timotheus* in opere Evangelii. Phil. II. 22. Ita *Conſuli* aut *Prætori filii* locum officiumque ſupplevit *Quæſtor*, teſte [d] *Cicerone*, & *Ciceronis* æmulo [e] *Plinio* juniore. Et quidem (inquit *Plinius*) *more majorum*. Et *majoribus* id acceptum agnoſcit etiam *Cicero*. Nempe propter *domeſticam* illam *Prætoris Quæſtoriſque* conſuetudinem. Hoc itaque voluit, ni fallor, noſter *Spartianus* dum *filii* loco habitum teſtatur *Hadrianum*: Nondum quidem per *Adoptionem Adrogationemve* legitimam in *familiam* admiſſum, ea tamen *benevolentiæ* ſignificatione cul-

d Cicer. *Verrin*. e Plin. *IV*. *Ep*. 15.

tum

tum qua solebant *filii* legitimi, quasi *Adoptionis* futuræ Candidatum. Factum nimirum arctioris illius & domesticæ consuetudinis compotem, eaque fuisse in domestica *Trajani* bona Auctoritate qua solebant *filii-familias.* Quod enim dixit noster *pro filio habitum*, id ita extulit [f] *Dio* τό, τι σύμπαν συνῆν αὐτῷ καὶ συνδιῃτᾶτο, recte observante *Casaubono.* Et quidem de eodem *Trajani* adhuc *privati* tempore observavit ista *Dio*, mox à *Tutela*, de quo etiam loquitur noster *Spartianus.* Nec sane licuit *Tutori*, per Leges *Romanas*, *Pupillum* adoptare, ante *Tutelam* expletam, redditasque Tutelæ *rationes.* Sed *privata* duntaxat *Trajani* Sacra spectasset illa, siqua unquam intercessisset, *Adoptio*, nihil quicquam cum *Imperio* commune habitura.

IV. In Successione *Augustorum* non satis erat *cognatio* domestica, ni reliqua responderent.

Sed vero *Trajanus* jam factus *Imperator* majora cogitabat omnia. [g] Optimorum ille Principum æmulus nihil jam *domesticis* tribuendum censuit affectibus, ni etiam reliqua responderent. Et sane ita se res habuerat ab initio Imperii usque ad tempora *Trajani*, non ut *proximus* quisque sanguine in Imperio succederet, sed quem ipse qui rerum potitus esset *dignissimum* Imperio judicasset. Ita *Agrippam Posthumum Tiberio* postposuit *Augustus.* Ita *Tiberium* suum *Caio* ipse *Tiberius.* Ita *Britannicum* suum *Neroni Claudius.* Hucusque *delectus* quidem hæres, sed è *domo* tamen Imperatoria. Sed ne quidem id necessarium fuisse ostendunt verba *Galbæ* apud *Tacitum Pisonem* adoptantis. [h] *Augustus* (inquit) *in domo Successorem quæsivit; Ego, in Rep. Non quia*

f Dio *ap.* Xiphilin. g *vid.* Casaub. *in c.* 4. h *ap.* Tacit. *Hist.* I. 15.

pro-

*propinquos aut ſocios Belli non habeam: Sed neque ipſe Imperium ambitione accepi, & Judicii mei documentum ſint, non meæ tantum neceſſitudines, quas tibi poſtpoſui, ſed & tuæ.* Idem iterum: [i] *Sub Tiberio, & Caio & Claudio unius familiæ quaſi hæreditas fuimus; loco libertatis erit quod eligi cœpimus. Et finita Juliorum Claudiorumque domo, optimum quemque Adoptio inveniet.* Videmus *libertatis* argumento fuiſſe liberrimum illum Succeſſoris è domo Reip. *quacunque* delectum. Ita conſentaneum erat placuiſſe rationem illam illis præſertim Principibus qui eſſent *Reip. libertatiſque* ſtudioſiſſimi. Et quidem poſt duros plerunque heriles Principes *Libertatis* mentio & opportuna erat maxime atque gratiſſima. Sic poſt *Neronem* hic ipſe *Galba Libertatem publicam* in Numis oſtentat. Ne ſit proinde quod miremur ſi rationem ſecutus fuerit in *Succeſſoris* adoptione *Libertati* maxime conſentaneam. Sequebatur non magno intervallo *Domitianus*, qui rurſus Tyrannide ſua *Libertatem* omnem oppreſſerat. Itaque poſt cædem ejus *Libertatem Publicam* multi gratulantur Numi, figura nimirum, non qualis eſſe ſolebat in Numis *Servitutis* ſedentis manibus revinctis, ſed erecti manibuſque ſolutis, cum *pileo*, Libertatis Symbolo. Et quidem nonnulli ex SC. Ita conſentaneum erat ut *libertatis* ille præcipuam rationem haberet in ſufficiendo Imperii hærede, de *Rep.* magis ſolicitus quam de *domeſticis* affectibus. Et quidem ita *Trajanum* à *Nerva* delectum teſtatur *Victor*, cum tamen non deeſſent alii e *cognatione* junctis Candidati. Quid dico *Victor*? Idem teſtatur etiam coævus *Plinius* in illuſtri [k] Panegyrico: *Nulla* (inquit) *Adoptati cum eo qui adop-*

[i] *ib. c.* 16. [k] *Paneg. c.* 7.

*tabatur,*

*tabatur, cognatio, nulla neceſſitudo, niſi quod uterque optimus erat, dignuſque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es, non ut prius alius atque alius in gratiam uxoris: aſcivit enim te filium non vitricus, ſed Princeps: eodemque animo D. Nerva pater tuus factus, quo erat omnium.* Nec illud modo. Adeo *Jus* nullum in ea electione violatum oſtendit *Plinius*, ut contra magis laudandum doceat Principem qui Succeſſorem ita delegiſſet. Sic enim ſequitur: *Nec decet aliter filium aſſumi, ſi aſſumatur à Principe. An Senatus Populique Romani exercitus, Provincias, Socios, tranſmiſſurus uni, ſucceſſorem è ſinu uxoris accipias? Summæque poteſtatis hæredem tantum intra domum tuam quæras? Non per totam civitatem circumferas oculos, & hunc tibi proximum, hunc conjunctiſſimum exiſtimes, quem optimum, quem Diis ſimillimum inveneris? Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus. Non enim ſervulis tuis dominum, ut poſſis eſſe contentus quaſi neceſſario hærede, ſed principem civibus daturus Imperator.* Imo *Trajani* exemplo addit ſimilia illa *Nervæ* ipſiuſque *Hadriani Metius Falconius Nicomachus* Senator Conſularis illis ad *Tacitum* Imperatorem verbis ad noſtram ſententiam diſertiſſimis: * *Teque* (inquit) *Tacite Auguſte, convenio, petens, obſecrans, libere pro communis Patriæ legibus depoſcens, ne parvulos tuos, ſi Te citius Fata prævenerint, facias Romani hæredes Imperii.* Additque illam ipſam quam dedere alii rationem: *Ne ſic Remp. Patreſque Conſcriptos Populumque Romanum, ut villulam tuam, ut colonos tuos, ut ſervos relinquas. Quare circumſpice, imitare Nervas, Trajanos, Adrianos. Ingens eſt gloria morientis Principis Remp. magis amare quam filios.* Huc idem re-

* Vopiſc. *Tacit. c.* 6.

ſpexit Auctor † cum in vita *Floriani* obſervarit *adjuratum eſſe in Senatu Tacitum, ut, quum mori cœpiſſet, non liberos ſuos, ſed optimum aliquem Principem faceret.* Imo hoc *Floriano* fratri fuiſſe dicit exploratum. Verba nimirum Conſularis illa: *Te convenio*, pro *Adjurandi* forma intellexit. Tantum abeſt ut verum ſentiant qui *Imperium Romanum* per hæc tempora fuiſſe putant *Hæreditarium*. *Trajanum* certe non movere non potuit ipſum illud, quo ipſe factus eſſet Imperator, exemplum. *Laudis* nimirum avidum Principem exemplum Principis itidem *laudatiſſimi*, & cujus ipſe laudes, ni degener eſſe & haberi vellet, *æmulari* teneretur. Inde illud ſaltem intelligimus, nondum cum illa coram ipſo Principe peroraret eximius Orator, ſuſpicionem ullam fuiſſe vel leviſſimam, ſeu de *Hadriano*, ſeu de alio quovis *cognato* Imperii hærede. Inde factum exiſtimo, quod *Hadriani* nullus uſpiam meminerit in Epiſtolis. Quem enim *Adrianum* appellat in L. I. Ep. 2. inſcriptione unus alterve fortaſſe codex, eum *Arrianum* agnoſcunt alii melioreſque. *Maturium* fortaſſe illum, à literis *Græcis* & *Poeſi* celebratiſſimum. Contemtum ſane neglectumque per hæc tempora *Hadrianum* noſter innuit ipſe *Spartianus*. Inde tam varii illi incertique de *Trajani* animo rumores. [l] Aliis illum dicentibus, *exemplo Alexandri Macedonis, ſine certo Succeſſore mori* voluiſſe. [m] *Multis ad Senatum eum Orationem voluiſſe mittere, petiturum ut, ſiquid ei eveniſſet, Principem Romanæ Reip. Senatus daret, additis duntaxat nominibus ex quibus optimum idem Senatus eligeret.* Nec deerant qui *Hadriani* adoptionem totam ſuſpectam habuere, & *Plotinæ* po-

† *vit. Flor. c.* 1. *l* Spart. *vit. Adr. c.* 3. *m Ib. c.* 4.

tius artibus suffectum arbitrati sunt quam *vero* Trajani *Testamento.* Sic erat anceps dubiusque, dum viveret, in animi sui significatione ipse *Trajanus.* Et quidem nescio an aliunde hos, de quibus agimus, ad *Adoptionem* gradus hauserit noster quam ex vita *Hadriani* à seipso conscripta. Sic tamen erunt ad *successionis* jus Historiamque, qui explicentur, utilissimi.

V. *Æmulum* de *Adoptione* primum *Hadrianus* habuit *Julium Servianum.*

Esto itaque. Illud saltem lucrati fuerimus, è *spe* illa quam fecerat *Trajanus* adoptandi *Hadriani* in Patrimonium *privatum*, gradum fuisse nullum ad *Successionem* in *Imperio*, ni vita etiam meritisque *dignus* Imperio videretur. Inde factum ut variis temporibus varios etiam in *Imperio* haberet æmulos. Primus, ni fallor, & præcipuus erat *C. Julius Servianus.* Sic enim illum appellat *Spartianus* quem *Dio Severianum*, aut *Dionis* abbreviator. Idque omnino, ut puto, rectius. De hoc ita mentem suam dicit in convivio *Trajanum* significasse [n] *Dio*; petiisse nimirum ab amicis ut *decem* Principatu dignos nominarent; tum paulum substitisse; Deinde *novem*, inquit, ex vobis audire cupio. Ego enim *unum*, nempe *Servianum*, habeo. Et quidem *æmulationem* illam produnt diffidia illa inter *Servianum* atque *Hadrianum*, etiam ab *initio* Trajani. [o] *Trajani* odium in *Hadrianum*, *sumtibus* ejus & *ære alieno* prodito moverat *Servianus.* Tum deinde in nunciando *Nervæ* excessu *Hadrianum* æmulatus est. Detinuit illum *Servianus*, fracto consulte vehiculo, misso interim excessus nuncio suo *Beneficiario.* Sed Beneficiarii gratitudinem antevertit diligentia *Ha*-

*n* Dio *Xiph. vit.* Hadr. *o* Spart. *vit. Adr. c.* 2.

*driani.* Sic demum illum *in amore Trajani* fuisse dicit *Spartianus. Amorem* nimirum illum intelligit noster quo *Hadrianum* proditis impensis spoliaverat æmulus *Servianus.* Revixit tamen per *Trajani delicatos,* præfectumque eorum *Archigallum,* gratia *Serviani.* Sic quidem illa, ut de *Imperatoris erga se judicio* esset iterum solicitus, & *sortes* adeo consuleret, quas vidimus, *Virgilianas.* Nimium enim in gravissimis Principis alioqui Optimi consiliis poterant homines illi impurissimi. Sic filio *Arbando* pulcherrimo sequestri usus *Trajani* gratiam consecutus est *Agbarus Edessenus.* Inde intelligimus cur *Trajani delicatos* officiis etiam sordidissimis curarit *Hadrianus.* Nempe quod in illis præsidium omne positum observaverat æmuli *Serviani.* Iisdem nimirum quibus usus fuerat *Servianus* artibus in gratiam Principis irrepsit, unaque æmulum tam gratis intercessoribus exarmavit. *Primis* tamen hisce *Trajani* temporibus *superiorem* fuisse puto in *Trajani* gratia *Servianum.* Nec enim ante *Consulatum* suum *Hadrianus,* annum nimirum, ut vidimus, CIX^m. *ab amicis Trajani contemni desiit ac negligi.* Nec *Hadrianum* unquam memorat, uti diximus, *Plinius*; qui tamen idem *Servianum* memorat tanquam Principis gratia florentissimum. In [p] causa veneficii ad Principem delata Judicem datum dicit hunc ipsum *Julium Servianum.* Illum [q] *viri exactissimi* elogio ornat idem *Plinius. Julium* eundem *Servianum* [r] *Optimum* & *Trajani amantissimum* prædicat, precibusque ejus indultum ait, quod Jus trium liberorum *Trajanus* ipsi *Plinio* concessisset. Et sane viri dignitatem arguit, quod ei [s] *venienti de*

*p* L. *VII. Ep.* 6. *q* L. *VIII.* 23. *r* L. X. *Ep.* 2. *s* Spart. *vit. Adr. c.* 8.

*cubi-*

*cubiculo ſemper occurrerit* jam conſecutus Imperium *Hadrianus*; quod *tertium* etiam *Conſulatum*, nec *ſecum* tamen, quum ille *bis* ante *Adrianum* fuiſſet, *ne eſſet ſecundæ ſententiæ, non petenti ac ſine precatione conceſſerit.* *Tertius* enim *Conſulatus* ſummus erat *Privati* fere honor, ut alibi fortaſſe melius obſervabimus. Certe ſub *Hadriano*, qui *tertium* ipſe *Conſulatum* non exceſſerit. Etiam *familiarem* admodum *Hadriani* jam Principis Epiſtolam ad *Servianum* conſervavit [t] *Vopiſcus*, in qua eum *chariſſimum* appellat. Quinetiam [v] *ſolicitum de ſucceſſore* Hadrianum *de Serviano primum cogitaſſe* noſter ait *Spartianus.* Sic illum nimirum Imperio *dignum* ipſe cenſuit *Hadrianus.* Facileque adeo illum de *Imperio* ſuſpectum habuit quem in *ambiendo* Imperio *æmulum* habuerat, cum tamen jam *Imperio* commodam *ætatem* exceſſiſſet ſenex jam nonagenarius. Et invidiam maximam tanti viri cædes conflavit Hadriano. Habuit præterea ut *ætatem* Hadriano maturiorem, ſic *domeſticam* etiam neceſſitudinem, cur cæteroqui *dignus* ad Imperium à *Trajano* deſignaretur. *Paulinam* enim *Hadriani* ſororem, eodem *cognationis* gradu, quo ipſe *Hadrianus*, *Trajano* junctam, uxorem duxerat. Fecit porro animos nepoti *Fuſco* avi *Serviani* tanta ſpes, ut etiam *ipſe* de Imperio cogitaret adoleſcens octodecennarius, ut *ſortes* etiam ipſe & *Oracula* conſuluerit, ut noſter conſuluerat *Hadrianus.* Sed ſpem illam omnem intempeſtiva morte præcidit noſter Imperator.

VI. Tum deinde *NeratiumPriſcum.*

Hic ergo *primus* erat, & *ſolus* fortaſſe, *primis* Trajani *temporibus*, noſtri *æmulus*. Erant & alii, alia fortaſſe opera, ſua nulla, præterquam *meritis*, *Trajano* grati & ac-

*t* Vopiſc. *Saturn.* c. 8. *u* Spart. *vit. Adr.* c. 23.

 cepti

cepti. *Neratium Priscum* Jurisconsultum celeberrimum noster memorat [x] *Spartianus*, cui dixerit aliquando Trajanus, *Commendo tibi Provincias, siquid mihi fatale contigerit*. Verba illa *Trajani* in procinctu *Expeditionis* fuisse verisimillimum est, ultimæ fortasse quam suscepit in *Parthos*, anno nimirum CXII°. Ait enim noster consilium fuisse *Trajani* ut *Priscum* illum, non *Hadrianum*, Successorem relinqueret. Et quidem multis amicis in hoc consentientibus. Hinc facile colligimus *Trajanum* illa dixisse cum progressus magnos *Hadrianus* in *Trajani* gratia fecisset. Tantos nimirum, ut nulla esset jam mentio *Serviani*. Tantos, inquam, ut spem *Adoptionis* mox secuturæ maximam foveret *Hadrianus*, quod post *Suræ* mortem contigisse consentaneum est. Monuit enim illum moribundus *Sura* de *Adoptione*, nostro teste *Spartiano*. Inde *contemni ab amicis Trajani desiit ac negligi*, quasi jam haud dubius *hæres* & *Successor*. Multos porro *Trajani* amicos noster fuisse dicit qui in hanc *Neratii*, potius quam *Hadriani*, Successionem consenserint. Vix potuit hoc in *eodem* Amicorum consilio contigisse quo *decem* ab amicis postulatis, de uno ipse cogitarit *Serviano*. Tum enim mentio nulla prorsus erat *Hadriani*. Sæpe itaque amicos consuluit de Successore *Trajanus*. In illius consilii amicis *Palma*, ni fallor, & *Celsus* erant longe omnium præcipui quos noster ait *semper* fuisse *inimicos Hadriani*. Sic post expeditionem *Parthicam*, illa dixerit *Trajanus*. Illa enim ipsa, ut supra vidimus, Expeditione (certe post an. CXIII^m^. quo COS. erat *Celsus*) gratia exciderunt Palma & Celsus, *in suspicionem*, ut ait no-

x *vit. Adr. c.* 4.

ster,

ſter, *affectatæ tyrannidis* lapſi. Inde eſt quod operam eorum nullam legamus in Expeditione illa *Parthica* virorum alioqui bellica laude celeberrimorum. Inde quod *Hadrianum* comitem individuum in illa Expeditione aſſumſerit, non ita proculdubio futurum, ſi antea à Succeſſione illum excludere decreviſſet. Illis autem in *ſuſpicionem*, quam dixi, lapſis, exciderant una eorum forte de *Neratio* conſilia. Sic rurſus liber æmulis, in *Adoptionis* non modo *ſpem*, verumetiam *ſponſionem* venit. *Sponſionem* illam ita intelligunt viri maximi quaſi ipſius fuiſſet *Hadriani*; quaſi nimirum *ipſe* ſibi *Adoptionem ſpopondiſſet*, aut cum *Palma* atque *Celſo* inimicis *ſponſione* contenderit. Perperam, ut puto, illi. Ego de *Trajani* potius *ſponſione* intellexerim, qua *Hadriano promiſerit*, fore ut illum aliquando eſſet adoptaturus. Nihil e-enim vetat quin fuerint ante *Adoptiones* ipſas nonnunquam Adoptionum *ſponſiones*, ut erant frequentiſſime ante *Matrimonia* ritus Matrimoniorum prævii *Sponſalitii*. Sed nulla tamen ſunt, quod quidem ſciam, certa quæ nos doceant monumenta, *ipſene* hanc *ſponſionem* à *Trajano* etiam *ipſo* acceperit *Hadrianus*, an ab alio aliquo *ſponſionis teſte* ſponſionem Adoptionis hauſerit, ut Adoptionem *ipſam* à *Sura*. Sed nec illud certum, fuerintne *Trajani* diſerta in hanc ſententiam verba, an per ſequelas quaſdam hanc verborum ſententiam, pro ſperantium more, elicuerit Hadrianus. De alio certe, poſt hanc, qualiſcunque demum fuerit, *ſponſionem*, cogitavit Succeſſore *Trajanus*.

VII. Deniq; *Luſium Quietum.*

Tertius nimirum acceſſit, iſque omnium periculoſiſſimus, ſub *Imperii* finem æmulus, *Luſius Quietus*. Hujus multa legimus, & præclara admodum in

in ipſo illo Bello *Parthico* facinora. Capta nempe in *Adiabene* cum aliis oppidis *Singara*, receptam poſt defectionem *Niſibin*, expugnatam direptam incenſamque *Edeſſam*, aliaque, *Dione* teſte, ejuſdem Belli opera egregia. Sunt enim illa ejus verba: ἄλλα τε πολλὰ κατώρθωσε. Domitos denique graviſſimis præliis & ingenti eorum clade *Judæos*. Erant hæc in memoria jam recentiſſima cum Teſtamentum conderet *Trajanus*, cum remotiora eſſent, jamque effluxiſſent quæ in Bello *Dacico* ſecundo geſſerat *Hadrianus*, nec tamen alioqui cum his fortaſſe comparanda. Et quidem apud ipſum quoque *Trajanum* eo, quo par erat, in honore fuiſſe, teſtem habemus in Oratione de Conſulatu *Suturnini Themiſtium Euphradem*. Docet ille ita grata *Trajano* fuiſſe ut obſcuri generis virum primo *COS.* fecerit, tum *Syriæ* Legatum *Conſularem*, denique de eo in *Imperii hæredem* ſufficiendo cogitarit. Nullum equidem habemus qui hoc diſertis verbis prodiderit, præter illum, quem dixi, *Themiſtium*. Nec tamen eſt quod proinde dubitemus quin ex coævo aliquo Auctore hauſerit ipſe *Themiſtius*. Sunt enim alioqui aliæ quoque ſuſpiciones eodem facientes. Ut cædem *Luſii* omittam qua ſe purgavit *Hadrianus*, illud eo ſane ſpectabat quod mox conſecutus Imperium *Hadrianus* eum [y] *ſublatis gentibus Mauris, quas regebat, quia ſuſpectus Imperio fuerat*, inquit Spartianus, *exarmaverit*. Eandem *Hadriani* Solicitudinem arguunt conſulta ab eodem his temporibus *Oracula*, tam *Jovis* nimirum *Nicephorii* illud, quam aliud *Antiochiæ Daphneticum*. Recentiora enim erant illa, de qua diximus, *Adoptionis ſponſione*. Et congruunt ad amuſſim cum illis *Luſii*

[y] *vit. Adr. c.* 5.

Quieti

*Quieti* temporibus illæ *Hadriani* conſultationes. Meruerat quidem *Luſius* antea in ſecundo Bello *Dacico* egregie. Sed *ignominioſæ dimiſſionis*, quæ præceſſerat, maculam duntaxat eluebant illa merita. Inſignem illum maxime fecere res Bello, hoc ſeculo, *Parthico* geſtæ. Tum primum inter *Prætorios* relatus homo ex origine *Maurus*. Inde *Conſulatus* candidatus quem geſſit *ſuffectum* anni CXV^i^. fine, vel CXVI^i^. initio, poſt *COSS.* tamen *Ordinarios*. Certe anno CXVI°. *Syriæ* præfectus eſt poſt *Atticum*, ſub quo paſſus eſt *Simeon Cleopæ*; & tamen ante *Hadrianum*. Legatus nempe *Conſularis*, & *Conſulatu* jam *functus*. Hoc itaque anno exeunte, vel ineunte proximo *Judæos* ita repreſſit tumultuantes, ut *pacatam* jam Provinciam acceperit *Hadrianus*. Et quidem *Jovis Nicephorii* Oraculum Urbis erat *Nicephorii* prope *Edeſſam*, ut nos docet *Stephanus*. Erat itaque prope *Edeſſam Hadrianus* cum illud *Oraculum* conſuleret. Vix certe à *Trajano* ipſo ſejunctus antea quam *Syriæ* præficeretur. Id ſi verum ſit, anno CXV°. *exeunte* contigiſſe veriſimillimum erit quo in *Parthos* movit ipſe *Trajanus*. Vel paulo potius antea quam in *Syriam* Provinciam veniret. Anno nimirum *Trajani* ultimo, Æræ autem *noſtræ* CXVII°. *Daphneticum* autem, de quo meminit *Ammianus Marcellinus*, Oraculum conſulere noſter antea vix potuit quam *Syriæ* præficeretur, cujus primaria ſedes, ipſa erat *Antiochia*. Ibi certe Legatum *Syriæ* verſari ſolitum & Numi docent *Antiocheni* & Hiſtoriæ. Eo cum acceſſerit *ultimis*, ut vidimus, *Trajani* temporibus; inde conſtabit tunc etiam *dubium* fuiſſe *Hadrianum*. Sed mores *Luſii Quieti* ſua indole praviſſimi *Hadrianum* juvare poterant; ſi tamen *vere* illum *Trajanus* adoptarit.

VIII. Alii fortaſſe *æmuli.*

Hos ſolos legimus *Hadriani*, de Imperio, *æmulos.* Alios tamen multos fuiſſe veriſimile eſt & *meritis* ſuis & *Trajani gratia* florentiſſimos. Decennarium numerum conſulti à Trajano in Convivio Amici num expleverint incertum eſt. Erat nihilominus *Licinius Sura Trajani* amicitia celeberrimus, quem tamen nunquam legimus de *Imperio* vel ſuſpectum. *Hadrianum* certe tantum aberat ut *æmularetur*, ut eum *primus* de futura *Adoptione* monuerit. Sed fortaſſe *moribundus.* Erant & alii & digni Imperio, & de eodem poſtea ſuſpecti, qui tamen *Hadrianum* ſub *Trajano* etiam adjuverint. In illis erat *Pletorius* [a] *Nepos* ordinis *Senatorii*; quem tamen poſtea *in ſumma* habuit *deteſtatione*, *ſuſpicionibus adductus*, noſtro eodem teſte [b] *Spartiano. Suſpiciones* illæ eædem fuiſſe videntur, de quibus alibi ſæpe, cum *ſuſpectos* notat. Non aliæ utique quam de *Imperio.* In illis [c] Tutor *Attianus* ordinis duntaxat *Equeſtris*, & *Martius Livianus Turbo.* Et tamen eundem illum Tutorem *Attianum*, Præfectum jam Prætorio [d] *obtruncare niſus* eſt ni quatuor *Conſularium* in Imperii initio cæſorum invidia repreſſus eſſet, *Officio* tamen exuit, *Succeſſoremque* petere coegit. [e] *Turbonem* etiam, quem olim officiis ſummis excoluerat, poſtea *graviter inſecutus eſt.* Similia habet noſter de [f] *Numidio Quadrato*, de *Catilio Severo*, de *Terentio Gentiano*, & *amicitia* ejus & *odio* celebribus. Id enim de eo obſervavit noſter *Spartianus*, omnes de quorum *Imperio* cogitaverat quaſi *futuros Imperatores* illum fuiſſe *deteſtatum*, Idem & *Soſium Pappum* amicum habuit *Trajani* etiam amicitia inſignem.

*a vit. Adr. c.* 4. *b Ib. c.* 23. *c Ib. c.* 4. *d Ib. c.* 9. *e Ib. c.* 15. *f Ib. c.* 15. 23.

*Palma*

*Palma* etiam & *Celſus* & *Hadriano ſemper inimici* erant, & *in ſuſpicionem affectatæ Tyrannidis* etiam ſub *Trajano lapſi.* Sed ſuſpicioni fovendæ ſatis eſſe poterant, ſeu *merita* Imperio digna, ſeu *gratia Trajani*, ſeu propria quædam ſuſpectorum *conſilia.* Mentem tamen ſuam de alio aliquo æmulo *Trajanum* ipſum ſignificaſſe nuſpiam legimus.

IX. *Gradus Hadriani* ad gratiam *Trajani.* Nuptiæ *Sabinæ* an. forte XCIX°. celebratæ.

Hos itaque *æmulos* cum haberet *Hadrianus*, videamus quibus demum *gradibus* ad *Trajani* jam Principis *gratiam Succeſſionemque* aſpirarit. *Prima* erat ei *æmulatio*, ut vidimus, cum *Serviano* mox ab exceſſu *Nervæ.* Et cum ita ſe præpropero illo nuncio *Hadrianus Trajano* commendaſſet, ut tamen *Serviano* ſuus eſſet in Principis benevolentia locus reliquus per *Pædagogos*, ut dixi, *Puerorum*; tum *ſolicitum* fuiſſe dicit *Spartianus* de *Imperatoris erga ſe judicio*; tum conſultas *ſortes*, de quibus egimus, *Virgilianas.* Hæc eo ipſo anno, quo exceſſit *Nerva*, contigiſſe veriſimile eſt, Æræ nimirum noſtræ XCVIII°. Sed male eo retulit verba ſequentia, ſeu *Spartianus* ipſe, ſeu *Auctor* fortaſſe potius, vel *Breviator Spartiani*, vel nullo denique judicio, loco inſerſit alieniſſimo *Librarius. Præſumptionem* certe, his temporibus, nullam habuit *Imperii Hadrianus* pro aliis ejuſdem *Spartiani* teſtimoniis. Nec præſumptionem Imperii *mox futuri* habere potuit qui jam *diu* aberat ab *Imperio.* Nec *Jovis Nicephorii* Oraculum conſulere qui urbem ipſam *Nicephorion* nondum viderat. Nuncio tamen illo aliquam *Trajani* antea ſubirati amicitiam conſecutus eſt. *Ad amicitiam pleniorem rediit, nepte per ſororem Trajani* uxore accepta, *favente Plotina, Trajano ipſo leviter volente.* Hæc enim *Marii Maximi* verba retulit *Spartianus.*

Matri-

Matrimoniis amicitias & contrahi & firmari ſolitas ex omni conſtat Hiſtoria. Præſertim uxoribus neceſſitudine aliqua *domeſtica* junctis. Sic factus eſt *Serviano* ſuperior tam *ſua* nimirum quam *uxoris* affinitate *Trajano* jam affinis cum *uxorem* haberet duntaxat *Servianus* quæ *Trajanum* contigerat eodem affinitatis gradu quo ipſe *Hadrianus*. Sed minuit illam neceſſitudinem *Trajanus* nuptiis illis *leviter* duntaxat aſſentiens. Inde factum ut *domeſtica* ſolum illa fuerit affinitas, familiæ potius *Ulpiæ* quam *Cæſareæ* atque *Imperatoriæ*. Erat autem *amicitia* inde oriunda *plenior*, etiam qua *domeſtica*. Factas autem illas nuptias exiſtimo poſtquam *Romam* rediiſſet Imperator, ubi copia eſſet *Sabinæ* quam caſtris interfuiſſe parum veriſimile eſt. Certe ante *Quæſturam Hadriani* quam *Trajano IV. COS.* & *Articuleio Pæto* geſtam oſtendimus. Sic anno Æræ *Chriſtianæ* xcix°. aut c°. contigiſſe neceſſe erit. Rectius fortaſſe primis *Adventus Auguſti* celebritatibus, annoque adeo xcix°. illas accenſebimus.

X. *Hadriani Trajano* obſequentis *vinolentia*; *omen* in Tribunatu; *gemmæ adamantis* donum quam fecerint ad *ſpem Adoptionis* & *Imperii*.

Porro in Bello *Dacico priori* parum fortaſſe faciebat ad Imperium quod *moribus Trajani* fuerit *obſecutus* in *vinolentia*, quodque ab eo propterea *locupletiſſime remuneratus* fuerit. Spectabant tamen hæc etiam omnia ad *augendam* Trajani benevolentiam. *Omen* præterea amiſſarum in Tribunatu pœnularum *ſpem* potius à *Diis* præferebat quam à *Trajano*. Habebant nimirum *perpetuam Tribunitiam Poteſtatem* Imperatores, & *perpetuam* adeo Tribunitiam Poteſtatem oſtentabant *amiſſæ* in Tribunatu Ordinario *pænulæ*. Qua ſcilicet *perpetui* illius *Tribunatus*, ut ab *Ordinario* diſtinguebatur,

guebatur, Symbolum erat *pœnulas* omnino non habere. Primum itaque *promiſſæ Adoptionis* judicium in *ſecundo* erat Bello *Dacico*. Tunc enim *ob multa ejus & egregia facta adamante gemma quam Trajanus à Nerva acceperat donatus, ad ſpem Succeſſionis* (inquit *Spartianus*) *erectus eſt*. Facile vel inde intelligimus, quam *alieno* loco *Præſumtio Imperii* memorata fuerit, cum hic *ſpem* duntaxat memorari videamus. Ex eo enim quod *erectus* fuerit ad *ſpem*, facile intelligimus *dejectum* fuiſſe antea, ac ne *ſperaſſe* quidem. Et tamen *ſpes* illa quantalibet *præſumtione* minor erat pro ea nimirum vocum illarum ſignificatione quam noſter adhibet *Spartianus*. Et merito ſane illum ad *ſpem* erexit illud *adamantis gemmæ* donum. Nec enim receptis *militarium* operarum *præmiis* gemmæ accenſeri ſolebant, recte obſervante *Caſaubono*. Recte itaque *inſoliti* præmii munus ad benevolentiæ pluſquam *ſolitæ* vulgariſque ſignificationem retulit. *Gemmæ* præterea illis annulis includi ſolebant *ſignatoriis*. Sic equidem ut *Sigillum gemmæ* fuerit inſculptum. Iiſdemque uſibus inſerviebant *ſigilla* illa *gemmea*, quibus hodiernæ *claves* atque etiam *ſigilla*. *Domeſticam* ſupellectilem omnem nos *clavium* uſu promimus condimuſque. Veteres pleriq; *ſignaculis* in ceram impreſſis a *gemma* illa *ſigillari*. Nos hodieque *Teſtamentorum* tabulas aliarumque quarumcunque *pactionum*, *ſigillis* obſignamus. Et quidem ſæpe *annulorum*. Eo duntaxat diſcrimine quod *Sigilla* noſtra eidem annulorum metallo plerunque inſculpi ſoleant; illorum contra *gemmis*, quæ tamen fuerint *annulis* inſerendæ. Ita *Sigilla* illa *gemmea* erant *Juris* univerſi *domeſtici* Symbola. Qua nimirum *clavium* uſum præſtabant, ita Jus *promendæ condendæque* ſignificabant *domeſticæ*

*ſupel-*

ſupellectilis univerſæ. Qua autem vicem *ſigillorum*, ſic *Teſtamentorum* obſignandorum *Jus* denotabant aliorumque quorumcunque *contractuum*. Ita plenum *Jus Patri familias* indicabant *gemmæ* illæ *annulorum* à Patribus familias geſtari ſolitæ. Et *Juris* illius *domeſtici* tranſlationem pro illorum temporum moribus indicabat ſiquis *annulum ſignatorium* tranſtuliſſet. Inde uſus *annulorum* in *Nuptiis*, juſtis nimirum, & per *Tabulas Nuptiales*, Civium ſcilicet atque *ingenuorum*. Illo enim Symbolo *uxor materfamilias* facta eſt, ut ubi vir *Caius* fuiſſet illa eſſet etiam *Caia*. Quod autem erat in *matrefamilias* conſtituenda *Jus*, idem in *filiofamilias* conſtituendo fuiſſe conſentaneum erat. *Filiusfamilias*, quod ad *Patrem* attinebat, *ſervus*, *familiæ* autem reſpectu *Dominus* erat *omnium*. Et quidem *Dominium* illud indicare ſolebat *annulus hæreditarius*. Sic & in Sacris literis *Jus Clavium* tantundem valet quod hoc ipſum, de quo agimus, *annulorum*. *Clavium* enim *annulos* illos vice fuiſſe diximus. *Claves domus David*; *Juris Davidici* Symbolum ſunt, non *domeſtici* duntaxat, verumetiam *Regii*. *Claves mortis & inferni* accepit à Patre Λόγος, qua *filius* Patris unigenitus, qua nempe Pater illum conſtituit [g] πάντων κληρονόμον. Et acceptas à *filio claves* aliis rurſus tradidere Succeſſoribus *Apoſtoli* ἐπινομὴν δεδωκότες, ut loquitur [h] *Clemens* ad *Corinthios*. Ne ſit proinde cur lectionem illam in *Clemente* ſolicitent viri Eruditi. Hæc tamen obiter, ut noſter voluit *Camdenus*. Recte itaque pro *Adoptionis* futuræ *Symbolo gemmam* illam habere potuit *Hadrianus*. Nec in *familiam* duntaxat *Ulpiam*, verumetiam *Imperato-*

g *Ebr*. I. 2. h Clem. *Ep. ad Corinth*. §. 44.

*riam.* *Principum* raras admodum, si forte ullas, legimus *Adoptiones* in *familias privatas.* Utque tales aliquæ fuissent, hæc certe talis haberi non potuit. Nec enim *Gentis privatæ gemma* illa fuit, sed *Imperatoriæ.* Qua scilicet in *familiam Imperatoriam* adoptatus ipse fuerat *Trajanus.* Deerant duntaxat *verba* idem significantia. Eo nimirum *animo* datam illam gemmam *ut* spem faceret *Imperii.* Hæc quia deerant, poterat donum illud aliter intelligi. Cum præsertim non *Civis* tantummodo fuerit *Hadrianus*, verumetiam *affinis Principis*, & *domestica* illum necessitudine contingeret. Inde factum ut *spes* illa infirma adhuc videretur & incerta. Hac autem *gemma* donatus est, ni fallor, *Hadrianus* sub finem anni CVI. Bello nimirum *Dacico* II°. absoluto, cum *præmia* bene meritis largiretur in ipsa Provincia *Trajanus.*

XI. Alii *Hadriani* in *Trajani* gratia gradus.

Edidit præterea *Trajanus* alia quoque benevoli in *Hadrianum* animi experimenta, cum & *Præturæ sumtus* decerneret, & cum postea *Consulatum* daret, non legitimæ *ætatis*, sed *Militaris* in Provincia *disciplinæ* præmium. Sed gradum illa novum nullum addebant ad spem *Successionis* in *Imperio.* Proximus illi gradus in ipso erat *Consulatu*, annoque adeo CIX°. Tum enim à *Sura* comperit *adoptandum se à Trajano esse.* Tum *ab amicis Trajani contemni desiit ac negligi*, ut ait noster *Spartianus.* Sic itaque *spem* dedit *Adoptionis gemma* illa *adamas*, ut hucusque ab *amicis Trajani contemneretur* nihilominus ac *negligeretur.* Jam vero accedente etiam *Suræ* testimonio, qui locum ipse tenebat in *Trajani* amicitia vel præcipuum, qui non juvabant palam atque adulabantur, non tamen *contemnebant*, ut olim, atque *negligebant.* Ita factum ut inter manifestos *inimicos*

jam

Jam soli fere superessent *Celsus* & *Palma*. Crevit porro nostri cum *Trajano familiaritas* defuncto *Sura* cum ei in munere *dictandarum* pro Imperatore *Orationum* successisset, & ad aures ejus jam frequentior patuisset & facilior aditus; & *Plotinam* haberet in proximo certissimam sibi & fidelissimam Patronam; & ex *æmulis* ipsis jam adjutores plerosque atque advocatos, *metu* saltem atque *adulatione*, si minus vere & ex animo. Sed vero *Palma* & *Celso* in suspicionem *affectatæ Tyrannidis* lapsis, jam *solus* in *Trajani* gratia regnabat *Hadrianus*. Jam nullum habebat *æmulum*. Inde factum ut *sponsionem* illam, de qua *Spartianus*, quasi neminem amplius habens de quo dubitaret, ipse interposuerit *Imp*. Fidem enim jam amiserant *Palma* & *Celsus*, & quicunque demum is fuerit cujus causam illi fovendam arbitrati sunt. Sed novis *Trajani* consiliis occasionem dedere nova *Lusii Quieti* in Bello *Parthico* merita. Inde iterum *dubius* noster erat *Hadrianus*, & *Præsumtionibus* illis, de quibus *Spartianus*, in promissæ *Adoptionis* expectatione confirmandus.

---

---

*Præ-*

Sequentes etiam Prælectiones paraveram. Lecturus utique ni Prælectorio munere mihi fuisset interdictum.

*Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Job. I. 21.

# *Prælectio* XVII. *ad Spart.* Hadrian.

1691.

## Secundus *Hadriani* Consulatus *cur* totam *illi* Præsumtionem *fecerit de* Imperio.

*Spes* Hadriano *nondum* certa *ex Argumentis supra memoratis.* §. I. *Quid sit* Præsumtio Imperii. §. II. *Cur* totam *Hadriani* Præsumtionem *impleverit* secundus, *in sequentem annum, delatus ei* Consulatus. §. III. *Poterat etiam id inde colligere* Hadrianus *quod* Plotina *Consulatum illum sibi impetrasset. Eam* fraude *usam in Adoptione* Hadriani *verisimile non est.* §. IV. *Nec* certa *fide nituntur quæ* Dio *se, de hac causa, a Patre* Aproniano *accepisse testatur.* §. V. Consulatus *novare potuit summus* Augustus, *qua* Pontifex Maximus, *& qua Potestatem eandem, sub alio duntaxat* nomine, *tenuit, quam tenuerant olim* Triumviri Reip. Constituendæ. §. VI. *Convenit accurate initium* Imperii, *cum fine* Triumviratus tertii. §. VII. *Per* Decennia *aut* Quinquennia *demandari solebat* Imperium, *ut olim solebat* Triumviratus. §. VIII. *Idem etiam erat Imperii & Triumviratus* officium. §. IX. *In* Triumvirorum *Juribus erat etiam illud, ut* Magistratus *alios in aliorum locum sufficerent. Idem itaque Jus* Imperii. §. X.

*c.* 4.

I.
Spes *Hadriano* Adoptionis nondum *certa* ex Argumentis supra memoratis.

SEcundo *COS. favore Plotinæ factus, totam præsumptionem Adoptionis emeruit.*] Jam supra, Academici, observavimus *Hadriani* varios ad spem *Imperii* progressus. Tam nimirum ab *Oraculis* aliisque id genus Sæculi sui superstitionibus, quam etiam à *Trajano.* Spem fecit à *Trajano* primam *adamantis gemmæ* donum quo ipse fuerat à *Nerva* donatus. Spem illam auxit *Suræ* moribundi monitio, qua fuerat etiam ipse *Trajani* amicitia celeberrimus, qua sese à *Trajano* comperit adoptandum. Spem denique eandem confirmavit Adoptionis *Sponsio*, seu ab ipso *Trajano* eam, seu ab alio narrante, *Plotina* forte, acceperit *Hadrianus.* Potius tamen existimo ab ipso fuisse *Trajano*, cui jam, post mortem *Suræ Hadrianus*, per munus dictandarum Orationum factus est familiarissimus. Qualia autem fuerint *sponsionis* verba jam nobis incompertum est, num diserta fuerint, an quæ potius aliqua interpretandi arte eo retulerit *Hadrianus.* Talia autem fuisse certum est quæ & securum ipsum fecerint *Hadrianum*, & *Celso* atque *Palmæ* in suspicionem *affectatæ Tyrannidis* lapsis spem ademerint. Sed qualiacunque demum fuerint, *Trajano* ipsi obstare non poterant quo minus nova consilia posset admittere, seu mutationis causa in ipso fuisset *Hadriano*, seu alius quispiam dignior Imperio postea fuisset oblatus. Nec enim Adoptionem *fecit*, sed tantummodo *spondebat*, faciendam scilicet in *Testamento.* Nec porro *Testamentum* illud fecit hoc tempore *Trajanus.* Jam alibi ostendimus ut *Tribunitiam Potestatem* ab uno, ante *Trajani* mortem,

tem, anno numerarit *Hadrianus*. Pro ſententia, ut videtur, illius Teſtamenti cui *Adoptionem* ſuam acceptam retulit *Hadrianus*. Erant tamen alii qui Teſtamentum à *Trajano* conditum vellent *moribundo*. Nec deerant qui factione *Plotinæ*, mortuo jam Trajano, *Adrianum* in *Adoptionem* adſcitum eſſe prodiderint, *ſuppoſito* qui pro *Trajano* feſſa voce loqueretur. Noſtri illa verba *Spartiani* ſunt. Ita undequaque conſtat *ſerum* fuiſſe *Trajani* Teſtamentum, eamque adeo quæ *Teſtamento* facta eſt *Adoptionem*. Ut tamen *Hadrianum* antea *adoptaſſet*, poterat eum novis cauſis orientibus *abdicare*, atque exhæredem facere. Multo magis ſi *Teſtamento* ſolo adoptaſſet. Nunquam enim *Lex* ulla vetabat *Teſtamenta* pro ſuo arbitrio *Teſtatorem* ſubinde *mutare*. Ita *Teſtamentum* nullum firmum haberi ſolebat præter *ultimum*, quod nullo alio Teſtamento *recentiori* fuiſſet abrogatum. Inde conſtat cur dixerit Apoſtolus, *Teſtamentum* nullum ratum fuiſſe ante *mortem Teſtatoris*. Tum enim demum *mutari* non potuit. Hoc certe *Hadrianus* expertus eſt cui, ſub *Trajani* finem, novum fecere metum facinora *Luſii Quieti*, ut jam antea obſervavimus. Tum denique anxius *Oracula* conſuluit, tam illud *Jovis Nicephorii*, quam etiam *Antiochiæ*. Tum etiam proculdubio animum *Trajani*, quis demum in ſe eſſet, per amicos exploravit.

II. Quid ſit *Præſumtio Imperii.*

Sic ille ſpem Adoptionis ſuæ antea conceptam Argumentis undequaque conquirendis fulciendam cenſuit. Ita *ſpem futurorum* Tiberius & *oſtentis* & *prædictionibus ab initio ætatis conceperat*, referente [a] *Suetonio*. Nec

a Suet. *Tib. c.* 14.

diſſimilibus Argumentis noſter uſus eſt in cauſa etiam non diſſimili. Hæc Argumenta *Præſumtiones* appellat *Spartianus*. Sed vocis illius uſum nondum intellexiſſe videntur Interpretes, Viri alioqui longe Eruditiſſimi. Aſſentior *Caſaubono* vocis *Græcæ* προλήψεως vim exprimere voluiſſe *Latina* hac voce *Præſumtionis* Latinum noſtrum Scriptorem *Spartianum*. In eo non aſſentior quod *anticipatam rei notitiam* qualemcunque ille pro *Præſumtione* habeat. Sed nec in eo aſſentior etiam *Salmaſio* quod *Præſumtionis* nomine *fiduciam* intelligat, & *ſpem indubitatam rei neceſſario eventuræ*, & *ſponſione* certe majorem. Sed *Sponſio* illa quæ fuerit jam aliter Nos explicuimus quam fecerit *Salmaſius*. Utque locum ejus Interpretatio illa habere poſſet, non tamen *Præſumptionem* ſimpliciter *ſponſioni* ſed *totam Præſumtionem* opponere videtur *Spartianus*. Plus illa proculdubio eſt quam nuda *Præſumtio*. Imo meminiſſe poterat ille qui fere nihil obliviſci ſolebat, *Præſumtionem* Imperii *Hadriano* fuiſſe ex Oraculo *Jovis Nicephorii* quæ tamen aberat quam longiſſime à *fiducia* & *ſpe indubitata* rei neceſſario futuræ. Nondum enim gradum *totius Præſumtionis* attigerat illa *Præſumtio*. De *Præſumtione* loquitur noſter *Imperii mox futuri*, deque *anticipata* quadam, per *ſpem fruitione* rei non admodum longinquæ, ſed brevi poſſidendæ. Tali nimirum *fruitione* quæ quaſi *prægustatio* quædam eſt ad *convivium* proxime ſecuturum. Inde Metaphoram deſumtam arbitror. Nec ſane vocem illam adhibuit *Spartianus* in aliis præterquam *ultimis Hadriani* de *Luſio Quieto* æmulationibus, quæ nempe omnes *Trajani* Imperio *exeunte* contigere, cum jam eſſet quaſi in *proſpectu* Imperium ipſius *Hadriani*. Jam enim alieno lo-

co

co lege priorem illam *Præſumtionem* evicimus, quæ tamen ipſa Imperii *mox futuri* fuiſſe dicitur. Sed *gradus* tamen in illis quoque duabus *Præſumtionibus* fuiſſe manifeſtum eſt, nec adeo omnes eſſe potuiſſe certiſſimos. Prima illa *Præſumtio* ex Oraculo *Jovis Nicephorii* non tamen obſtabat quo minus poſtea *Antiochiæ* conſtitutus *Hadrianus* omen captarit è fonte *Caſtalio.* Anxius plane adhuc, nec ſpe fretus indubitata. Acceſſit itaque inde *Præſumtio* plenior. *Tota* antea non acceſſit quam *ſecundum* eſſet conſecutus, de quo agimus, *Conſulatum.* Tum demum omnes exemtæ fuiſse videntur de *Succeſſione* dubitationes.

III. Cur *totam* Hadriani *Præſumtionem* impleverit *ſecundus*, in ſequentem annum, delatus ei *Conſulatus.*

Cur tamen tanti fecit, inquietis, *Hadrianus ſecundum* illum *Conſulatum*, ut eum conſecutus jam non amplius de Succeſſione dubitarit? Erant multa, pro temporum illorum Ratiociniis, cur ita faceret Argumenta. Nos aliqua dabimus quæ habuerit, aut ſane non abſurde habere potuerit, ob oculos *Hadrianus.* Non equidem exceſſit *ſecundus Conſulatus* illum Conſulatuum numerum qui poſſet etiam in *Privatos* incidere. Ne quidem ſi fuiſſent, quales tamen in *Hadriani* cauſa non erant, ambo *Ordinarii.* In libera Rep. *Conſulatus* frequentiſſimi habentur *Marii* qui VII. *Valerii Corvini* qui VI. erat *Conſul.* Etiam in hoc ipſo *Trajani* Imperio IV. *Conſulem* habemus *Soſſium Senecionem.* Vulgo tamen ſummum in *Conſularibus Privatis* locum tenebant *ter Conſules*, ut è *Martiali* diſcimus & *Plinio* juniore. Modum illum tenuit *Hadrianus* qui cum ipſe *ter COS.* fuiſſet, multos etiam *ter Conſules fecit*, noſtro teſte *Spartiano.* Quid ergo erat in *ſecundo* illo *Conſulatu*, inquietis, eximium, cur

accepto illo *totam* deinde *Imperii Præſumtionem* habuerit *Hadrianus*? Poterat ille *omen* ex illo *numero* captare quem Imperio ineundo in multis fatalem fuiſſe nos ipſi alibi obſervavimus. Utque apud nos leve hoc haberi poſſit, non erat tamen leve pro receptis illorum *temporum*, ipſius etiam *Hadriani*, *opinionibus*. Hominis nimirum ſuperſtitioſiſſimi, captandiſque undequaque auguriis addictiſſimi. Præſertim cum in *Trajano* ipſo idem tenuerit, qui cum *adoptaretur bis Conſul* deſignatus eſt, in ipſo autem *ſecundo Conſulatu*, *Nerva* defuncto, adeptus eſt *Imperium*. Quidni itaque è *Conſulatu ſecundo* deſignato *Adoptionem*, inito autem auguratus fuerit *Imperium*? Sic ille *Præſumtionem* novam ſuperioribus *Præſumtionibus* addens *totam* illam impleverit, de qua *Spartianus*, *imperii Præſumtionem*. Fuiſſet enim hæc, ut ſuperiores fuerant, *ominibus* fulta & *auguriis* pariter ineptis, par utique *Oraculo* Jovis *Nicephorii* fontiſque *Caſtalii*. Indicabat porro *ſecundus* ille *Conſulatus* revixiſſe in *Trajano* veterem qua proſecutus *Hadrianum* fuerat, *benevolentiam*, ſponſæque adeo *Adoptionis* memoriam. Imo novum prodidit in ejus *amore* gradum. *Conſulatum* enim geſſerat antea tantummodo *ſuffectum*, quod ſane minuendo *Conſulatus* honori obſervavit *Dio*. Sic *Conſulatum* quem *Marcus Antoninus* Præceptori ſuo contulerat, *ſuffectum* ſcilicet, eo nomine minoris fecit [b] *Auſonius*, quod quærendum fuerit quibus demum *Conſulibus* is *Conſul* fuiſſet; ſuum è contra, qui *Gratianum* inſtituerat, *Conſulatum* prædicat, quod fuiſſet *Ordinarius*. Ita *Conſulatus* ipſum *genus* benevolentiæ augeſcentis argumentum erat. Illius ſcilicet *benevolentiæ* quæ *Adoptionem* antea *ſpoponderat*. Erant porro

[b] Auſon. *Paneg.*

for-

fortaſſe alii, etiam Privati *Conſulatuum numero* ſuperiores *Hadriano*. Erat certe *Servianus*, qui *bis* ante *COS.* erat quam fuerat *Hadrianus*. In eo etiam *Hadriano* ſuperior erat quod *Conſulatus* ambos *Servianus* geſſiſſet *Ordinarios*. Sed non jam à *Serviano*, ſed à *Luſio Quieto* metuebat *Hadrianus*. Illum itaque *ſecundo* hoc *Conſulatu* ſuperavit. *Unicum* enim ille *Conſulatum* geſſerat, & quidem, qualem noſter, tantummodo *ſuffectum*. Ergo declinantem *Luſii* gratiam, reviviſcentem *Hadriani* arguebat hic ipſe *Conſulatus*. Inde ſpem concipere potuit, & reliqua etiam ad promiſſam *Adoptionem* facientia ſuo etiam tempore implenda eſſe. Denique multum addere Argumento potuit *conditio* ipſa *Trajani*. Si enim *moribundus* ille, aut conclamata ſaltem valetudine, *diſpoſitionem* illam *Conſulum* fecerit in annum ſequentem, ut fuerit plane de *Succeſſore* cogitandum; vix alium potuit quam *Succeſſorem* deſignatum in anni ſequentis *Conſulem Ordinarium* deſignare. Hoc enim erat ab *Auguſto* uſque receptum, à quo cœpit Imperii *Succeſſio*, ut *novum* Imperium à *Conſulatibus* ordirentur, plerunque *Ordinariis*, ſi unum alterumve Principem excipiamus, *Caligulam* aut *Othonem*, qui cum *initio* anni ſucceſſiſſent, *Conſulatum* ejuſdem anni geſſerunt *ſuffectum* duntaxat pro ſequentis anni *Conſulatu Ordinario*. Recteque hoc obſervatum à Cl. *Pagio*. Cum enim *Principum* togas viriles *Auguſti ſummi* Conſulatibus cohoneſtarent, cum *Expeditiones* & *Triumphos*, & *Matrimonia* & *Ludos* etiam *Sæculares*, & ſummas quaſque *Imperii celebritates* obirent *trabeati*; Quidni ad eundem modum ipſum celebrarent *Imperium*? Cum ergo *Succeſſorem* Imperii *Conſulem* anni ſequentis deſignare *Trajanum* oporteret, nec tamen *Luſium Quietum*, ſed *Hadri-*

*anum* eo *Conſulatu* ornarit; inde una conſtabat non *Luſium* ab illo, ſed potius *Hadrianum*, ad Imperii *Succeſſionem* fuiſſe deſignatum. Et quidem moribundi *Trajani* hoc ipſum ſignum erat quod *ſeipſum* ſaltem *Hadriano* collegam in *Conſulatu* non addiderit. Ni enim vitæ in ſequentem *Januarium* ſpes omnis decollaſſet, erat ſane, pro *Conſulatuum Auguſteorum* Regulis, ad Conſulatum *ipſe* nominandus. *Triumphum* enim *Parthicum* cogitabat, quem ejus *nomine* eodem ipſo anno ſequenti celebravit *Hadrianus*. Honorem tamen ejus recuſavit ipſe, atque *imaginem Trajani* curru *Triumphali* vexit, *ut Optimus Imperator ne poſt mortem quidem Triumphi amitteret dignitatem*, noſter inquit [c] *Spartianus*. Quis eſt qui dubitet quin ſi ſequentis *Januarii* ſpem ullam habuiſſet, *Triumphum* illum *Trajanus* ipſe *trabea Conſulari* fuiſſet celebraturus? Deerat enim VII^us^. ille *Conſulatus* ad numerum *Marii* ſub libera etiam Republica. Non eſt itaque cur *Trajanum*, cui odio erat [d] *continuus* ille, frequentiorque quam par erat, *Conſulatus Domitiani*, hoc nomine *Conſulatum illum* recuſaturum ſuſpicemur. Recte itaque *Præſumtionem* noſtro *totam* implevit *ſecundus* ille à *Trajano* in ſequentem annum delatus *Conſulatus*.

IV. Poterat etiam id inde colligere *Hadrianus* quod *Plotina* Conſulatum illum ſibi impetraſſet. Eam *fraude* uſam in Adoptione *Hadriani* veriſimile non eſt.

Et quidem ita è *Conſulatu* ipſo Argumentari potuit Hadrianus. Nec tamen verba illa negligenda cenſeo *favore Plotinæ*. Plus enim adhuc facere ad *totam* illam *Præſumtionem* potuit quod *Plotina* interpellante honorem illum fuiſſet conſecutus. Poterat enim à *Plotina* ipſa reſciviſſe quo *animo* illa *Conſulatum* illum impetraverat.

c Spart. *c*. 6. *Adrian*. *d* Plin. *Paneg*. *c*. 48.

rat. Num eo ſcilicet ut *Succeſſioni* viam ſterneret. Poterat ex eadem didiciſſe eodemne animo *Trajanus Conſulatum* conceſſiſſet quo *ipſa* rogaverat, ſeu *verbis* hoc ſignificaſſet expreſſis, ſeu id *ipſa* potius è colloquio ejus *elicuiſſet*. Poterat etiam exinde bona ſibi ominari, quod in *Trajani* favore fuiſſet ipſa *Plotina* quam ſibi noverat benevolentiſſimam. Tum ſcilicet ea omnia ſperare potuit à *Trajano* quæ ſibi velle noverat *illam* ſui ſtudioſiſſimam. Sic ille ejus in petendo *Conſulatu* ſucceſſus ſpem fecerit ad alia plura & majora ejuſdem beneficio impetranda. Nec enim poterat ſui compos Imperator non videre quo illa ſpectarent, fore nimirum ut ſpem *Luſii* imminuerent, foverent *Hadriani*; inde præterea conſecuturum ut pro indubio mortui *Succeſſore* haberetur *Hadrianus*, quem eo *Conſulatu* ornatum viderant qui, præterquam Succeſſoris, alterius neminis eſſe debuit. Hæc ut *Plotinæ* primum conceſſiſſet *Trajanus*, cum eo tamen uſque progreſſus eſſet, progrediendum erat ulterius ut lubentiſſime omnia conceſſiſſe ſaltem videretur ſi gratum ſibi memoremque Succeſſorem vellet. Hæc ſane faciunt ne *alium* aliquem ſubſtituere voluiſſe *Trajanum* exiſtimem, quod tamen olim arbitrati ſunt Auctores infenſi *Hadriano*. De *Conſulatu* illo nuncium acceperat *Hadrianus*, non modo ante nuncium *mortis* verumetiam *Adoptionis*. Fieri illud ægre potuit, niſi etiamnum ſuperſtite *Trajano*. Qui tamen *Conſulem* anni ſequentis deſignavit *Hadrianum*, vix potuit alium aliquem deſignare Imperii *Succeßorem*. Faceſſant ergo Fabulæ illæ quæ, mortuo *Trajano*, *ſuppoſitum* volunt à *Plotina* qui pro *Trajano Hadrianum* adoptante *feſſa voce loqueretur*. Alienum hoc à moribus fœminæ Optimæ atque

atque ſanctiſſimæ, quam prædicant non juniores modo *Dio* & *Eutropius*, ſed coævus etiam *Plinius* tam in [e] *Panegyrico* quam etiam in [f] *Epiſtolis*. Aliter ſane *Dio* cum verba ingreſſuræ in Palatium narraſſet: *καὶ οὕτω γε ἑαυτὴν διὰ πάσης τῆς ἀρχῆς διήγαγεν ὥστε μηδεμίαν ἐπηρείαν σχεῖν.* Aliter illi qui *Trajanum* ipſum de fama ſua minus ſolicitum ab ea monitum ferunt atque reprehenſum. Tam longe aberat illa ab eo ut *Trajanum* ipſa ſeduceret. Tam longe ab id genus malis artibus atque impoſturis.

V. Nec *certâ* fide nituntur quæ *Dio* ſe, de hac cauſa, à Patre *Aproniano* accepiſſe teſtatur.

Hæc autem omnia in finem *Trajani* congruunt, & *morbi* tempus quo tandem extinctus eſt. Paulo nimirum poſt ſuperioris anni Expeditionem in *Atrenos* in *morbum* incidit. Tum Expeditionem *novam* cogitabat in eoſdem *Atrenos*. Sed morbo jam ingraveſcente impeditus eſt quo minus id quod cogitabat exequeretur. Hoc tempore prope aberat ab *Edeſſa* mox irruptionem meditans in *Meſopotamiam*. *Vere* hæc anni CXVII[i]. contigiſſe arbitror, tempore nimirum Bellicis Expeditionibus idoneo. Jam *Hadrianus* aderat in Palatio, munere nimirum fungens *dictandarum Orationum*. Atque hic primam *Præſumtionem* habuit *Imperii mox futuri* ex Oraculo *Jovis Nicephorii*. Non ergo *diu* ante ejus Imperium hæc contigiſſe veriſimile eſt. Retraxit *Trajanum* ab ea Expeditione *morbus* ejus ingraveſcens. Tum demum *reditum* cogitans in *Italiam* dimittit à ſe *Hadrianum* in Provinciam *Syriam*. Ægrotantem ergo reliquit noſter, deque morbi, ut videtur, eventu ſciſcitatus eſt per ſortes illas

e *Panegyr. c.* 83. f *Epiſt.* IX. 28.

quarum

quarum meminit *Ammianus* in fonte *Castalio.* Redit deinde in *Italiam.* Sed lentis, ut videtur, propter morbum itineribus. Jamque se paulatim sentiens deficere, *Consulatuum* dispositionem in annum sequentem edidit, deque ea dispositione nuncium accepit *Hadrianus.* Tum *morti* jam vicinus, & *fessa* adeo *voce*, non *suppositus* pro eo quispiam, *Plotinæ* fraude, sed ipse, Testamentum dictavit in quo *Hadrianum* filium Successoremque designavit. Id inde constat quod duobus duntaxat diebus antea nuncium *Adoptionis* quam nuncium *mortis* acceperit. Sed diebus aliquot mortem *Trajani* in *occulto* fuisse *Attiani* quondam Tutoris & *Plotinæ* consiliis tradit *Dio*, ut nimirum *Adoptio* procederet, cum esset in propinquo cum copiis magnis *Hadrianus.* Hæc se à Patre *Aproniano* qui *Ciliciæ* præfuit accepisse dicit in qua mortuus est *Trajanus.* Argumentum addit quod *literis Trajani* de *Adoptione Hadriani* ad Senatum Scriptis non *Trajanus* tamen ipse, sed *Plotina* subscripserit. Idque præter *morem* à se antea receptum. Sed quis, quæso, *Hadrianum* in Provinciam viciniorem misit, amandato longius in *Mauros Lusio Quieto*? Quis illum *majoribus* quam *Lusium* instruxit *exercitibus*? Nonne ipse *Trajanus*, ægrotus quidem ille, sed tamen valetudine nondum deplorata? Nec vidisse tamen credamus illum quo illa spectarent? Nec porro solida procedit Argumentatio quod *literis* de *Adoptione* ad Senatum scriptis non *Trajanus* ipse, sed *Plotina*, subscripserit. Fuerit equidem *Trajano* in *more* ut *Senatui* hunc honorem detulerit Regibus fortasse negatum, ut non alia *manu* solitus fuerit quam *sua* ad *Senatum* scribere. *Moris* tamen illud fuisse fatetur *Dio*, non *officii* necessarii, minimeque prætermit-

termittendi. Præſertim in tam gravi cauſa incommodæ *valetudinis*. Sed & *moris* rationes *propriæ* eſſe poterant quæ hic defecerint. Scripſit equidem [g] *initio* Imperii ad *Senatum*, ſe nullum unquam bonum virum interfecturum, aut notaturum ignominia. Hæc ille αὐτοχειρίᾳ confirmavit atque Juramentis, quo fidem literis majorem conciliaret, ut *propria manu* revinceretur ſi fidem fefelliſſet. Ad eundem plane modum, nec in cauſa etiam diſſimili, Apoſtolus: [h] *Ego Paulus ſcripſi mea manu, Ego ſolvam.* Ad *fidem* nempe *ſolutionis*, pro Legum *Romanarum* ſententia, faciendam. Sed in his ad *Senatum* literis nihil potuit promittere *Trajanus* jam *moribundus*, & in mortis vicinia conſtitutus. Hic tantum *narraſſe* illum veriſimile eſt quæ jam *Teſtamento* conſtituerat, & quorum *fides* facta fuerat in *obſignando* Teſtamento. Itaque à *Teſtamenti* fide atque Subſcriptione pendebant quæ his narranda erant ad *Senatum* literis. Nihil itaque facient ad fidem *Adoptionis* elevandam illæ ad Senatum *literæ*, cujuſcunque *manu* ſubſcriptæ fuerint, ſi tamen *tabulis* ſuis Teſtatoriis *Trajanus* ipſe ſubſcripſerit, quod non negabant illi è quorum fide hæc retulit *Apronianus*. Poterat autem *Trajanus* ad ſubſcribendum *Teſtamento* ſufficere, nec ſufficere tamen ad ſubſcribendum literis ad *Senatum* ſcribendis. Poterat etiam pro *arbitrio* omittere officium minime neceſſarium, & ſibi ægrotanti perincommodum. *Aproniani* tamen Patris fide nituntur omnia hoc loco à *Dione* ipſo prodita. Nec potuit ipſe geſtis in *Trajani* morte interfuiſſe qui multis ab ea *morte* annis *Ciliciæ* præfuerit. Conſulatus *Dionis* in annum incidit Æræ noſtræ CCXXIX[m]. poſt CXII. annos à morte *Trajani*.

g *Dio Xiph.* h Philem. *v.* 19.

*jani.* Itaque *Seniorum* fide, & quidem paulo *remotiorum* ipſe hæc acceperit oportet *Apronianus.* Arcana nimirum Palatii ne quidem *coævis* ſatis explorata. Sed nec aliquid à ſe compertum illi ipſi prodidere *Seniores.* Hoc unico nituntur Argumento ſubſcriptarum à *Plotina Trajani* nomine ad *Senatum* literarum. Id quantum valeat oſtendimus. Siquid præterea è *coævorum* fide retuliſſent, id præterea quærendum reſtabat, *Luſiine Quieti* amici illi fuerint coævi; & num res geſtas ſincere, & qua par erat fide retuliſſent, an ſuis potius *conjecturis* atque *ſuſpicionibus* indulſerint, ut ſolent iſtiuſmodi *partium* ſtudioſi.

VI. *Conſulatus* novare potuit ſummus *Auguſtus*, qua *Pontifex Maximus*, & qua Poteſtatem eandem, ſub alio duntaxat *nomine*, tenuit, quam tenuerant olim *Triumviri Reip Conſtituendæ.*

Plus adhuc in hoc *Secundi Conſulatus* Argumento fuiſſet ad *Præſumtionem Hadriani* fulciendam, ſi quid dedita opera *Trajanus* in ſequentis anni diſpoſitione *novaſſet.* Si nempe *diſpoſitione* jam facta & in *lucem* edita, nomen aliud aliquod *expunxerit*, ut *Hadriani* nomen *inſereret.* Quid ſi *ſuum* ipſius nomen expunxiſſet? Quid ſi æmuli *Luſii Quieti*? Poterat Imperator efficere ut Magiſtratus in officio conſtituti *abdicarent.* Multo magis ne *inirent* qui nondum inierant. *Coartatos à Vitellio Conſulatus, diſſimulatum alium, alium dilatum* memorat [i] *Tacitus.* Et *COSS. ante tempus privavit honore* Nero, *atque in utriuſque locum ſolus iniit Conſulatum, quaſi fatale eſſet, non poſſe Gallias debellari niſi à Conſule,* teſte [k] *Suetonio.* Sic etiam *Publicius Certus* COS. deſignatus *Succeſſorem accepit* (ſic enim loquitur [l] *Plinius*) antequam iniret *Conſulatum* à *Nerva* pul-

*i* Tacit. *Hiſt. II. c.* 71. *k* Suet. *Ner. c.* 43. *l* Plin. *IX. Ep.* 13.

ſus.

ſus. Duplici nimirum titulo Magiſtratus ad *abdicandum* cogere potuit Imperator. Titulo imprimis *Poteſtatis Sacerdotalis*. Admitti enim ſolebant futuri Principes in *Collegia omnia Sacerdotalia*. Et *Triumviros Reip. Conſtituendæ* cum *Auguratus* inſignibus repræſentant Numi. *Pontificatum* autem *Maximum*, etiam *Imperatorum* temporibus, ſolus tenuit *ſummus* omnium *Auguſtus*. *Vitio* autem factos *Magiſtratus*, aut *infauſtis auguriis*, aut malo Reip. *omine* tenentes, *abdicare* cogebant, etiam ſub libera Republica, *Sacrorum* præſides. Sic *Conſules* privavit *Nero*, fatali illa cauſa, quaſi *Auguriis* publicis hoc ipſum poſtulantibus. Tum deinde titulo *Reipub. Conſtituendæ*. Hanc enim Poteſtatem deduxere ſecuti *Auguſtum* Principes. Illi præſertim qui originem Imperii non à *Julio* arceſſere ſolebant, ſed ab *Auguſto*. Erat enim hujus Poteſtatis exemplum in antiquiſſimis liberæ Republicæ *Decemviris*. Illorum exemplo conſtituti ſunt *Reip. Conſtituendæ* primo *Triumviri*, Lepidus, Antonius, & Auguſtus. Tum dejecto *Lepido* Duumviri. Denique pulſo etiam *Antonio*, ſolus jam, ſed eodem *Reip. Conſtituendæ* nomine, Monarcha. In *Quinquennium* delectos illos conſtat fuiſſe *Triumviros*. Et cum *Duumviri* etiam eſſent, ſingulis renovaſſe *Quinquenniis*. Sub nomine tamen *Triumvirorum*, uſque ad mortem *Antonii*. Delecti itaque in *Quinquennium primo* Quinquennio *Triumviri* ſimpliciter, appellantur, ut *primo Conſulatu* ſimpliciter *Conſules*. Tum 2°. Quinquennio *Triumviri iterum* & *tertio deſignati*. Ad eandem plane formam qua & *Conſules*, eo duntaxat diſcrimine quod in *Conſulatibus anni* tantummodo numerentur, in *Triumviratibus Quinquennia*. Sic habent ſeſe illorum temporum *Inſcriptiones* atque *Numi*. Et quidem à *Triumvi-*

*rali*

*rali* illa Poteſtate Imperium *Auguſti* deducunt probatiſſimi Hiſtorici, non autem à cæde *Cæſaris* avunculi. Sic illi nimirum omnes qui tempora ejus ita partiuntur, ut XII. annis tenuerit cum *Antonio*, ad victoriam ſcilicet *Actiacam Sept.* 2 anni U. C. DCCXXIII[i]. non autem ad receptam *Alexandriam* quæ anno ſequenti *recepta* eſt. Tum deinde à Victoria *Actiaca* annos numerant XLIV. quibus tenuerit *ſolus*. Ejuſdem generis *Poteſtatem* agnoſcit partitio illa & cum *Antonio*, & quam poſtea *ſolus* poſſidebat *Auguſtus*. Nec aliam utique utramque quam illam, uti dixi, *Triumviralem*. Exiit 3[m]. illud *Triumviratus* Quinquennium anno U. C. DCCXXVI[o]. Et quidem ſuperiori anno DCCXXV[o]. *conſilium* cepit de *deponendo Imperio*. Cum ſcilicet tempus appeteret ſeu *deponendi*, ſeu etiam *renovandi Triumviratus*. Tunc habuit illas *Agrippa* & *Mecænas* apud *Dionem* de eo Argumento Orationes. Tandem in eo conſentiunt, nondum ita ſtabilitam fuiſſe Rempublicam ut liceret tuto & cum bono publico Imperium *deponere*. Ergo *continuandum* eſſe cenſent. Non tamen jam, cum *ſolus* eſſet, ſub titulo *Triumviratus*, ſed novo potius *Imperatoris*. Tum ergo primum *Imperator* appellatus eſt. Eo nimirum ſenſu quo & *Cæſar* antea, & ſecuti deinde Principes *Imperatores* appellati ſunt. Et quidem de his hoc anno *conſultum* ac *decretum* eſt. *Imperium* autem *novum* nondum iniit ante annum ſequentem U. C. DCCXXVI[m]. quo exiit tertii *Triumviratus* Quinquennium. Inde inchoandum *Imperium* ejus proprie ſic dictum, qua ſcilicet à *Triumviratu* diſtinguitur.

VII.
Convenit accurate initium *Imperii* cum fine *Triumviratus tertii.*

Hoc ſane anno multa concurrebant quæ alio quam ad *tertii Triumviratus* exitum referre vix poſſumus. Imprimis Oratio illa in *Dione* de *Imperio deponendo* ad Senatum. Inde enim conſtat *privatum* duntaxat, & ante tempus legitimum, fuiſſe *conſilium* illud ſuperioris anni de deponendo Magiſtratu inter amicos familiareſque agitatum. Tum etiam quod hoc demum anno *Acta Triumviratus* omnia antiquarit. *Peracto* ſcilicet *Triumviratu*, ne hoc ipſum *Edictum* afficeret illa Antiquatio. *Mox* tamen à Triumviratus exitu quo *novum* jam *Imperium* gratius efficeret atque commendatius. Tum & illud quod *Ludos* de *Victoria Actiaca* Quinquennales *hoc* demum *anno* primos exhibuerit. Non alia proculdubio de cauſa *tribus* ab ipſa victoria *annis*, duobus ab *Antonii morte* expletis, quam quod *Novi Magiſtratus* celebritati *Ludos* illos *Natalitios* eſſe vellet. Nec alia, ut puto, de cauſa *Quinquennales* quam quod *Triumviratus* ipſe fuiſſet *Quinquennalis*. Uno certe anno à Quinquenniis *luſtricis Indictionumque* publicarum diſcrepabant hæc *Quinquennia*. Uno item anno ab Epocha illa *Auguſtorum*, qua ſcilicet *Auguſti* nomen accepit *Octavianus*, cujus meminit *Cenſorinus*. Nihil itaque cum illis affine habere poterant *Ludi* hi, de quibus loquimur, *Quinquennales*. Atqui in *annum* conveniunt ſatis accurate quo deſiit *Triumviratus Quinquennalis*, licet non in anni *menſem*, ſi quidem eodem tempore illi *Ludi* celebrati fuerint quo *victoria* illa potitus eſt *Auguſtus*. Victus enim eſt *Antonius Sept.* 2°. *Triumviratum* autem iniit *Auguſtus Nov.* 27°. Sed *eodem menſe* celebrari non poterant quæ *diverſis menſibus* contigere. Nec tamen erat in alios *COSS.* differenda illa

illa celebritas. Eodem etiam ſpectaſſe veriſimillimum eſt quod [m] *Stipulationes* omnes Reip. factas hoc anno remiſerit *Auguſtus*, illis duntaxat exceptis, quæ fuiſſent de *Ædificiis*; Et quod [n] *Syngraphas* eorum qui quid *Publico* debuerant, concremaverit. Hoc eodem exemplo *Imperiorum exordia* ſecuti etiam ſæpe celebravere Principes, in quibus noſter etiam *Hadrianus*.

VIII. Per *Decennia* aut *Quinquennia* demandari ſolebat *Imperium*, ut olim ſolebat *Triumviratus*.

Et res ipſa loquitur *novum* illum *Magiſtratum* quo (elapſo *Triumviratus* tempore) ornatus eſt *Auguſtus*; ut *nomine* alius fuerit, cum jam *Trium* Poteſtas ad *unum* rediiſſet, *officii* tamen & *curæ* ejuſdem fuiſſe quo fuerat *Triumviratus*. Non ſcilicet *herilem* fuiſſe & ſui cauſâ, ſed *fiduciarium* & nomine *Senatus Populique Romani*. *Domini* [o] nomen abominabatur atque averſabatur *Auguſtus*, qui ſcilicet, non ſuum *Dominium*, ſed *curam* Reipublicæ ac *Tutelam* præ ſe ferebat atque profitebatur. Et *curam* illam *temporaneam* agnovit, nec diſſimilibus temporum periodis finiendam quibus concludendus fuerat *Triumviratus*, *Quinquenniis* nimirum aut *Decenniis*. *Decennalis* erat nimirum primus ille Magiſtratus ab anno U. C. DCCXXVI°. cœptus, & in annum ejuſdem Epochæ DCCXXXVI[m]. deſinens. Excepit illum *Quinquennalis* (inquit *Dio*) qui ſi recte habeat, duplex fuerit oportet. Nam anno exiit DCCXLVI°. Tum *Decennalis* alius qui anno DCCLVI°. Itemque 4[us]. qui anno DCCLXVI°. Eo autem anno, qui *penultimus* erat *Auguſti*, decretus eſt *Auguſto* Magiſtratus *decennalis* V[us]. Atque hoc demum anno, non autem anno, ut hactenus Eruditis viſum eſt,

*m Vid.* Caſaub. *ad* Suet. *Aug. c.* 32. *&* Tacit. *Ann. XIII.* 23.
*n* Spart. *vit. Adr. c.* 6, 7. *o* Suet. *Aug. c.* 53. *vid. Tiber. c.* 27.

*antepenultimo*, [p] Lege per *COSS.* lata *Tiberio* concessum est ut *Provincias* cum *Augusto* communiter administraret. Id inde firmatur quod anni DCCLXXVI[i]. *COSS.* Æræ nostræ XXIII[i]. à morte *Augusti* IX[i]. *ad toties invisa revolutum Tiberium* testetur [q] *Tacitus*, de reddenda Rep. utque *COSS.* seu quis alius, Regimen susciperent. Sed *Ludis* inde *decennalibus*, non novo aliquo *SC.* Imperium continuavit *Tiberius*. Id nos docet [r] *Dio*. Sed *Tribunitia Potestas* duntaxat *Quinquennalis Agrippæ* concessa est & *Tiberio*, quam tamen cùm *Imperio Summo* eandem fuisse mox probabimus. Inde origo *Decennalium* atque *Quinquennalium* apud juniores, *votorum* deinde à COSS. & Provinciarum fortasse Præsidibus, non autem *decretorum* à *Senatu*. Veteris tamen moris *vestigia* vel in illis constabant *Quinquenniis* ac *Decenniis*. Et si ab antiquo more votorum *Ludorum* si per *Quinquennium* aut *Decennium* Resp. in eodem statu permansisset (qui sane mos à *secundo* saltem Bello *Punico* receptus est) mos celebritatum *Quinquennalium Decennaliumque* deductus sit: Sic tamen ratio cur *Imperiorum* Quinquennia & Decennia voverint gratulatique fuerint, exinde proculdubio arcessita est quod *Imperia* ipsa fuerint, ab hoc primo *Augusti* exemplo, *Quinquennalia* atque *Decennalia*. Nec in eo duntaxat *Triumviratui* successit pariter atque respondit *Imperium*, quod fuerit ipsum, ut fuerat *Triumviratus*, *Quinquennale*.

IX. Idem etiam erat Imperii & Triumviratus *Officium*.

Successit etiam in *cura* ipsa & *officio*. Habuit equidem *Triumvir* Populi Romani *Provincias*. Ita *Romanum Imperium* tripertito distribuerunt *Lepidus*,

*p* Vell. Pat. *L. II. c.* 121. Sueton. *Tib. c.* 21. *q* Tacit. *Ann. IV.* 9. *r* Dio *L. LVII.*

*Antonius*

*Antonius*, & *Augustus*; Tum bipertito *Augustus* & *Antonius*. Sic tamen illi, ut *SC.* Poteſtatem illam acceptam ferrent, nec ſuo adeo ſed *Senatus Populique Romani* nomine Provinciarum curam in ſe ſuſceperint. *Triumviri Reip. Conſtituendæ* Magiſtratum ſuum in *Quinquennium* acceperunt quod ſpatium illud ſuffecturum crediderant ut Remp. in tuto conſtituerent, mox ubi conſtituiſſent, ipſi deinde in ordinem redigendi. Inde legimus in Triumvirorum * Numis *Q. P.* ſeu ut in aliis Numis auctioribus explicantur *Quæſtores Procos.* Quis eſt quin hic videat eandem plane Poteſtatem *Proconſularem* hic *Triumviris* aſſeri, quam nos antea *Imperatoribus* aſſeruimus? Quis eſt quin videat ſimiles plane Triumvirorum *Quæſtores*, quales illi erant, de quibus ſupra egimus, *Principum Candidati*? Non certe alios legimus Quæſtores qui *Numorum feriendorum* poteſtatem habebant quam *publicos* hoſce *Triumvirorum Candidatos*. Itaque ut *Proconſularem* Poteſtatem, ita *Provinciarum* Poteſtatem oportet illos habuiſſe *Triumviros*. Appellantur porro in Numis iidem illi Quæſtores *Proquæſtores*. Pro eadem nempe forma qua etiam *Provinciarum* Præfecti *Proconſules* appellabantur. Qua enim Analogia *Conſulibus* reſpondebant *Quæſtores*, eadem etiam *Proconſulibus* reſpondebant non tam Quæſtores quam *proquæſtores*, Latet itaque in illo ipſo *Proquæſtorum* vocabulo relatio ad Poteſtatem, quam dixi, *Proconſularem*. Sed vero PROQ. III. VIR. *Caium Marium* nominat Numus † *Antonii*. Idem ergo *Antonius* Triumvir Poteſtatem habuit etiam *Proconſularem*. Fateor interim fuiſſe, cum deſiiſſet *Triumviratus Reip. Conſtituen-*

* Mediob. *p.* 14, 15, 16. † Mediob. *p.* 18, 23

*dæ*, alios tamen *Proquæstores Triumvirorum Monetalium*. Sed *Triumviros Monetales* neminem fuisse puto qui *Procoss*. unquam appellarit. Sic & *Augustus* cum *Provincias* in primum *Decennium* regendas accepisset, hoc etiam [f] jactanter addebat, quo breviori spatio eas pacare posset, eo citius se Imperio exuturum. Plane pro exemplo *Dictatorum*, qui quanquam omnes Magistratum in *sex menses* accepissent, vix tamen aliquem ante *Syllam* legimus qui *menses* illos omnes expleverit, unum si excipimus *Camillum*. Imo liberas *Bello* & custodia *militari* Provincias *Senatui* reddidit & *Populo Romano*, reliquas tum demum redditurus cum etiam illæ fuissent in tuto collocatæ. Inde [t] *Rationaria* illa *Imperii* & *Breviaria* ab *Augusto* confecta, cum de Rep. reddenda cogitaret, fontes nimirum secutarum Imperii *Notitiarum*, quarum specimen habemus in Sæculo quarto. Erant enim *Rationaria* illa eorum qui res alienas suæ fidei commissas habebant. Nec aliis reddi illæ solebant *rationes* præterquam rerum ipsarum *Dominis*. Dispensatoris *breviarium* in *Suetonii* [u] *Galba* legimus, & in S. *Lucæ* Evangelio, & apud *Plinium* [x] *Breviaria* etiam *Villicorum*. Has *Imperii rationes* à *Tiberio* intermissas publicavit iterum [y] *Caligula*, qui tamen *decennium* in Imperio non explevit, nec *Quinquennium*. Publicavit tamen tantummodo. Non *Magistratibus* & *Senatui* reddidit, quod primo saltem *Quinquennio* fecit [z] *Augustus*. Et plane reddendis *rationibus* obnoxium etiam *Triumviratum* agnovit [a] *Antonius* cum *Augusto* objiceret per ipsum stetisse quo minus redditæ fuissent. Ait quidem [b] *Tacitus*

*f* Dio *L. LIII.* *t* Suet. *Aug. c.* 28. 102. *u* Suet. *Galb. c.* 12. *x* Plin. *N. H. XVIII.* 26. *y* Suet. *Calig. c.* 16. *z* Suet. *Aug. c.* 28. *a* Suet. *Aug. c.* 28. *b* Tacit. *Ann. I.* 2.

*Augustum*

*Augustum*, posito *Triumviri* nomine, *Consulem* sese tulisse, & ad tuendam Plebem *Tribunitio Jure* fuisse contentum. Nescio sane an ad *perpetuum Consulatum* Augusto à *Senatu* decretum retulerit ille *Magistratum* illum quem, exuto *Triumviratu*, illius loco sumserit *Augustus*. Id si ita intellexerit, erraverit necesse est. *Consulatus perpetui* vestigia nulla præterquam in gente *Flavia* reperimus, & in illis legimus *reprehensum*, quem tamen *omnibus* communem fuisse necesse erat, si quidem eo *nomine* Provinciarum potestatem habuisset Imperator. Nec *Numerari* unquam, in ipso etiam *Augusto* observavimus *Potestatem Consularem* ut *numerari* solet *Potestas Tribunitia*. Imo *Consulatus* Imperium sequentes sic *numerari* solent, etiam *intercisi*, ut numerum cum illis nullum communem faciat *Consulatus* iste *perpetuus*. Sed nec *Provinciæ* plusquam *unius* solebat unquam esse *Consulatus*. Rectius huc retulisset *Potestatem Proconsularem* ut supra jam pluribus ostendimus.

X.
In *Triumvirorum* Juribus erat etiam illud, ut *Magistratus* alios in aliorum locum sufficerent. Idem itaque Jus *Imperii*.

Itaque *Triumviratus* locum supplebat novus *Imperii* Magistratus, & *Jura* adeo omnia habebat quæ fuissent *Triumviratus*, quæque ad *Remp. constituendam* visa essent necessaria. In his *Juribus* unum erat ut *Magistratus* alios, pro arbitrio, in aliorum locum sufficerent. Ita *Consul Octavianus*, collega suo *Pedio* in Magistratu mortuo, *Prætorem* illius anni *Ventidium*, cum alio quodam, ipso nimirum *abdicante*, suffecit, & *Præturæ* ejus alium Successorem dedit, ejusdem *anni* similiter *Ædilem*. Postea *Prætores* omnes, quinque antea diebus quam Magistratu excessuri erant, in *Provincias* miserunt,

aliis in eorum locum ſuffectis. Tum *Leges* alias antiquarunt iidem *Triumviri*, alias ſtatuerunt. Et uno verbo (inquit [c] *Dio*) τἄλλα πάντα ὅπως ποτὲ ἐδόκει αὐτοῖς ἔπρασσον. Quid ſi pro eodem exemplo *Hadrianum Trajanus* in alterius *Conſulis Ordinarii* locum Magiſtratumque ſuffecerit? Quo *rarioris* id fuiſſet exempli eo magis liquido conſtabat pluſquam *privati* hominis illum fuiſſe *Conſulatum*. Eo magis feciſſet ad ſpem *Luſii Quieti* minuendam, & ſpem illam quam jam antea conceperat *Hadrianus*, *Præſumtionemq;* de Imperii *Succeſſione* confirmandam.

c Dio *L. XLVII.*

---

---

*Præ-*

# *Prælectio* XVIII. *ad Spart.* Hadrian.

1691.

## *De Imperatorum* Adoptionibus, *&* *Adoptatorum* Juribus.

*Adoptiones* privatæ *per* Legem Curiatam *apud* Pontifices. *Non ita Adoptiones* Principum. §. I. *Alia discrimina inter* Principum *Adoptiones*, privatasque. §. II. *Alia Exempla in* Principum Adoptionibus *licentissima.* §. III. Forma *illa qua* vir virum legebat, *apud Veteres, explicata.* §. IV. *Cum Imperator, pro forma illa,* Successorem adoptaret, *nulla id* Libertatis Publicæ *fraude factum est.* §. V. *Admodum apta erat* forma *illa publicis* Principum *Adoptionibus.* §. VI. *Jus* adoptati *Principis, ut publice appellaretur* filius Augusti. §. VII. *Item* Imp. Cæsar, *&* Princeps Juventutis. *Summus Augustus, ipse* Princeps Senatus, *inde* Principis *simpliciter sic dicti titulum traxerit.* §. VIII. *Etiam* Pueri *hæredes Imperii* Puerorum Nobilium *exercitiis* militaribus *præfecti sunt.* §. IX. Principes Inventutis *appellati post* Pubertatem, *antea duntaxat* Pueri Nobilissimi. §. X. *Mansit titulus* Principum Juventutis *post annos* Senatorios *non tamen ad ætatem admodum* Provectam. §. XI. *Conveniunt illis quæ diximus* Principum Juventutis Numi. §. XII.

*Spart.* vit. Adrian. c. 4.

I. Adoptiones *privatæ* per *Legem Curiatam* apud *Pontifices.* Non ita Adoptiones *Principum.*

*QVinto Iduum Augusti die, Legatus Syriæ literas Adoptionis accepit: quando & Natalem Adoptionis celebrari jussit.*] Prosecuti sumus hactenus, Academici, *Hadriani* varios & *honores*, & honorum etiam *tempora.* Designavimus præterea *gradus* quibus ad spem *A-*

*doptionis* paulatim aſcenderit. Nunc de ipſa agimus *Adoptione* quæ eum fecerit *Imperii* participem. Erat autem *Adoptio* illa Principum multis nominibus longe alia ab ea quæ *familiarum* erat *privatarum*; tota nimirum ipſa ab Adoptantis *arbitrio* pendens, & ſoluta ipſa Civium *Legibus* pariter ac Jus illud *Imperii*, quod per illam conferebatur, erat etiam ipſum *Legibus* ſolutum. Hoc obſervavit olim *Galba* Imperator in ſua *Piſonis* Adoptione. [a] Ibi fatetur *moris* fuiſſe ut per *Legem Curiatam apud Pontifices* procederet *Adoptio*, eumque *morem* ſibi etiam agnoſcit, ſi *privatus* fuiſſet, obſervandum. Idque ipſe etiam ſenſit *Auguſtus* à *Julio* adoptatus Imperatore, non tamen ad *Imperii*, ſed *privatæ* duntaxat *familiæ*, atque *Patrimonii* ſucceſſionem. Obſtitit illi COS. [b] *Antonius* ne ferri illa *Lex Curiata* poſſet, nolens ipſe nimirum de ea ad *Senatum* referre. Tum Tribunatum *Plebis* ambiit *Auguſtus*. Eo nimirum fine ut *Tribunus Senatum* convocare poſſet, deque ſua *Lege Curiata* ad ipſum referre. Sed hic etiam artibus *Antonii* eluſus eſt inhiantis nimirum in bona *Cæſaris* & *Auguſti* Patrimonium. Nec antea *Legem* illam ferre potuit *Auguſtus* quam ſe *Conſulem* faceret cum collega *Pedio*. Tum demum *Lege Curiata* à *Pedio* rogata proceſſit ejus *Adoptio*. Inde *Cæſaris* nomen habet in coævis monumentis cum antea *Octavianus* appellaretur. Hanc itaque *Legem Curiatam* ſibi *Principi* minime neceſſariam fuiſſe oſtendit Imperator *Galba*. Pro *libitu* tamen etiam *Imperator* Lege *Curiata* uſus eſt. Sic *Poſthumum Agrippam* & *Tiberium* ipſe adoptavit *Auguſtus*: *Suet*. Aug. c. 65. *Pontificum* uſus eo minor eſſe potuit quod *Ponti-*

a Tacit. *Hiſt*. *I*. 15. b Dio *L*. *XLV*.

fex

*fex Maximus*, qui nisi *unicus* esse non potuit, ipse esset *supremus* omnium *Augustus*.

II. Alia discrimina inter *Principum* Adoptiones, *privatasque*.

Sic equidem se res habebat per Leges *Reipublicæ*. Per Principum *Constitutiones* ita invicem discrepabant *Adoptio* proprie sic dicta atque *Adrogatio*. *Adoptio* erat *Civis* qui tamen esset in *aliena Potestate*, necdum emancipatus. Nec penes alios fieri potuit quam *Magistratus* qui *Actionum* Jus habebant, cum consensu ejus cujus in *Potestate* esset, seu *Pater* fuisset, seu *Avus*, lineæ nimirum *Ascendentis*. *Adrogatio* illius erat qui *sui Juris* esset, & se daret adrogandum. Nec aliter fieri potuit præterquam *indultu Principis*. In hoc posteriori sensu erat *Hadrianus*, *adrogandus* potius quam *adoptandus*, cujus nimirum *Pater* jam olim, uti vidimus, è vivis excesserat. Sed nec [c] *absens* adrogari potuit, nec *præsens* etiam nisi *consentiens*. Rogari enim solebat *Adrogator* an hunc sibi in *filium* seu *Nepotem* adrogare vellet. Rogari item *Adoptandus* an se adrogari pateretur. Sed *Princeps* ipse *adrogator* omnia supplevit. *Absente* enim, nec edita *consensus* significatione, processit tamen *Adoptio*. Formam autem in *præsentis* Adoptione observari solitam habemus in *Galbæ* illa *Pisonis* Adoptione. Transigit ibi *Galba in Palatio comitia* (Sic enim [d] *Tacitus* appellat) *Imperii*. Aderant *COS. Ordinarius* ipsius *Galbæ* collega *T. Vinius*, Præfectus Prætorii *Cornelius Laco*, COS. *designatus* in *mensem* aliquem ejusdem, ut videtur, anni sequentem, *Marius Celsus*, & Præfectus Urbis *Ducennius Geminus*. Tum accersiri jubetur Adoptandus *Piso* ipse *Licinianus*, ejusque *manu* apprehensa *Galba*

c *Dig. L. I. tit.* 7. d Tacit. *Hist. I.* 14.

Adoptionem ſuam ſignificat *Oratione* illa quæ legi poteſt apud [e] *Tacitum*. Reſpondit *Piſo* conſenſumque ſuum indicat *ſermone*, ut ait *Tacitus*, *erga Patrem Imperatoremque reverenti, de ſe moderato*. Tum Adoptionem *nuncupat* primo in *Caſtris*, deinde in *Senatu*. In *Caſtris* Nuncupationem comitari ſolebat *Donativum* fatali hic errore à *Galba* prætermiſſum. *Abſentis* adoptandi formam breviſſimam exhibet *Dio Xiphilini*. Ibi *Capitolium* aſcendit *Nerva*, & verbis illis ſolennibus rem totam conficit: Ἀγαθῇ τύχῃ τῆς τε βουλῆς καὶ τοῦ δήμου τοῦ Ῥωμαίων καὶ ἐμοῦ αὐτοῦ Μάρκον Οὔλπιον Νερούαν Τραϊανὸν ποιοῦμαι. Tum *Trajanum* in Senatu *Cæſarem* nuncupat, *literiſque* ipſum de ſua Adoptione *propria manu* ſcriptis certiorem facit. Ita quidem *abſentes* Adoptati ſunt tam *Trajanus* ipſe quam noſter etiam *Hadrianus*. Et tamen *præſentium* Adoptionum Symbola repræſentant eorum numi. Ibi *togatas* tam *Adoptantis* quam *Adoptati* imagines plerunque reperimus qui *civium* erat habitus in *Pace*. *Sagatum* nonnulli adoptandum repræſentant, habitu nimirum & ipſo *Civium*, non domi tamen, ſed *Militiæ*. Sed ad honorem adoptandi ſpectabat quod honorem illum rebus in *Militia* geſtis meruiſſet. *Dextras* præterea *dextris* junctas exhibent iidem illi *Adoptionis Numi*. Ad eundem plane modum quo *dextras junctas* ſimiliter obſervamus in *Conjugiorum* numis, & in aliis *fide Exercituum*, & *concordia* inſignitis. Accepti enim in *fidem filii* pariter ac *uxores*. Et datam præterea obſtrictamque *fidem* utrinque arguit *dextrarum* illa conjunctio. A *filio* nimirum, fore ſe in *Poteſtate Patris*: à *Patre* viceverſa *filium* ſe benevolentia aliiſque officiis Paternis proſecuturum.

[e] *Ib. c.* 17.

Ita

Ita ritus *Adoptionum* ſolennes repræſentant illi *Numi* etiam ubi nulli poterant, pro locorum intervallo, obſervari.

III.
Alia exempla in *Principum Adoptionibus* licentiſſima.

Erant præterea *Imperatorum* aliæ *Adoptiones* longe adhuc *licentiores*. Veteres in libera Rep. Adoptiones nullas legimus præterquam in linea, ut modo diximus, *Aſcendente*. Filiorum *viz.* aut *Nepotum*, &c. In linea *tranſverſa Fratrem* adoptavit *Marcus Lucium*, ejuſque exemplo poſtea *Diocletianus Maximianum Herculium*. Adoptiones veterum nullas legimus, etiam in linea *aſcendente* affectuum *ſuperiorum*. Qui *filium* ſibi aut *Nepotem* adoptarint multos legimus; nullum qui *Patrem* ſibi adoptarit aut *Avum*. Qui *mortuum* ſibi aut *Patrem* adoptarit, aut *Avum*, plane neminem. Hæc tamen fecit Imperator *Legum* alioqui exactor ſeveriſſimus *Septimius* ipſe *Severus*. Is & *fratrem* ſibi adoptavit *Commodum*, & *Patrem Marcum*, & communes omnes cum *Marco majores*. Abſurde nimirum, ut in *mortui* ſeſe *Poteſtate* profiteretur, cum qui *pro mortuis* haberentur, ne *ſuum* quidem *caput* in libertatem *Civitatemque Romanam* aſſerere poſſent, niſi *jure poſtliminii*. Sed nec alios apud Veteres legimus *Patres Adoptitios* quam qui per *ætatem* ſaltem poterant fuiſſe naturales. *Clodii* factum nemo prudens habebit pro *exemplo*, hominis nimirum effrænis atque audaciſſimi. Is quidem [f] ei ſe adrogandum dedit cui potuit per *ætatem ipſe Pater* fuiſſe. *Pubertatis* totius intervallum præcipiunt *Principes* juniores, nequis nimirum *filium* ſibi adoptaret quo major *ipſe* non fuiſſet annis ſaltem *ſeptemdecim*. Ea enim *Pubertatis* ætas juſta fuit tam apud *antiquiſſimos*

f Cicer. *Orat. pro domo ſua.*

mos

*mos*, ut vidimus, quam etiam apud *juniores*. Sed consobrinum *Alexandrum* filium adoptavit paucis duntaxat se minorem annis monstrosissimus ipse Principum *Elagabalus*. Sic nullam *Legum* curam aut saltem reverentiam habebant *Principum* nonnulli qui erant ipsi *Legibus* soluti.

IV. *Forma* illa, qua *Vir virum legebat*, apud veteres, explicata

De *Trajano* aliter statuendum, *Principe* scilicet & *Legum* atque *Reip.* studiosissimo. Nusquam nimirum illum à *Legum* mente & consilio discessisse causis parum necessariis. Multa *peculiaria* habebat locus ipse *Principis* summus & *Imperii*, communibus Legibus parum apta, nec utique ab iis concludenda. Illud certe ostendit *Galba* Principem *Legis Curiatæ* necessitate non constringi. Idem [g] *adoptari à se Pisonem more Divi Augusti, & exemplo militari, quo vir virum legeret, pronunciat*. Hæc sunt illius apud *Tacitum* verba. Inde intelligimus *Imperii* nomen ipsum ut *militare* fuit, sic *Jura militaria* omnia fuisse utique *Imperatori* concedenda. Sic itaque ut habebant *Cives* pro suis Adoptionibus *Comitia Curiata*, habebat etiam Imperator sua quoque *Comitia* quæ vidimus *Imperii*. Tatumdemque valuit ad Adoptionem *Principis Testamentum* quod *Civium Leges Curiatæ*. Sed vero in *Testamentis* etiam *Jura* erant multa *militum* propria. Nec enim ad amussim *Legum* exigi solebant *Testamenta Militaria*, modo de *Testantis voluntate* constaret. Hæc si *gregariis* etiam *militibus* concedi solerent, quis dubitet potiori quodam Jure fuisse ipsi *Imperatori* concedenda? Imo illam ipsam *militis* personam egit hoc tempore *Trajanus*, *paludatus* nimirum propter Bellum *Parthicum*, non *togatus*. Er-

g Tacit. *H.* I. 18.

go

go ſi quo *Jure militari vir virum legere* ſolebat, eodem *Imperator filium* adoptare potuit, & *hæredem Imperii*; Jus illud plane *arbitrarium* fuerit oportet, nec *Lege* aliqua conſtringendum. Erat certe mos ille, quo *vir virum legebat*, in *militia* antiquiſſimus. Meminit illius ſæpe *Livius*, & quidem ita meminit ut *delectuum*, præcipue *ſacrorum*, proprium illum faciat. *Lege ſacrata* vir virum *legiſſe* dicitur cum cogerent [h] *Etruſci* ad *Vadimonis* lacum exercitum. Sic *Legionem linteatam* conſcripſere *Samnites*, [i] *decem* nimirum nominatis ab *Imperatore* quibus conceſſum, ut *vir virum legeret*, donec *ſexdecem millium* numerum confeciſſent. *Sacratos* illos utrobique fuiſſe manifeſtum eſt ad *mortem* pro *Rep.* fortiter oppetendam. *Devotos* illos & καθωσιωμένȣς appellant *Græci Latinique* juniores, quales fuere *Gallorum* [k] *Soldurii* à quibus *noſtrum* quoque *militum* nomen fluxiſſe creditur. Nec alii fortaſſe fuerint, è prima ſua origine quos *devotos numini Majeſtatique* Principum legimus in *Inſcriptionibus*. Multos iſtiuſmodi legimus in illorum temporum Hiſtoriis qui *capita* ſua pro *Principum ſalute* devoverint. [l] *Caligula* illos mori juſſit ne fidem fallerent, Princeps, ut volebat videri, Religioſiſſimus. Nec aliter, ſi recte memini, *Commodus*. *Sacratos* hoſce ad *delectus* ſanctiſſime faciendos obſtrictos iiſdem, quibus fuiſſent ſacrati ipſi *Sacramentis*, fuiſſe veriſimile eſt. Ne ſcilicet alios deligerent quam quos ipſi noſſent fortiſſimos atque conſtantiſſimos, uſibuſque Reip. commodiſſimos. Horumq; adeo *fidem* imitari volebant Principes qui *Succeſſorem Imperii* ita deligebant ut *vir virum* olim *legere* ſolebat. Illa certe conſecuti ſunt *ſacrati*

*h* Liv. *L. IX. c.* 39. *i* Liv. *L. X. c.* 38. *k* Souldiers. *l* Dio *L. LIX.*

iſtiuſmodi

iſtiuſmodi homines, tam ut *fidei* ſuæ & *arbitrio* permitterentur illi *delectus*, quam etiam ut ne facile revocarentur in dubium res eorum geſtæ. Ita *Leges Sacratæ* de *Tribuno Plebis* ab *Icilio* latæ, de *Poteſtate Dictatoria* è Rep. penitus tollenda à *M. Antonio*, nunquam deinde in dubium vocandæ erant, ni quis caput ſuum *diris*, quibus fuerant ſtabilitæ, obnoxium eſſe vellet. Hunc morem in *Senatus delectum* tranſtulit *Auguſtus*, cum ſcilicet *odium delectus* ipſe defugeret. Duabus enim *lectionibus Senatus numerum affluentem ad modum priſtinum & ſplendorem redegit*, inquit [m] *Suetonius*; prima *ipſorum* arbitratu quo *vir virum legit*, ſecunda *ſuo* & *Agrippæ*. Muneri itaque *Cenſorio* opponebatur lectio illa qua *vir virum legebat* plane *arbitraria*. Idque patuit hac ipſa *lectione*, cum *Antiſtius* [n] *Labeo* Juriſconſultus *M. Lepidum* Auguſti *hoſtem*, eoque tempore in *exilio* agentem legeret. Eo facto excanduit *Auguſtus*, rogavitque *Antiſtium* an eſſent alii *digniores*. *Antiſtius* contra ſuum quemque *judicium* habere reſpondit. Addit *Dio Perjurii Antiſtium* ab *Auguſto* accuſatum eſſe; Reſpondiſſe autem *Antiſtium* ſe rem indignam nullam admiſiſſe qui eum virum in *Senatu* retinuerit quem *Auguſtus* ipſe in *ſummo Pontificio* retinuiſſet. Ita *Auguſtum* iram omnem remiſiſſe, & ſententiam *Labeonis* obtinuiſſe. Ex his utriſque Teſtimoniis invicem collatis, facile colligitur, qui *vir virum* lecturus eſſet eum *jurejurando* obſtrictum eſſe ne quem alium legeret quam qui, ſua ſaltem ſententia, fuiſſet officio *digniſſimus*.

*m* Suet. *Aug. c.* 35. *n* Suet. *ib. c.* 54.

Hoc

V.
Cum Imperator, pro forma illa, *Successorem adoptaret*, nulla id *Libertatis Publicæ* fraude factum est.

Hoc ſi exemplo *vir virum* legerit qui ſibi in *Imperio* ſucceſſurus eſſet *Imperator*, jam facile intelligemus quam nullo id *Libertatis* Publicæ detrimento fecerint Principes Reip. ſtudioſiſſimi, quorum in numero noſter fuit certe, ſi quis unquam fuerit, *Trajanus.* Non potuit *Reſpublica* pro privatæ *familiæ* Patrimonio cenſeri, ſi *hæredes Imperii* non *genitura* fecerit, ſed *Adoptio*; ſi in *Adoptione* etiam, *fidem* dederit *Imperator* ne quem alium legeret *hæredem* quam quem ipſe *Reip.* ſtudioſiſſimum noſſet, & *Imperio* cæteroqui *digniſſimum*, quam quem potuit alioqui ſuffragiis liberrimis ad Imperium deſignare *Senatus.* Id ſæpe contigit in liberrima Rep. ut *Libertas Publica* unius ſingulariſque hominis adminiſtrationi crederetur. Cum ſcilicet id *neceſſitas publica* poſtularet. Et *hominis* illius deſignatio non *ſuffragiis* tamen *publicis*, ſed unius ſæpe hominis *arbitrio* permiſſa. *Interregem* prodidere *Patricii.* Is *Dictatorem* dixit *ſolus* ſi ad *Interregnum* res redacta fuiſſet, nec ulli eſſent *Imperio ſummo* inſtructi Magiſtratus. Sin aliter, dixit *unus* certe *Conſul*, ſeu *ſorte* honorem illum, ſeu *comparando*, ſeu denique *SC*°. fuiſſet conſecutus. Addidit præterea *Senatus* ſub *Julio* SC. quo decrevere [o] *filios Julii nepoteſque* nomen proprium *Imperatorum Cæſarum* habere, cum ille adhuc nec *filios* haberet nec *nepotes.* Hæ certe appellationes *familiæ* pluſquam *privatæ* fuiſſe videbantur. Inde factum ut *Auguſtus* ab eo *adoptatus* ad *Imperii hæreditatem* educatus crederetur, non *privati* duntaxat patrimonii. Id ne crederetur metuebant, ſi hæreditatem

o Dio. L. XLIII.

adiret,

adiret, *Philippus* vitricus & mater *Attia*. Id ſuſpicati ſunt *M. Brutus* & *Cicero*, cum & ille *Tyrannorum filios* interficiendos cenſeret pariter ac ipſos Tyrannos, & hic *Adoleſcentem*, quem appellabat, *laudandum, ornandum atque tollendum*. Ex illo *SC°*. conjecturam capere poterant Tyrannicidæ, fore ut *Imperium* pro *Cæſaris hæreditate* habere poſſet *Octavianus*. Plerique tamen *Cæſaris hæreditatem*, de *nomine* illo *hæreditario* capiebant, & *privato Patrimonio*, & *familia*, & *domeſticis* familiæ *Sacris*. Utcunque multis *Auguſti* Adoptionibus conſtabat, quas habuit *Galba* pro exemplis, *permiſſum* illi à *Senatu* ut eoſdem privati *Patrimonii hæredes* haberet ac *Imperii*. Ita factum ut *publica* ejus eſſet *familia*. Nec ſane aliter fere ſervari ſolent *Imperiorum Succeſſiones* quam *Factis* eorum quorum intereſt permiſſione *probatis* ut tandem in *exempla* tranſeant, *Traditione* potius atque *Conſuetudine* quam *Scripta Lege*. Nec aliter ſolemus *hæredes extraneos* quærere quam cum deſunt *domeſtici*, nobiſque *ſanguine* ſeu *affinitate* juncti. Itaque cum *Imperium hæreditarium* eſſet; ita demum ſervata eſt communis illa *Civium* paritas ſi undecunque *adoptarentur* hæredes, cum alioqui nulli eſſent *Imperio* digni, ſeu *cognati* ſeu *affines*. Hoc enim certe habebant *domeſtici* commune cum *Civibus extraneis* ut ne excludi poſſent à *Juribus* Civium *Communibus*. Hoc autem ſingulare, quod cætera pares non poſſent, per officia *Pietatis* domeſticæ, à *Cive* bono *officiorumque* ſtudioſo negligi, aut reliquis poſthaberi. Et vero Jura illa *Auguſti* non modo coævis Auguſto *Senatuſconſultis* ſtabilita fuiſſe conſentaneum eſt, ſed recentiori quoque illo *Trajanique* temporibus propiori ſub Imperio *Veſpaſiani*. Sed deſunt illius SC$^{i}$. verba multa.

Et

VI. Admodum apta erat *forma* illa publicis *Principum* Adoptionibus.

Et quidem ſatis apte congruebat mos ille admodum antiquus in *Sacris* delectibus, quo *vir virum* legebat deſignandis *Imperii* Succeſſoribus & hæredibus? Si quid enim erat, pro illorum temporum recepta opinione *Sacrum*; erat ſane hoc longe omnium *Sacerrimum*. Sacrorum *familiarium* Jus dederunt Privatarum etiam familiarum *Adoptiones*, ademerunt viciſſim *abdicationes* & Exhæredationes. Sic enim loquuntur *Codices* & *Pandectæ*. Inde *Sacrorum* ritus quoties eſſet quis in *familias* inſerendus ne *Sacra* illa profanus & nondum expiatus attingeret. Inſerebant familiis *Matrimonia*. Inde Matrimoniorum *Auſpicia*. Inde *Sacrificia* & ſolennes Sacerdotum *benedictiones*. In juſtis nempe *Civium* cum *Civibus* Matrimoniis. Et quo Matrimonium quodque *Sanctius* eo videbatur etiam *honoratius*. Imo Matrimoniorum *Sanctimoniam* adumbrabant Gentium fere omnium ſanctiſſima *Myſteria*. Inde factum ut Gentium omnium cum geniis earum Tutelaribus *fœdera Matrimoniorum* Allegoriis fuerint adumbrata. Etiam *Chriſti* & *Eccleſiæ* Unionem ita explicat Apoſtolus ut talem fuiſſe doceat qualis *mariti uxoriſque* fuiſſet in *Matrimonio*. Ita nimirum *Chriſtum* cum *Eccleſia* in unum *corpus* coaleſcere, ut cum *Eva* coaluit *Adamus* in Paradiſo: Ita nos de *Corpore* Chriſti, *de carne*, de *oſſibus* eſſe ut erat etiam *Eva* de *carne caro atque os de oſſibus Adami*: Sic *viri caput* eſſe ipſum *Chriſtum* ut fuerat etiam caput *vir* ipſe *mulieris*. De hoc autem nos [p] alibi plura diximus. Inſerebant præterea *Familiis* liberorum non tam *Natales* quam eorum potius in

[p] *Oper. Anglic. de* Schiſm.

publicas Urbium matriculas *descriptiones*. Sed nullæ illæ unquam esse poterant sine præviis *sacrandi* ritibus atque expiationibus. *Circumcisione* sacravit *Infantes* suos gens Deo olim dilectissima. Imo *Sacrificiis* etiam *Aquisque lustralibus* partus etiam *fæmellos* quorum nulla erat *Circumcisio*. Sacraverunt *igne* lustratorio gentes *Judæis finitimæ* quæ *Molochum* venerabantur. Sacraverunt *Græci* ἀμφιδρομίοις, de quibus olim diximus, & *Mysteriis*. Sacravere *Romani* tot illis Diis Deabusque quorum nomina conservaverunt è *Varrone Arnobius* atque *Augustinus*, vere infantilibus. Inserebant denique hæ ipsæ, de quibus loquimur, *Adoptiones*, *Sacris* proinde ritibus satis cumulatæ. *Lege* enim opus erat ad *Adoptionem* firmandam *Curiata*. *Patriciorum*, quorum essent, proprio quodam suo Jure, *Auspicia*, si quidem *gens* fuisset *Patricia* in quam fieret Adoptio; *Populi* autem, si *Plebea* gens fuisset, ut in causa *Clodii*. Utrobique autem *Pontificibus* Comitiorum Præsidibus. Nec tamen *agi* cum *Populo* potuit si quis *de cælo servasset*, ut è *Ciceronis* constat Oratione pro *domo sua*. Hi erant *Sacri* ritus in *Familiarum* etiam *Privatarum* Adoptionibus. Quanto potiori ratione *Sacræ* erant Familiæ Imperatorum *publicæ*? Sic enim de illis loquuntur Veteres quasi præ illis *profanæ* fuissent familiæ *privatæ*. Ita nulla solebat haberi *Sanctimonia* illa *privata* si instituta esset ad *publicam* comparatio. Erat nimirum *Imperatoris* cum *Majestate numen* in Inscriptionibus sæpe memoratum. Erant *Templa*, *Aræ*, *Sacrificia*, *Sacerdotum* etiam *collegia*. Erant publicæ quas appellabant *devotiones* seu καθωσιώσεις, ad *Imagines* & *vexilla*. Et *Publica* omnia *Sacra*: *Sacrum* Palatium, *Sacrum* Consistorium, *Sacræ Literæ*, *Sacrum* Ærarium, Majestas

ſtas etiam non *Sacra* modo, verumetiam *Sacroſancta*. Quam hic itaque conſentaneum erat ut in familiam omnium *Sanctiſſimam* per ritus omnium *ſacerrimos*, per *delectus* ſacrorum proprios, procederet *Adoptio*? Sic autem proceſſura erat ſi *vir virum* legeret, uti jam oſtendimus.

VII. Jus *adoptati* Principis ut publice appellaretur *filius Augusti*.

Tam itaque caute, tam Religioſe, proceſſit Romani Principis Adoptio. Cum nempe vere eſſent qui appellabantur *Patres Patriæ*. Videamus porro quæ demum *Jura* per hanc *Adoptionem* mox conſecutus fuerit *Hadrianus*. Ea nimirum intelligo *Jura*, quæ *Trajano* etiamnum *ſuperſtite* fuerit conſecutus. Imprimis dubium non eſt quin Jura omnia *Adoptionum* quarumcunque, etiam *Privatarum*, communia adeptus ſit. Inde nimirum ut *filius Auguſti* habendus fuerit, & in Numis Inſcriptionibuſque fuerit appellandus. Sic enim à primis etiam *Auguſti* Adoptionibus mox *numi* vultibus *Adoptatorum* ſignati. Et quidem eo præſertim titulo *filiorum Auguſti*. Sic in *Marcello, Caio, Lucio* & *Tiberio*, factum obſervamus. Hæc tamen fateor *familiæ* fuiſſe pluſquam *privatæ*, quod & *numos* eorum vultibus ſignarint, ipſoſque *Auguſtorum filios* publice agnoverint. Erant quidem in libera Rep. familiarum *Privatarum* vultibus nominibuſque inſigniti *Numi*. Sed propter *publicos*, quos geſſiſſent, *Magiſtratus*. Sub *Imperatoribus* neminem legimus vel *Magiſtratum* qui id Juris exercuerit, niſi Familiæ fuiſſet *Imperatoriæ*. Soli in *Romanis Numis* videntur leguntúrque *Auguſti*, *Auguſtæque*, & *Cæſares*, & *filii Auguſtorum*, aut *Tribunitia* ſaltem *Poteſtate* donati, quæ pars erat Poteſtatis *Imperatoriæ*. Eo enim nomine *Agrippam* habemus in *Numis* ſignatum. Plus erat prætereà

*Augusti Filium* fuiſſe quam *filium* duntaxat fuiſſe *Trajani*. Gentis nimirum *Ulpiæ* tantummodo fuiſſet, ſiquis *Trajani filius* fuiſſet, non *Augusti*. *Augusti filius* alterius *familiæ* filius eſſe non potuit, præterquam *Imperatoriæ*. Accepit enim cognomen illud *Octavianus Augusti SC*. Et poſtquam jam *Triumviratu* exiiſſet, eandemque *Provinciarum* poteſtatem accepiſſet, ſub alio tamen nomine *Imperatoris*. Nec ſane *Augustorum filii* appellati ſunt *privati* illi quorum *Patres* olim *Augusti* fuerant, ipſi interim nullo *publico* titulo donati. Imo nomen *Augusti* non antea accepit quiſpiam quam fuiſſet in ſummo illo *Imperii* culmine quod *Augusteum* appellamus. Nec dedit alius quam qui nomine *Reip*. agere ſaltem videri vellet, Ipſe nimirum ſupremus omnium *Augustus*, aut *Senatus*, aut *Exercitus*. *Augustas* præterea nulla ſecit quantumvis arcta cum *Imperatore* conſuetudo, ni acceſſiſſet *decretum* etiam *Senatus*. Sed *Adoptiones Augustorum* alias nullas legimus, niſi *hæredum Imperii*, quique adeo non *hominis* duntaxat, ſed *Augusti* etiam, *Filii* eſſent appellandi. Eo enim inſerviebat *Sacra* illa, de qua modo dixi, *lectio*, non ut *ſibi* aut *privato* Patrimonio, ſed ut *Imperio* quærerent *hæredem*. *Naſci* potuit *hæres* etiam *privatus*. *Adoptari* alius non potuit quam *publicus*. Ab *Imperatore* nimirum *ipſo*, & *ſumma* jam *Poteſtate* prædito. Fecit itaque *Adoptio Hadriani* ut *Filius* appellaretur, & *publicus* adeo ut *hæres* eſſet etiam *Imperii*.

Porro

VIII.
Item *Imp.Cæsar*, & *Princeps Juventutis.* Summus Auguſtus ipſe *Princeps Senatus*, inde *Principis* ſimpliciter ſic dicti titulum traxerit.

Porro *Auguſti Filium* alia quoque *Jura* ſequebantur. Imprimis prænomen *Imperatoris Cæſaris* pro *SC.* ſub *Julio* facto de quo ſupra diximus. *Cæſaris* nomen *mox* aſſecutus eſt *Filius Auguſti* Adoptitius, ætate etiam *puerili.* Paulo tamen *adultiorem* ætatem poſtulaſſe videtur prænomen *Imperatoris.* *Caium* & *Lucium*, *Auguſti Filios* & *Cæſares* agnoſcunt coævi *Numi.* Qui *Imperatores* appellarint, Numos, ut opinor, habemus nullos, aut coævas etiam *Inſcriptiones.* Sed frequentiorem utriuſque *Prænominis* uſum in *recentioribus* Principibus obſervavimus quam in illorum temporum etiam *Auguſtis.* Inde fiet ut *ætati* fortaſſe tribuendum non ſit quod non etiam illi *Imperatoris* prænomine fuerint inſigniti. Vix certe prænomen utrumque *Imp. Cæſ.* ſuo loco poſitum ante *Veſpaſianum* obſervavimus in *Inſcriptionibus.* Tum etiam fere proprium *Auguſtis.* Ita proprium fortaſſe fuerit *prænomen* iis qui hæreditatem ipſam *adierant*, non item illis qui *Jus* duntaxat hæreditatis acceperant. Fueritque adeo Hæreditatis *pars* ipſum illud *Prænomen.* Acceſſit præterea, ſi *Auguſti Filius* ætate fuiſſet *minorenni* appellatio alia *Principis Juventutis.* Illo enim titulo Ordinem *Equeſtrem* obnoxium ſibi habebat *filius Auguſti* ut habuit *Auguſtus* ipſe *Senatum.* Erat quidem à temporibus uſque *Conſularibus* Senatorum unus qui *Princeps Senatus* appellatus eſt, *Senatorum*, ut plurimum *antiquiſſimus*, à Quinquennio ſcilicet in Quinquennium lectus à *Cenſoribus* cum *Luſtrum* conderent, & Senatorum novorum *lectiones*, Equorumque publicorum *tranſvectiones* curarent. Sic à *ſecundo* ſaltem Bello *Punico Principes Senatus*

à *Cenſoribus* legi ſolitos obſervavimus, *Fabium Maximum* cunctatorem dum viveret, poſtea *Scipionem Africanum.* Sed nec illo tempore cœpit ille *Principatus.* Id tantum in eo novatum, quod, cum antea [q] *Cenſorum* vetuſtiſſimum legere ſoliti fuiſſent ad id officium *Cenſores*, jam pro arbitrio ſuo illum legeret *Cenſor* cui *ſors* eligendi contigiſſet, quem ipſe crederet officio illo digniſſimum. Sub Imperatoribus Principatum illum ut plurimum ipſe obtinuit *Imperator*. Sic enim de *Pertinace* jam Imperatore *Dio Xiphilini*: Πρόκριτος τῆς γερουσίας κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἐπωνομάσθη. Itaque ab Imperii *initio Princeps Senatus* ipſe fuit primarius *Auguſtus*. Aliter fuiſſet, non à *Senatu*, ſed à *Cenſore* ἐπωνομασίαν illam accipere debuit. Idque alia Auctorum loca multa teſtantur. Inde, ni fallor, nomen ipſum *Principis* traxit *Imperator*. *Senatores* omnes [r] *Principes* appellari nonnunquam ſolitos jam alii quoque obſervarunt. Ad eundem plane modum quo prima acies omnis in re Militari *Principes* etiam appellati ſunt. Sic etiam Civitatum *Principes* legimus ſæpe apud *Livium*, etiam in *Rebuſpublicis.* Quanto potiori ratione *Principis* ſimpliciter ſic dicti nomen merebatur qui *locum principem* tenuit in *Ordine* omnium *ampliſſimo*? Erat tamen ſub *inferioribus* etiam Imperatoribus *Princeps Senatus* ab *Imperatore* alius. Talis erat *Decio* Imperante cum *Cenſor* eligeretur *Valerianus*. Talis *Aureliano* Imperante *Tacitus*. Et *nomen* ipſum *Principis Senatus* utrobique noſtri Hiſtoriæ Auguſtæ adhibent Auctores. In cauſa Valeriani ita: [ſ] *Tibi primum Prætor edixit; Quid vobis videtur P. C. de Cenſore deligendo? atque eum qui erat PRINCEPS tunc Se-*

q *Vid.* Liv. *L.* XXVII. *c* 11. r Salmaſ. *in Gord. tres c.* 13. ſ Poll. *Valerian. duob. c.* 2.

*natus*

*natus sententiam rogaßet*, &c. De *Tacito* ita Senatus: *Principem Senatus recte Augustum facimus. Primæ sententiæ vir recte Imperator creatur.* Tantundem valet utrobique *Principem* esse *Senatus*, ac *primæ* esse *Sententiæ*, *Consularis* nimirum, ut ibi exponit Auctor. Qui enim *primus* erat inter *Consulares* is *omnium primus* fuerit necesse est. Hoc enim certum *post* Consulares sententiam dixisse *Prætorios*. Sic intelligimus locum [u] *Spartiani* nostri ubi ait noluisse *Hadrianum*, qui jam *bis* ante *Hadrianum COS.* fuisset, *Servianum* III°. *COS. secum designare, ne secundæ esset sententiæ.* Hoc nempe voluit, iisdem rationibus *principem* in *Senatu* locum possidere, quibus fuerat, si etiam *privatus* fuisset, possessurus. Et cum 3[m]. *Consulatum* nemo privatus, illius Imperio superaret, ita factum ut qui primo III°. *COS.* fuisset, is *principem* locum obtineret inter *Consulares*. Scio hoc novum videri viris illis eruditissimis qui proximos à morte *Domitiani* Principes à *decessorum* Principum moribus metiuntur. Nondum videlicet observarunt quam illi *Libertatem* venditarint, & *Reip.* studiosi, qua licuit, videri voluerint. Sic plane *privatorum* more [x] *Consulatum* petiit ipse *Trajanus*, & *Jusjurandum Consulis* præstitit ipse à Lege *Jurisjurandi* solutus. Ne alia etiam huc spectantia observem quorum meminit *Plinius* in *Panegyrico*. Hæc autem obiter ut locum illum explicarem in quo hactenus hæserint Viri alioqui longe Eruditissimi.

t Vopisc. *Tacit. c.* 4. u *Vit. Adr.* x Plin. *Paneg.*

IX. Etiam *Pueri* hæredes Imperii *Puerorum nobilium* Exercitiis *militaribus* præfecti sunt.

Itaque ut *Augusti Principes* erant *Senatûs*, Ordinis nimirum *amplissimi*; ita *Cæsares Augustis* proximi *principes* erant Ordinis Senatorio proximi, *Equestris* scilicet. Ita enim, etiam in liberrima Rep. *Imperatoris* officio respondebat *Dictator*, cui proximus erat *Magister Equitum* ab ipso *Dictatore* factus, cum *Dictatorem* dixisset *Curulis* aliquis Magistratus, pro tempore *supremus*. Cur autem *minorennes Augusti Filii Principes* essent *Juventutis*, ea erat ratio. Exerceri solebant in Publicis Gymnasiis *Pueri* Civitatum ingenui omnes sub Disciplina publica παιδοτριβῶν & γυμνασιαρχῶν exercitiis ad rem militarem spectantibus; *Græci* ut plurimum *Pedestres* & *nudi*, nec ullis *armis* instructi; ut nos docet *Lucianus* de *Gymnasiis*; *Romani* utroque Exercitii genere tam *pedestri* quam *Equestri*, in campo *Martio*, & *armis* etiam illis ornati quibus stipendia sua illos oportebat emereri. Erant *arma* illa pro census modo alia aliis majoris pretii vel vilioris. Quinque classium armaturas varias à *Servio Tullio* institutas describit [y] *Livius*. Ex his delecti *Equites* primores Civitatis in *proprias* sibi tribuendi *Centurias*. *Equi* autem omnes *publici* erant, dandi nimirum à *Censoribus* illis qui *Censu* fuissent *Equestri*, *honoris* causa, aut pænæ causa *auferendi*. Tenuit porro Disciplina illa etiam in *Imperii* Candidatis. Sed in illis etiam honores pro *ætate* distinguendi sunt. *Pueri* erant etiam ipsi usque ad *togam virilem* quæ anno ad minimum ætatis XIV°. sumi solebat, ut ostendimus. Sed *Pueri* erant *minores* alii, alii *majores*. Utrique *Trojam* luserunt; sic enim *ludos Trojanos Circenses*

y Liv. L. I. c. 43.

appel-

appellare ſolent Auctores. Erant autem ludi illi *Equeſtres*, ut è *Feſto* conſtat & *Plutarchi Catone*. Nec *Puerorum* tamen aliorum quam *Nobilium*. *Claræ ſtirpis indolem* fuiſſe quæ in illis innotuerit, docet [z] *Suetonius*. *Minores Pueros* à dimidia *Pubertate equis* aſſueviſſe, *viz*. ab anno ætatis VI°. abſoluto, VII°. inchoato exiſtimamus. *Equo* certe *publico* donatus eſt ab *Hadriano* [a] *Marcus ſexennis*. Luſit autem *Trojam Caius* Auguſti *nepos*, & per Adoptionem *Filius*, anno U. C. 741. qui *Caio* 7^us^. erat nato nimirum anno U. C. 734. Auctore *Dione*. Inde ergo cœpit, ni fallor, ætas *minorum Puerorum* pertigitque ad annum circiter 10^m^. Inde ad *Pubertatem* majores cenſebantur. Ductor erat turmæ *Puerorum majorum Tiberius* Ludis *Actiacis* primis anno ætatis ad minimum 13°. Niſi forte illam *Pueritiam* ab anno ætatis XII°. arceſſemus. Illo certe *ætatis* anno qui *Urbis* erat 746^us^. *Caium* prima *Militaris* Exercitii rudimenta ſuſcepiſſe ſcribit [b] *Dio*. ἐν τοῖς γυμνασίοις τότε πρῶτον συνεξεταζόμενον; Sunt enim illa ejus verba. Et hæc *prima* ejus Exercitia *donativo* celebravit *Auguſtus*. Quæ certe *celebritas* legitimæ *ætatis* nota fuiſſe videtur, *majoriſque* adeo *Pueritiæ*. Hanc *Pueritiæ* diſciplinam ſubiit *Caius*, ab anno tamen ætatis 3°. cum *Lucio* fratre ab *Auguſto* U.C. 737°. *adoptatus*.

X. *Principes Juventutis* appellati poſt *Pubertatem*, antea duntaxat *Pueri Nobiliſſimi*.

Sed *Princeps Juventutis* neuter appellatus eſt ante *Pubertatem*, ſuſceptamque *virilem togam*. Nec enim antè *Juventutis Principes* recte appellari poterant quàm cæpiſſent ipſi in cenſu *Romano* eſſe *Juvenes*. *Juventutis* autem nomine complectebantur illi ætatem *militarem*

z Suet. *Aug. c.* 43. Tacit. *Ann. XI. c.* 11. a *vit. Marc. c.* 4. b Dio *L. LV.*

*rem* omnem quam *Græci* ἡλικίαν appellabant: Illos nimirum omnes qui media essent inter *Pubertatem Senectutemque* ætate. Hæc laxissima *Juventutis* notio est. Est enim alia paulo restrictior quæ non *Pubertati* duntaxat, verumetiam *Adolescentiæ* opponitur. Hic autem laxissima usurpanda est. *Principes* enim *Juventutis* appellati sunt *Caius* & *Lucius* mox *Pubertatem* egressi, etiamnum *Adolescentes*. Sic *Nero* Germanici filius *Juventam ingressus* [c] *Tacito* dicitur quo die *puber forum ingressus* est; quæ duo signa cum toga virili juncta fuisse jam antea ostendimus. Ita *Juventus* ea omnis *militia* erat quæ ad Bella *extranea* mitti solebat, ab anno ætatis nunc XIV°. nunc XVII°. ad annum nunc XLV^m^. nunc LX^m^. *Seniores* enim *domi* ad mænia Urbis custodienda excubias agebant. Hujus itaque *Equestris Juventutis* quæ ex *Nobiliorum* filiis constabat, *Principes* erant *Filii Augustorum* ipsi omnium *Nobilissimi*. Iidem etiam ante Juventutem *Puerorum Nobilium* turmas duxerunt, ut *Tiberium* duxisse diximus. Inde titulus alius *Puerorum Nobilissimorum* in Quarti præsertim Sæculi *Augustorum Filiis* usurpatus. Sic enim legimus *Varronianum Joviani* filium, *Gratianum*, *Honorium*, *Pueros Nobilissimos*; cum essent nimirum ætate vere *Puerili*. Sed illis temporibus *Principes Juventutis* vix legimus. *Paulo* tamen antea *Crispum* ita appellatum legimus. Rationem illam esse puto, quod his recentioribus temporibus *honores* susceperint *Augustorum filii* ante annos *Pubertatis*. Sic enim *Consulem* legimus in *cunis* ipsum illum cujus modo meminimus *Varronianum*. *Consul* etiam erat *Honorius biennis*, *Gratianus* ipse *Septennis*. Antiquiores *Augustorum filios* nullos legimus qui *honores* gesserint ante annos *Pubertatis*, nec

c Tacit. *Ann.* III. 29.

*Consules*

*Consules* ullos ante annum, pro *Augusti* exemplo, ætatis XIX^m^. Nec ullam adeo habemus eorum mentionem ante *Pubertatem* in *numis*, seu in *Inscriptionibus*. Alioqui certum est ut *Puerorum nobilium* duces erant in illis saltem *Trojæ* lusibus, sic *Pueros* etiam *Nobilissimos*, in illa *ætate*, fuisse appellandos.

XI. Mansit titulus *Principum Juventutis* post annos *Senatorios*, non tamen ad ætatem admodum *provectam*.

Sic itaque mox à *Pubertate* initium cepit titulus *Principis Juventutis*. Multos enim legimus à *toga virili* confestim ita appellatos. Qui paulo *provectiores* ita appellati fuerint nullos quod quidem sciam. Credideram aliquando, cum in *Senatum* admissi essent, desiisse titulum illum ab Ordine *Equestri*. Sed *Caius* mox à *toga* in *Senatum* admissus est teste Dione *COS.* nimirum *designatus* in Quinquennium. Locum enim in *Senatu* & *Jura* aliqua *Consularia* habebant *Consules* etiam *designati*. Sæpe tamen illum & *Consulem designatum* & *Principem Juventutis* appellant *Numi*. *Germanicum* etiam & *Drusum Tiberii Augusti filios Principes* tamen *Juventutis* agnoscunt, sub *Tiberio* proindè *Augusto* signati, post annum U. C. ad minimum 767. cum jam *ætatis* annum agerent circiter XXVII^m^. *Druso* [d] *togam virilem* dedit reversus ab exilio Pater *Tiberius* anno U. C. *Varroniano* 755°. Sic natus fuerit circa annum ejusdem Ephocæ 741^m^. *Germanici Quæstura* teste *Dione* incidit in *COSS.* anni 760^i^. Quinquennio tamen quam per *Leges* licuit, maturior, ut nos docet [e] *Suetonius*. Itaque anno ætatis ejus 20°. Sic natus fuerit anno U. C. 740. Ita *Alexandro* ætate pene par, *haud multum* (inquit [f] *Tacitus*) cum periit, *triginta annos egressus*. Egit nimirum quo periit, anno U. C. 772. ætatis ann. 32^m^. *Alexander* 33^m^. Sic *Consulatum* etiam gesserit

*d* Sueton. *Tib.* c. 15. *e* Suet. *Cal.* c. 1. *f* Tacit. *Ann.* II. 73.

*Germa-*

*Germanicus* cum *Principem* illum *Juventutis* inſigniunt cuſi ſub *Tiberio* numi. Utcunque tamen, ut nuſpiam *Auguſtos*, ita ne paulo quidem annis *provectiores* Auguſtorum *Filios* aut *Cæſares* hoc titulo inſignitos obſervavimus.

XII. Conveniunt illis quæ diximus *Principum Juventutis Numi.*

Recte autem *Principes Juventutis*, Ordinis, ut vidimus, *Equeſtris* duces *Equeſtres* etiam ipſos repræſentant Numi hoc titulo inſigniti, cum *parmis* etiam *Equeſtribus haſtiſque puris.* Id quoque ſatis apte, quod ut Numos *Auguſtis* dicatos per *SC.* ſatis multos paſſimque obvios habemus; Sic *Principibus Juventutis* habemus aliquos ab *Ordine Equeſtri* dicatos. Sic in *Neronis* Numis legimus & *Commodi.* Et quidem in *Clypeis votivis. Clypeos* enim in honorem Principum inſcribi ſolitos, nunc *linteos*, nunc *aureos*, ſatis multa in *Hiſtoriis Auguſtis* exempla ſuppetunt. Suſpendi quidem illi ſolebant in *Templis.* Nec tamen abſurde in *Numis* etiam (ut ſolebant jam *Templa* ipſa, *rituſque* in eorum honorem alii tam ſacri quam profani) poterant repræſentari.

*Præ-*

# *Prælectio* XIX. *ad Spart.* Hadrian.

1691.

## *De Titulis* Cæſareis, *Principum Juventutis, Poteſtatiſque Tribunitiæ.*

*Ut Principes Juventutis* Equitatum, *ita* Pedites *ipſi duxerunt Auguſti.* §. I. *Exercitiis tamen utriuſque Militiæ, tam* Pedeſtris, *quam* Equeſtris, *imbuendi erant* Principes Juventutis. §. II. *Habebat per* Adoptionem *Cæſar, ut familiæ* ſuæ, *ita familiarum* Imperatoriarum omnium, *decora.* §. III. Principes Juventutis *ab Auguſto* appellati. §. IV. *Titulo* Principum Juventutis *ſucceſſit titulus alius* Tribunitiæ Poteſtatis. *Sic quidem ut anno* Ætatis *circiter XXX*°. *deſierint appellari* Principes Juventutis. §. V. *Cœpit autem in* Cæſaribus, (*ſi ita viſum eſſet* Auguſto) Tribunitia Poteſtas *ab anno Ætatis XXVIII*o. §. VI. Tribunitia Poteſtas *ſuprema erat, &* Proconſularem *includebat.* §. VII. *Et Poteſtatem etiam* Dictatoriam. §. VIII. *Auguſti* Tribunitia Poteſtas διὰ βίου *qualis* §. IX. *Cur* Provinciarum *illa Poteſtas Proconſularis* Tribunitiæ Poteſtatis *nomine fuerit inſignita.* §. X. *Tribunitia Poteſtas* Cæſarea *aliquatenus* Impar *Tribunitiæ Poteſtati* Auguſteæ. Propius *tamen acceſſit ad* paritatem *Tribunitia Poteſtas conceſſa* Tiberio *anno* Auguſti *penultimo.* §. XI. *Erant enim* Auguſtorum *Tribunitiæ Poteſtates* decennes, Cæſarum *duntaxat* quinquennes. Multa *alia a* Votis, *etiam* ſuſceptis. *Tandem* Auguſtorum *Poteſtas etiam* quinquennis. §. XII. Cæſarum *Quinquenniis Tribunitiæ Poteſtatis* expletis, *penes* Auguſtum *erat primarium, eſſentne* renovanda. §. XIII. *Erat tamen revera* paritas *aliqualis inter Tribunitiam Poteſtatem*

*testatem* Cæsarum *atque* Augustorum. §. XIV. *Post* Marcum *non erant* Cæsarum, *sed* Augustorum *propriæ* Tribunitiæ Potestates. §. XV. *Erat tam in* Cæsaribus, *quam etiam in* Augustis, *Imperium* Proconsulare *aliud a* Potestate Tribunitia, *& eadem* inferius. §. XVI. *Quale fuerit* Imperium Proconsulare *in* Cæsaribus *Tribunitia Potestate nondum insignitis.* §. XVII. *Quale in* Augustis. Usum *Imperii Proconsularis habebant, etiam priusquam* decerneretur. §. XVIII. *Quæ fuerint in* Imperio Proconsulari *a* summis *Tribunitiaque Potestate instructis* Principibus *expetenda.* §. XIX. Tribunatum *dedignabantur* Patricii. Augusti *omnes, quorum etiam familiæ* privatæ Plebeiæ *fuerant, jam* Augusti *facti* Patricii. *Proinde* Tribunitiam Potestatem *potius quam* Tribunatum *ipsum acceperunt.* §. XX. *Operam dedere Principes ut cum* Augustorum *Quinquenniis aut Decenniis concurrerent* Cæsarum *Quinquennia. Ita sub* Augusto. §. XXI. Varia *deinde erant hujus moris exempla a* Tiberio *ad* Constantinum Magnum. §. XXII. Proconsularis Imperii, (*qua aliud erat a* Tribunitia Potestate) Quinquennia *nulla, aut* Decennia. *Potestatis* Censoriæ Quinquennia *alia nulla quam* Lustrica, *nec annis* Imperii *respondentia.* Tribunitiæ Potestatis Quinquennia *&* Decennia *eadem quæ* Imperii. §. XXIII. Imperio, *non* Monarchiæ, *respondebant Tribunitiarum Potestatum* numeri *in illis Principibus qui Tribunitiam Potestatem habuerant cum* decessoribus *communem. Cautumque, ne in alios decessorum* annos *quam* quintos decimosve *incurrerent* Cæsarum *minorumque* Augustorum Quinquennalia *&* Decennalia. §. XXIV. *A tempore collati* Imperii, *non autem* Senatusconsulti *de Potestate* Tribunitia, *numerari solebant* Potestates Tribunitiæ, *aliique summi honoris* tituli. §. XXV. *Et quidem ab Imperii* Natali. *Is* Augusto *dies erat* mensis Augusti *XIX*us. §. XXVI. *A* cœpti Imperii Natali *Tribunitias suas Potestates numerabant a se orti, non a* decessoribus *adoptati, Principes.* §. XXVII. *Cum adoptatis* Cæsaribus *decernerentur* Tribunitiæ Potestates, *vivo quidem* summo Augusto *ab* Augusti Natali *processisse videntur* Cæsarum *illorum &* Tribunitiæ Potestates *&* Quinquennia ; mortuo autem,

*tem, ab* Adoptionis *suæ* Natali, *cum ipsi essent* Augusti. *Cum* Augustorum *saltem* minorum *propriæ essent* Tribunitiæ Potestates; *tunc non a* Cæsareæ *dignitatis* Natali, *sed* Augusteæ *processerunt.Sub* Constantino Decennalibus *facti* Cæsares Communes *proinde videntur cum* Augusto *habuisse* Natales. *In filiis* nativis *a* Parentum Natalibus *numeratæ* Potestates Tribunitiæ. §. XXVIII. *Inde* Tribunitias *suas* Potestates *ab* Adoptionis Natali *numeravit etiam* Hadrianus. §. XXIX. *Cur illas* retrorsum *numerarit* Hadrianus. §. XXX. *Conclusio.* §. XXXI.

## *Ad Textum eundem* Spartiani.

I. Ut Principes Juventutis *Equitatum*, ita *Pedites* ipsi duxerunt Augusti.

EGimus hactenus, Academici, de *Principum* Romanorum *Adoptionibus*. Ostendimusque qua *fide* processerint illi, vel procedere saltem debuerint, in designandis per *Adoptionem* Imperii *hæredibus*. Tum deinde progressi sumus ad *Jura* illa quæ *Principem* jam *Adoptatum* comitari solebant antea quam Jus plenum *Imperii Augustei* fuisset consecutus. Erant *Augusti filii* mox *Cæsares*. Erant, cum *Puerorum nobilium* turmis in Ludis *Circensibus* Præessent, *Pueri* ipsi *Nobilissimi*. Erant paulo *majores*, ubi *prætextam* exuissent, *togam* autem *virilem* induissent, jam *Principes Juventutis*; Ordinis nimirum *Equestris*, ut *Augusti* ipsi *Principes* erant Ordinis omnium *amplissimi*. Inde *Equestres* eorum figuras in *Numis* observavimus, & *clypeos votivos Numosque* eorum memoriæ ab *Ordine Equestri* dicatos. Et quidem ita erant *Cæsaribus* propriæ figuræ illæ *Equestres* qua *Juventutis*, nempe *Equitatus Principibus*, ut figuras *Augustorum*, præterquam in *Expeditionibus*, vix alioqui *Equestres* in *Numis* reperiamus. Respondebant enim antiquis *Dictatoribus Augusti* ut antiquis *Equitum Magistris* respondebant hi

novi *Principes Juventutis.* Eoque nomine respondebant quod *Peditatum* ut olim *Dictatores,* sic novi etiam duxerint *Augusti.* Inde factum ut qui militibus *exemplo* esse vellent, præsertim ad duriora quæque toleranda, *Peditatui* illi non aliter *præire* vellent quam ipsi *Pedestres.* Jam supra alibi ostendimus quam fuerit apud bonos Imperatores in *laude* si nec *lecticas* nec *equos* admisissent. *Trajanus* ita disciplinæ illius studiosus erat ut etiam *Expeditiones pedibus* conficeret, ut *magno gradu Legiones suas anteiret,* ut nec *vehiculum* unquam nec *equum* respexerit. Sic enim de illo *Plinius* in *Panegyrico.* Addit *Dio* etiam *fluvios* illum *pedestrem* trajecisse. Sunt enim ejus verba in hanc sententiam admodum luculenta: Ἐβάδιζεν ἀεὶ μετὰ παντὸς τοῦ στρατοῦ πεζῇ· τούς τε ποταμοὺς ὅσους γε ἐκεῖνοι, πεζῇ διεβαινε. Nec degener erat à tanto ejus exemplo noster *Hadrianus.* Is etiam, nostro teste [a] *Spartiano,* exemplo virtutis suæ cæteros adhortatus est, quum etiam *vicena millia pedibus ambularet.* Qui certe *militaris gradus* erat, ut nos docet [b] *Vegetius.* Hinc illa *Flori* in illum [c] Poetæ:

> *Ego nolo Cæsar esse,*
> *Ambulare per Britannos,*
> *Scythicas pati pruinas.*

Non ita certe, ni *Pedestre agmen* duxisset *Augustus,* ut duxit *Equestre Cæsar, Princeps Juventutis.*

II. Exercitiis tamen utriusque Militiæ, tam *Pedestris* quam *Equestris,* imbuendi erant *Principes Juventutis.*

Et quidem cum eo consilio educarentur *Cæsares* ut succederent aliquando in locum *Augustorum,* proinde utriusque *Militiæ* Exercitiis *Pedestris* pariter ac *Equestris,* assuevere. Inde est quod Principes Juventutis Pedestres etiam cum hastis puris, & Clypeis ad

*a* Spart. *vit. Adr. c.* 10. *b* Veget. *I.* 9. *c ib. c.* 16.

pedes

pedes positis, in numis observemus. Spectant nimirum Symbola illa ad *Militaria* Principum bellicosorum *exercitia*, de quibus ita in Oratione ad Senatum [d] *Tacitus* Imperator: *En membra* (inquit) *quæ jaculari valeant, quæ hastile torquere, quæ Clypeis intonare, quæ ad exemplum docendi Militis frequenter equitare*. Hæc *Augustorum* exercitia commemorat *Tacitus*, quibus nimirum exerceri solitus erat decessor ejus *Aurelianus* Augustus Princeps fortissimus. Utraque ergo Exercitia callere oportebat *Augustum*, ut nimirum Peditatum *pedester* duceret, Equitatumque, si quando opus esset, etiam *equester*. Nec aliter *Cæsares*, quanquam *Equitatui* præessent, exercitiis tamen etiam *Pedestribus* sese oportebat imbuere. Et quidem duobus illis Numorum Symbolis, *Clypeo* nimirum & *hasta Pedestria* Exercitia omnia complectebantur. Sic etiam noster *Spartianus* de nostro itidem Hadriano: [e] *Armis & pilo se semper exercuit*. Nempe instrumenta belli *non missilia armorum* nomine intellexerunt, quæ recte adeo *missilibus* opponit, qualia erant *hastæ, sagittæ, jacula, pila*, quæ etiam ipsa *jacula* erant. *Missilium* itaque ars *jaculatoria* erat, qua nempe & [f] *perite* jaculabantur & *fortiter*. Sic enim loquitur *Vegetius*. Peritia illa erat ut defensionem Adversarii falsis minis avocaret, & locis tegumento nudatis vulnera inferret, nec se interim Adversario opportunum præberet. Hæc enim didicerunt illa ad *palum* depugnatione cujus meminit *Vegetius*. *Armorum* autem nomine *Clypeos* intelligebant & *gladios*, gravis nimirum armaturæ tam *munimenta* quam *tela*. Hæc enim ὅπλα *Græcis*, & hujus armaturæ milites ὁπλῖται om-

d Vopisc. *vit. Tac. c.* 4. e Spart. *vit. Adr. c.* 26. *vid. ib.* Salm. f Veget. *II.* 14.

nium præcipui, quales erant apud *Romanos* milites *Legionarii*. *Clypeis* itaque *intonare* eſt ſtrepitum illum *feriendis clypeis* facere qui hoſtibus terrorem incutiat. Nec *hoſtibus* modo, ſed ſuis etiam *militibus* illo *armorum* ſtrepitu ſententiam ſuam ſignificabant, de quo ſatis frequentia occurrunt in *Hiſtoriis* exempla. Exercitia ergo *armorum* illæ erant *Clypeorum gladiorumque vibrationes* quibus & ſe à periculo tutarentur, & hoſtium partes ferirent vulneribus opportunas. Hinc illæ *Clypeorum rotationes*, *jactationes*, *vibrationes*, quibus id conſecuti ſunt ut ad quamcunque corporis partem defendendam illos facile transferrent. Nunc etiam in *Clypeos inſurgebant* nunc *ſubſidebant*, idque *tripudiantes*, ut plagæ erant vel inferendæ, vel etiam declinandæ. Nec vero ad *Auguſtos* duntaxat, ſed ad *Cæſares* etiam illa pertinebant Exercitia, etiam *Pedeſtria*. Itaque cum *Hadrianus Ælium Verum* Cæſarem ſuum adeo afflictæ valetudinis fuiſſe in his armorum exercitiis experiretur, ut *ſcutum ſolidius jactare non poſſet*, tum demum ſe oleum operamque in ejus Adoptione perdidiſſe confeſſus eſt.

III. Habebat per *Adoptionem* Cæſar, ut familiæ *ſuæ*, ita familiarum *Imperatoriarum omnium*, decora.

Sequebantur præterea *Cæſarum* illam ex *Adoptione* oriundam *Nobilitatem*, & alia quoque omnia utriuſque *Familiæ* Jura, tam illius nimirum ex *qua*, quam etiam illius in *quam* per Adoptionem migraverat. Nec enim *ſuæ* Familiæ decora exuebat, ſed addebat potius *nova* quoque decora familiæ *Imperatoriæ*. Emancipabat quidem, vel per æs & libram vendebat etiam *Patri Adoptitio* Jus ſuum *Pater*

g Spart. *vit. Æl. Ver. c.* 6.

*Natu-*

*Naturalis* si quidem in *sua potestate* haberet filium adoptandum. Nec tamen *amittebat* filius in aliam familiam translatus Jura Familiæ etiam *domesticæ*. Hoc certum his præsertim, de quibus agimus, temporibus *Imperatorum*. Sic ait *Galba* [h] *Pisoni*, se & *Pompeii* & *M. Crassi sobolem in penates suos* adsciscere (adoptando nimirum *Pisonem* cujus illi fuerant majores) & *Sulpiciæ* ac *Lutatiæ* decora nobilitati *Pisonis* adjicere. Hæc ille futura fuisse dicit, etiamsi *privatus* illum, *Lege Curiata* apud *Pontifices*, ut *moris* erat, adoptasset. Nec tamen vera fuisse *negat*, etiam cum illum adoptaret *Augustus*. Itaque *utriusque* familiæ *Imagines* habebat in *atriis* funeri ejus præferendas. *Utriusque* enim *familiæ* decora funebri ejus Oratione commemorari solita. Ita [i] *Druso Tiberii* filio prælatæ *Imagines* gentis *Claudiæ Sabinæ*, unde genus duxerat ipse *Tiberius*, gentisque *Juliæ* in quam fuerat *adoptatus* idem *Tiberius*. Inde fortasse contigit Historiæ *Romanæ* illa confusio ex antiquissimis illis funebribus orationibus de qua queruntur [k] *Cicero* & *Livius*. Observaverant illi gentium diversarum gesta uni eidemque *familiæ* vindicari in illis Orationibus. Qui *filium* injussu suo pugnantem securi percusserit, alii [l] *Manlium* fuisse tradiderunt, alii *Posthumium*. Poterat nimirum errori illi occasio esse si quis gentis *alterius* in alteram fuisset *adoptatus*. Sic enim fuerant *utriusque gentis* facinora in ejus funere celebranda. Et recte quidem à funebri *Oratore*. Error potius erat junioris *Historici*, qui non distinxerit *familiæ nativæ* laudes à laudibus *familiæ Adoptitiæ*. Hoc vero obiter. Habuit præterea *Cæsar* Jus ad *fa-*

*h* Tacit. *H. I.* 15. *i* Tacit. *Ann. IV. c.* 9. *k* Cicer. *Brut.* *l* Liv. *IV. c.* 29.

*miliæ* in quam eſſet adoptatus *Sacra*, nec *Privatæ* duntaxat illius, verumetiam *Imperatoriæ*. Inde factum ut Jus haberet Sacra illa *peragendi*, deque ipſis *participandi*. Inde, ut in ejus honorem *feſta* etiam indicerentur à *Sodalitiis Sacerdotum* Imperatoriis celebranda. *Natales* certe *Cæſarum*, in illis legimus *Kalendariis* quorum reliquias aliquas habemus, eoſque tam *genitales*, quam *Imperii*. Imo *Hadriani* Cæſaris *Adoptionem* hoc ipſo in loco *Natali* celebratam obſervamus. Idem enim in *Jure* valebat ad *Sacra* admittere quod in familiam *adoptare*; idem viceverſa à *Sacris* arcere quod *exhæredare*. Et vero qui in Familiam *Imperatoriam* admiſſus fuerat per *Adoptionem*, is idem *gentium Imperatoriarum omnium* decora poterat ſibi vendicare, rerum nimirum omnium in *gente* unaquaque *geſtarum*, gloriam; virorum in *ſingulis* gentibus celebrium Imagines *Triumphales*, *Dictatorias*, *Conſulares*, *Cenſorias*, *Prætorias*, &c. Imprimis autem *Auguſtorum* omnium *inſignia*, *Sacra*, *Patrimonia*. Jam enim ſupra obſervavimus juniores, gentium etiam *alienarum*, Auguſtos deceſſores *omnes* in *Imperio* pro ſuis habuiſſe *majoribus*. Coactis nimirum in unum idemque *Templum* eorum *Sacris*, ab uno etiam eodemque Sacerdotum *Collegio Auguſtali* celebrandis. Merito enim *unam* eandemque quaſi *familiam publicam* conſtituebant, quos nullæ, ut vidimus, *domeſticæ* caritates, ſed *Boni* duntaxat *Publici* unum & commune ſtudium ad *Imperium* provexerat.

IV. *Principes Juventutis* ab Auguſtis *appellati.*

Hos ſane honores per *Adoptionem* ipſam conſecuti ſunt *filii Auguſtorum*. Plerunqne ſine novo aliquo, ſeu *Senatus* decreto, ſeu *Auguſti* etiam Edicto. Erant enim ſane *filii Auguſtorum*, ut *Juve-*

*num*

*num Nobilium* per ipſam illam Adoptionem *nobiliſſimi*; ſic *Principes Juventutis* eo ipſo *nomine* merito appellandi. Et tamen *Principes Juventutis appellatos* legimus, nempe à Patribus *Auguſtis*. Occaſionem dedit, ni fallor, quod primi *Cæſarum* qui hoc titulo ornati ſunt, *Lucius* & *Caius*, nondum *virilem togam* induerant, *vere* adeo *Juvenibus* accenſeri poſſent, cum ab *Auguſto* avo eodemque *Patre* ita *appellarentur*. Hoc enim nos docet [m] *Tacitus*, necdum poſita *Puerili prætexta*, *Principes Juventutis ab Auguſto appellatos*. Neceſſe erat illos ab *Imperatore* Principes Juventutis *appellari* qui *nondum* eſſent, in *Romano cenſu*, *Juvenes*. Sic enim *aliorum* honorum Jura multis conceſſa legimus per Principum *Codicillos*, qui ipſos tamen *honores* nunquam obierant. Sic *ornamenta Triumphalia* & *Conſularia* illis aſſignata legimus qui tamen *Triumphos* nullos aut *Conſulatus* obierant. Sic *Codicillares* legimus *Conſulatus*. Sic *Proprætores* qui nunquam fuerant *Prætores*. Sic *relatos inter Conſulares* & *Prætorios* qui nec *Conſules* fuerant aut *Prætores*. Sic Jura *trium liberorum* illis data qui ne *unicum* quidem in Poteſtate *filium* unquam habuerant. Sic itidem qui *Juvenes* nondum erant, eos, ſi pro *Juvenibus haberi* vellet, ab *Auguſto* ita oportebat *appellari*. Pro eodem exemplo [n] *Nero toga virili maturata*, cum ſcilicet annum ætatis XIV^m. nondum abſolviſſet, à *Claudio Princeps Juventutis* ſimiliter *appellatus* eſt. Duplici autem nomine hoc poterat *Auguſtus*. Qua *Imperator* erat & *Peditatui* præfectus, ſic *Equitatui* Præfectum ipſe dare per Leges etiam *Reip.* poterat. Sic enim *Magiſtrum Equitum* conſtituere

*m* Tacit. *Ann.* I. *c.* 3. *n* Tacit. *Ann.* XII. *c.* 41.

ſolebat, in libera etiam Rep. *Dictator*. *Dixitque* Magiſtrum *Dictator* ut *Principes Juventutis appellavit* ſupremus *Auguſtus*. Idem poterat etiam per Poteſtatem *Cenſoriam* quam habuit *perpetuam Auguſtus*. Ut enim in *Equitum* tranſvectionibus *equum publicum* vel permittere poterant vel adimere *Cenſores*; ita *ordinem* illis aſſignare poterant quo alii alios antecedebant. *Principem* certe *Senatus* à *Cenſore* lectum è *Livio* manifeſtum eſt. Quidni itaque & *Equitum Principem*, quem eundem *Juventutis* fuiſſe diximus, iidem ſimiliter *Cenſores* deſignarent. Id enim Juris habuit ſupra receptos *Cenſores Imperator*, quod illi pares invicem *ſorte* invicem, ſeu *comparatione*, conſtituerint, ſi quid eſſet in officio *Cenſorio* eximium, quod alteri duntaxat *Cenſori* demandandum eſſet; *Imperator* contra *extra ſortem*, extraque *Ordinem*, pro ſuo ſolius arbitrio conſtituerit. Ita ut *Juventutem* aliam, ſeu *Equitatum*, alii diſpoſuerint *Cenſores*; *Principes* tamen *Juventutis ſolus* appellarit *Imperator*. Nec vero *ætate* duntaxat impuberes *Principes Juventutis* dixit Imperator. Etiam *puberes*, jamque *Juvenes* ita appellavit. Sic fratrem *Tiberium Caius die virilis togæ adoptavit appellavitque Principem Juventutis*, teſte [o] *Suetonio*. Nec enim *familiis* annexa erat neceſſario *Nobilitas* illa *Romana*. Pro *Cenſorum* arbitrio moti ſunt nonnunquam è *Senatu*, nonnunquam ademto *equo publico* ex ordine etiam *Equeſtri*. Ita factum ut è *Cenſorum* arbitrio penderet quis eſſet habendus *Ordinis ſui* nobiliſſimus. Ita factos de *Rhetoribus Conſules*, ita viciſſim de *Conſulibus Rhetores*, obſervavit *Juvenalis*. Ita [p] *Prætorium virum Valerium Licinianum Rhetorem* memorat etiam junior *Plinius*. Ita *luſtris*

*o* Suet. *Calig. c.* 15. *p* Plin. *IV. Ep.* 11.

ſingulis

ſingulis de *Ordinis* honore pro *Cenſorum* arbitrio periculum adiere *Romani*. Recteque adeo, quanquam *familiæ* certa decora eſſent, *Ordinis* tamen *utriuſque* tam *Equeſtris* quam *Senatorii nobiliſſimos* ipſe ſtatuit *Imperator*. Neminem tamen legimus ab *Auguſto adoptatum* quem iterum *exhæredem* fecerit. Non fecit *Hadrianus* noſter, etiam cum *Ælii Cæſaris* ſui facti *pœniteret*. Sed *Principes Senatus* olim à *luſtro* ad *luſtrum*, i.e. à Quinquennio in Quinquennium fecere *Cenſores*. Similiter & *Principes Juventutis* in libera Rep. *Quinquennes* olim fuiſſe veriſimile eſt. Quid ſi etiam his temporibus pro exemplo priori iterum fecerit *Auguſtus*, ſic tamen ut *eoſdem* rurſus deſignarit? Quid ſi *Perpetuus* ipſe *Cenſor* in *perpetua* fecerit *Quinquennia*, ut ipſe *Princeps* erat *Senatus* in *perpetuum*? Sic & *appellandi* erant *Principes Juventutis* qui fuerant alioqui *Nobilium Juvenum* ipſi *Nobiliſſimi*. Sic ita *appellati* nomen retinere poterant ſine novo fortaſſe Edicto in ſingula *Quinquennia*. *Tribunitiam* certe *Poteſtatem* dedit *Auguſtus* in *Quinquennia*. Et tamen ſemel datam *continuari* videmus in Numis Inſcriptionibuſque. *Nova ne* aliqua *Conſtitutione* ad id opus fuerit, non admodum, in illis quos habemus Scriptoribus, habemus exploratum.

V. Titulo *Principum Juventutis* ſucceſſit titulus alius *Tribunitiæ Poteſtatis*. Sic quidem ut anno *Ætatis*, circiter XXX. deſierint appellari *Principes Juventutis*.

Quod autem obſervavimus, *Principes Juventutis*, ut *Pueris* majores erant, ſic *mediâ* virili ætate minores fuiſſe, id ſane difficile eſt, atque explicatione digniſſimum. Neminem ſane legimus ab ipſo Imperii initio *Quadragenarium* Imperii hæredem qui *hoc titulo* fuerit ornatus. Non ſub *Auguſto M. Agrippam* aut *Tiberium*, non *Trajanum*, cum adoptaretur à *Nerva*, nec

à *Trajano* ipſo adoptatum noſtrum *Hadrianum.* Nec enim temporum inferiorum in his, de quibus agimus, temporibus rationem habendam exiſtimamus. *Majorennes* illos *Auguſtorum Filios Tribunitia Poteſtate* inſtructos legimus quæ tamen locum nunquam habuit in his *Juventutis*, de quibus agimus, *Principibus*. Itaque perpetuus non erat, à dignitate *Cæſarea* ad *Auguſteam* uſque, titulus ille *Principum Juventutis*, ſed ea circiter ætate deſiit qua cœpit honor alius *Tribunitiæ Poteſtatis*. Ætatem illam deſignare, hic certe labor, hoc opus eſt. Nec eſt, quod quidem ſciam, qui eam explicare conatus fuerit. Ego annum Ætatis 30$^{m}$. fuiſſe puto quo in deſuetudinem abierit titulus ille prior *Principum Juventutis*. Jam ſupra vidimus *Druſum* juniorem *Tiberii* filium & *Germanicum Principes Juventutis* fuiſſe ſub *Tiberio*, anno nimirum *Ætatis*, ad minimum XXVII$^{o}$. Inde conſtat *Quinquennio* illo quod ab anno Ætatis XXV$^{o}$. ad annum fluxit XXX$^{m}$. adhuc illos titulo illo in Numis Inſcriptionibuſque publicis fuiſſe inſignitos. Sed vero per *Quinquennia* proceſſit olim cenſus *Militaris* apud *Græcos*. Et quidem per *Quinquennia* iſtiuſmodi quæ in annum deſierint ætatis 30$^{m}$. Ita εἰκοσιπεντaετεῖς & τριακοντέτεις legimus apud *Xenophontem*. Sic quidem ut unum idemque *agmen* fecerint quorum *ætas* in uno erat *Quinquennio*. Ita ab anno ætatis XXI$^{o}$. inchoato ad XXV$^{m}$. abſolutum meruerint inter εἰκοσιπενταετεῖς, inde ad XXX$^{m}$. abſolutum ſcilicet, inter τριακοντέτεις. Hæc autem omnia ad *Romanos* migraſſe exinde facile colligimus, quod in illis etiam, pro *ætatum* ratione, *Centurias* diſtribuerit in *Seniores Junioreſque Servius Tullus*. Diu quidem ille ante tempora *Imperatorum*. Ut proinde jam alia multa ex uſu *Græcorum* etiam

recenti-

recentiorum in uſum *Romanorum* irrepere poſſent ante noſtram Hiſtoriam *Auguſtam.* Itaque ſi *Quinquennia* in *Cenſu* etiam *Equeſtri* obſervata fuerint, eandem in qua quiſque erat poſt annum ætatis xxv$^{m}$. militiam tenuerit oportet ad annum uſque 30$^{m}$. Et *Principes* adeo *Juventutis* tamdiu appellatos fuiſſe conſentaneum erat, dum ipſi xxx$^{i}$. anni *Equitibus* præeſſent. Quod ſane tamdiu neceſſarium erat dum ipſi annum ſimiliter explevissent xxx$^{m}$.

VI. Cœpit autem in *Cæſaribus*, (ſi ita viſum eſſet *Auguſto*) *Tribunitia Poteſtas* ab anno Ætatis XXVIII.

Eo certe ſpectare videtur, quod numos *Principum Juventutis* alia etiam Inſcriptione *SPEI PUBLICÆ* inſignitos legimus. Eam certe habemus in Numis *Titi* qui hoc, de quo agimus, *Quinquennio* minor eſſe non potuit. Recte nimirum *Spei* ratio ad *mediam* ætatem *Militarem* haberi potuit, ultra eam dura fuerit oportet. Et recte *mediam* illam ætatem *Militarem* deſignavit annus Ætatis, uti dixi xxx$^{us}$. In veteri enim *cenſu Militiæ*, ſaltem *Extraneæ*, finis erat in anno Ætatis XLV$^{o}$. ut jam ſupra obſervavimus. Ea militia annum xxx$^{m}$. annis ſuperavit xv. Detrahantur itaque à media illa ætate, anni ſimiliter xv. reliquus erit annus *Ætatis* xv$^{us}$. quo *Prima Militia* cœperit, quem etiam *primo ſtipendio* aſſignant illorum temporum Auctores. Quod enim xv$^{m}$. illum annum *cœptum* duntaxat intellexerint, in eo Legem favorabiliter interpretati ſunt, & annum *Præturæ* xxx$^{m}$. ſimiliter, ut vidimus, *cœptum* intellexerunt. Inde ſane ſequitur ultra annum ætatis xxx$^{m}$. ſpem illam ægre extendi potuiſſe. Nec porro multum abeſſe poterant ab illa *ætate* Cæſares, cum *Principatum* illum *Juventutis* exuerent. *Druſi* illam & *Germanici* ætatem ſuperaverat *Ti-*

*tus* cum illum *Juventutis Principem* agnoſcunt *Numi.* Natus ille eſt *Dec.* xxx°. anni *Caiana* (inquit [q] *Suetonius*) *nece inſignis*, nimirum Æræ noſtræ *Chriſtianæ* XLI^i. *Principem Juventutis* appellant Numi è *SC.* ſignati. Hi certe *Numi*, vix poterant primis *Senatus* ad *Veſpaſianum* literis eſſe antiquiores, nec illæ ante *finem* anni LXIX^i. aut *initium* anni LXX^i. Tunc autem abſolverat *Titus* annum *ætatis* ad minimum XXVIII. Alii Numi ſunt qui ſimul illum & *Principem Juventutis* agnoſcant, & *Tribunitia Poteſtate* præditum. Hi certe anno Æræ noſtræ ad minimum LXXI°. ſignati ſunt, cum annum ageret *Titus* ſaltem XXX^m. Sic etiam *Domitianum Principem Juventutis* appellant * Numi VII°. ejuſdem *Conſulatu* inſigniti. Conſulatum illum geſſit *Domitianus* anno Æræ noſtræ *Chriſtianæ* LXXX°. *Ætatis* ſuæ XXIX°. natus nimirum *Oct.* 24. anno ejuſdem Æræ LI. Poterat etiam *ipſe* fuiſſe *tricenarius*, ſi quidem anno LXXX°. ſignatus fuerit ille Numus. VIII^m. enim *Conſulatum* geſſit ille poſt obitum *Titi* fratris, anno ejuſdem Epochæ demum LXXXII°. Hinc etiam & illud diſcimus, ſic *Principatui Juventutis* finitimam fuiſſe *Poteſtatem Tribunitiam* ut in alterius fines alter incurrerit. Ita nimirum ut idem *Cæſar* & *Princeps Juventutis* eſſe potuerit, & una *Poteſtatem* habere *Tribunitiam*. Hæc ita conciliari poſſe è ſuperius dictis exiſtimo. Ut nempe *Tribunitiam Poteſtatem* eodem anno habere potuerit *Princeps* Imperii Candidatus quo *Tribunatum Plebeium* potuerit obire *Privatus*. Jam autem ſupra oſtendimus annum *ætatis* XXVIII^m. fuiſſe *Tribunatui legitimum*, cum nempe jam in *Senatoriis* honoribus cœpiſſet numerari

q Suet. *Tit. c.* 2. *Mediob. *p.* 130.

*Tribu-*

*Tribunatus*, & uni eidemque *anno* cui etiam *Ædilitas Curulis*, fuisset etiam assignatus. Ita factum ut per *biennium*, ab anno nimirum Ætatis XXVIII°. ad XXX^m. concurrerint fines *Principum Juventutis* & *Tribunitiæ Potestatis*. Ut proinde siquis *Potestatem Tribunitiam* adeptus esset ante annum XXX^m. is idem potuerit *Princeps* simul fuisse *Juventutis*. Pendebat autem à nutu *Augusti* ut quis *Tribunitiam Potestatem* primo quoque tempore capesseret. Et raro illam etiam Candidatis Imperii concedebant ante annum ætatis XXX^m. Idem *Drusus Tiberii* filius & *Princeps* erat *Juventutis*, & *Potestate* etiam *Tribunitia*. Sed *duplicem* legimus duntaxat in coævis Numis *Potestatem* ejus *Tribunitiam*, anno nimirum quo excessit U. C. 776. Æræ *Christianæ* 23. Imo *Tribunitia Potestas* concessa anno superiori U. C. 775. teste [r] *Tacito*, anno nimirum *Drusi* 34°. Sed incolumi *Germanico*, *Druso Tribunitiam Potestatem* dare noluit, ne etiam *Germanico* daret, eodem observante *Tacito*. Nec animo erat in *Drusum* ipse admodum propenso.

VII. *Tribunitia Potestas* suprema erat & *Proconsularem* includebat.

Illud sane constat *superiorem* Principatu Juventutis fuisse *Tribunitiam Potestatem*, propioremque summo atque *Augusteo Imperio*. Data enim est propterea *Potestas Tribunitia Tiberio* ut *Caii* & *Lucii Cæsarum ferociam reprimeret*. Major itaque fuerit necesse est *Potestas* illa *Tribunitia* titulis illis *Cæsarum Principumque Juventutis* quos jam adepti fuerant *Caius* & *Lucius*. Eoque consilio *Tiberium* secessisse statuit [s] *Velleius* ne *fulgor suus orientium Juvenum obstaret initiis*. Imo *secundum* ejus fuisse post *Augustum* gradum agnoscit [t] *Suetonius*

r Tacit. *Ann. III.* 56. s Vell. Pater. *L. II. c.* 99. t Suet. *Tib. c.* 10.

*nius*. Idque ita interpretatur *Velleius*, ut fuerit per *Tribunitiam Poteſtatem æquatus Auguſto. Civium* [nempe] *poſt unum*, & *hoc quia volebat* (inquit) *eminentiſſimus*. Certe *Poteſtatem* hanc *Tribunitiam*, quanta fuerit, vix adhuc intellexerunt viri eruditi. Parum explicant qui *Tribunitiæ Poteſtatis* Jura per vulgarium *Tribunorum Plebeiorum* Jura explicant. Quaſi nimirum inter *Tribunitiam Poteſtatem Tribunatumque* id ſolum intereſſet, quod quæ illi *Plebis Tribuni* Jura *annua* habere ſolebant, ea in *Quinquennium* duntaxat *Tiberius* habuerit *Auguſtus*. Aliter longe illi quos modo diximus, *Velleius* & *Suetonius*. Aliter [u] *Tacitus*, qui id *ſummi faſtigii vocabulum ab Auguſto repertum fuiſſe* dicit *ne Regis aut Dictatoris nomen aſſumeret, ac tamen appellatione aliqua cætera Imperia præemineret*. In eandem ſententiam alibi idem [x] *Auguſtum*, poſito *Triumviri* nomine, *Conſulem* ſe tuliſſe teſtatur, & *ad tuendam Plebem Tribunitio jure contentum*. Idem rurſus de Tiberio: [y] *filius, collega Imperii, conſors Tribunitiæ Poteſtatis adſumitur*. Et quidem Jura hujus *Tribunitiæ Poteſtatis* ita recenſet [z] *Dio*. χρηματίζειν περὶ ἑνὸς ὅπερ ἂν ἐθελήσῃ καθ' ἑκάστην βουλὴν, κἂν μὴ ὑπατεύσῃ. Ut nempe de *ſingulis* rebus *ſingulis* Senatus conventibus *Senatum* conſulere poſſet, etiamſi *Conſul* ipſe non fuiſſet. Fallitur enim Interpres, & cum eo alii quoque viri Eruditi, qui hoc referendi ad Senatum Jure licuiſſe exiſtimant ut *quotieſcunque* vellet ad *Senatum* referret. Hoc Jure [a] *Tiberius* ad *Senatum retulit de honoribus Auguſti*. Addit *Dio*; eodem SC?. decretum ut *Proconſulare Imperium* ſemper haberet, neque id (pro aliorum *Proconſulum* more) aut *deponeret* in Pomœrium veniens,

*u* Tacit. *Ann*. *III*. *c*. 56. *x* Tacit. *Ann*. *I*. *c*. 2. *y* Tacit. *Ann*. *I*. *c*. 3. *z* Dio *L*. *LIII*. *fin*. *a* Tacit. *Ann*. *I*. *c*. 7.

aut

aut *renovaret* extra Pomærium profecturus. Imo etiam, ut in *Provinciis* pro *majori Potestate* agnosceretur. Hoc etiam *Jure* usus est *Tiberius* in loci Magistratus in ipso etiam Secessu ejus [b] *Rhodiaco.* Sic itaque in *Potestate Tribunitia* includi solebat *potestas Proconsularis*, quod nondum observaverant Viri Eruditi qui id mirati sunt, rarum occurrere in *Numis* mentionem *Potestatis Proconsularis*, in quibus nihilominus tam frequens occurrit mentio *Potestatis Tribunitiæ.* Nempe non meminerant illi, his saltem temporibus, *unius ejusdemque Potestatis* duo illa duntaxat fuisse *Vocabula.*

VIII. Et potestatem etiam *Dictatoriam.*

Et quidem veram fuisse illam *Taciti* observationem, exinde colligimus, quod in *Quinquennii* novi *initium* quo renovanda erat *Potestas Imperii* inciderit accurate hoc de *Tribunitia Potestate* SC. Proximo quidem anno U. C. 732. oblatam *Augusto Dictaturam* ponit *Dio.* Sed eidem etiam anno *Tribunitiam* Potestatem assignant Fasti *Capitolini.* Inde constat quam recte *Tacitus Dictaturæ* oblatæ loco receptam voluerit *Potestatem Tribunitiam.* Ut nimirum uno eodemque anno & *Dictaturam* obtulerit *Populus*, & *Augustus* ejus loco *Tribunitiam Potestatem* acceperit, *primamque* adeo *Tribunitiam Potestatem* ab eo ipso anno numerarit. Et ab anno certe 731. ortum capiunt *Tribunitiæ Augusti Potestates.* Ut proinde eidem anno *Dictaturæ* oblatio assignanda sit. Et sane admodum bene conveniebat, ut cum invitum Senatum ad SC. de *Dictatura* coegerit *Populus*, proinde *summi Imperii* nomen quod illius loco acceperit, illud potius delegisset quod *Populo* noverat esse gratissimum.

b Sueton. *Tib. c.* 11.

Ita-

Itaque cum *Popularis Magistratus* nomine *summum* omnium *Magistratum* insigniret, in eo *Populi* se studiosissimum professus est; illorum nimirum Jura se libertatemque ita propugnaturum ut propugnaverant olim *Tribuni Plebis*; & Jura etiam *Tribunatus* longe quam olim fuerant ampliora, huc sese conversurum; Imo *nova* omnia summi *Imperii Jura* eodem directurum. His autem professionibus quid, quæso, potuit apud *Populum* esse gratius? Ita sane apte quadrat, quod ait *Tacitus*, *Dictaturæ* loco illam fuisse *Potestatem Tribunitiam*. Jam enim sane *Jura* ejus nulla nimia credituri erant quæ essent in *Populi* utilitatem convertenda. Cum hoc ipsum moneret *Potestatis* acceptæ *nomen* ne alio quam ad *Populi* commoda respicerent.

IX. Augusti *Tribunitia Potestas* διὰ βίου qualis.

Convenit præterea quod à *Quinquennio* in *Quinquennium* concedi soleret *Potestas Tribunitia* ut Potestatem *Imperii* summam in *Quinquennia* accepit ipse *Augustus*. Sic enim sub *Augusto Tribunitia Potestas Agrippæ* & *Tiberio* in *Quinquennia* decreta est. Et quidem *SC*[to]. data illa *Potestas* est *Agrippæ* & *Tiberio* ut ipsi etiam data fuerat *Augusto*. Ita factum ut *libertati* non obstiterit *hæredis* Adoptio per *Augustum*, cum nihilominus Potestas *Imperii* summa à *Senatu* daretur *Augusto* duntaxat referente. Sunt autem duæ in hac causa voces, *similes* quidem, non tamen propterea invicem *Confundendæ*. Est enim aliud *Tribunitiam Potestatem* habere εἰσαεὶ, aliud eandem habere διὰ βίου. *Perpetuam* habere, seu εἰσαεὶ, non id significat quod quis diuturniorem *Quinquennii* Tribunatum accepisset, sed quod illum *perpetuo* teneret seu in *Pomœrio* fuisset, seu extra *Pomœrium*, quoad

ad *Proconſularem* ejus nempe *Poteſtatem*, neque *deponere* faſces illum oporteret in Pomærium venientem, neque *reſumere* extra proficiſcentem, ut ſolebant alii Proconſules. Et quidem, pro hac forma, *Perpetuam Tribunitiam Poteſtatem* habebat non *Auguſtus* modo, verumetiam *Cæſares* illi, quos dixi, *Agrippa* & *Tiberius*. Habuit *Auguſtus* ipſe *Tribunitiam Poteſtatem* διὰ βίȣ. Sed aliam illam ab hac de qua agimus, quæ *Poteſtatem* etiam *Proconſularem* includebat, *Tribunitiam Poteſtatem*. Nempe *Tribunorum Plebis* vulgarium *Jura* tamen, quam illi habuere Tribuni, paulo ampliora. Illa quæ fuerint, docuit [c] *Dio*. Nempe ut fidem ejus implorantibus auxilium ferre poſſet, tam *intra* Pomærium, quam etiam *extra* Pomærium ad *octo hemiſtadia* vel quingentos paſſus, quod nemini alteri Tribuno Plebis licuiſſe idem obſervat *Dio*. Civibus enim *illi* ſolum *intra* Pomœrium ſuccurrere conceſſum eſt, quibus ne quidem *ipſis extra* Pomœrium pernoctare licuit. Datum prætereá, ut ad ipſum fierent *Provocationes*, tam ſcilicet à *foris* receptis quam etiam ab ipſo *Senatu*. Inde illæ tam frequentes Auguſtorum Principum *Cognitiones*, quarum veteres meminere Juriſconſulti. Hoc etiam *eximium* habuiſſe videtur *Auguſtus* præ aliis *Tribunis*, quorum ut fuerint ab iniqua in Cives vi interceſſiones, *Cognitiones* tamen de Cauſæ merito nullas legimus. Datum præterea, ut Auguſtus in omnibus *Judiciis* ſuffragium, quaſi *Minerva* ferret. Nempe ut cum *paria* fuiſſent Judicum ſuffragia, novum præterea aliud accederet *Auguſti* in favorem *rei*. Sic enim *Oreſtem* in *Areopago* à matris cæde purgavit acceſſorium illud

c Dio *L. LI.*

*Minervæ*

*Minervæ* ſuffragium. Additum porro ut, quoties Sacerdotes ac Sacerdotiſſæ pro *S. P. Q. R.* vota facerent, pro *ipſo* etiam ſimiliter ab iiſdem fierent. Inde factum ut, cum Sacerdotes *votis* pro Imperio ſuſceptis, *Neronem* etiam & *Druſum Germanici* filios inſeruiſſent, jam ſcilicet *adultos*, ægre hoc tulerit *Tiberius*, [d] *æquari* ſcilicet *in eo Adoleſcentes ſenectæ ſuæ*. Sunt enim illa *Taciti* verba. Intellexit nimirum ille *Tribunitiæ Poteſtatis* hoc fuiſſe Jus, cujus vel *annos* ipſos nondum illi attigerant adoleſcentes. Sic autem *æquatura* illos erat *Poteſtas* illa *Tribunitia Tiberio*, ut *Tiberium* ipſum æquaverat *Auguſto*, pro verbis Auctorum ſupra memoratorum. Denique acceſſit, ut in *Conviviis*, non modo *publicis*, ſed *privatis* quoque pro eo libaretur. Hæc *Tribunitiæ Poteſtatis in vitam* Jura *Auguſto* decreta ſunt poſt victum *Antonium* anno U. C. 724. Cum ſcilicet nondum abſolutum fuiſſet *tertium* Triumviratus *Quinquennium*. Multis ſane annis antea quam cœperint numerari *Tribunitiæ* ejus *Poteſtates*. Nec tamen dubium eſt quin illa etiam *Jura*, hoc ipſo *Tribunitiæ Poteſtatis* poſtea decretæ nomine, poſſederit *Auguſtus*. Nec per *Quinquennia*, ut poſtea, ſed *per vitam*, ut fuerant decreta. In aliis ab *Auguſto*, qui *Tribunitiam Poteſtatem* ipſam acceperunt duntaxat *Quinquennem*, & *Jura* quoque illa conſentaneum eſt duntaxat fuiſſe *Quinquennia*.

X. Cur *Provinciarum* illa Poteſtas Proconſularis *Tribunitiæ Poteſtatis* nomine fuerit inſignita.

Sed vero operæ pretium erit explicare, unde ſit factum ut Jura illa *Provinciarum Tribunitiæ Poteſtatis* ambitu fuerint complexi. Puto ita fuiſſe. *Civium* tutelam profitebantur antiqui *Plebis Tribuni*; profitebantur adeo ſub

*d* Tacit. *Ann.* IV. 17.

Tri-

*Tribunitiæ Poteſtatis* titulo Principes *Auguſti*. Sed *Cives* illos ſolos tuebantur *Tribuni* qui eſſent intra Urbis *Romanæ* Pomœrium. Erant præterea *Cives* alii *Romani* in *Coloniis* per orbem, qua patebat, *Romanum* univerſum, per omnes *Provincias*, tam *Principis* nimirum, quam *Populi* etiam *Romani*. His omnibus inutiles erant *Tribuni* veteres quibus Jus nullum fuerat *extra Pomœrium*, auxiliabatur autem *Tribunitia* illa *Poteſtas*, quam diximus, *Auguſti*. Primus autem gradus ad hanc laxiorem *Tribunitiam Poteſtatem*, is erat quo dixi etiam *extra* Pomœrium *Civibus* profuiſſe imploratam *Tribunitiæ Poteſtatis* fidem per primum illud antiquiſſimumque de *Tribunitia Poteſtate* Senatuſconſultum, quæ non, ut poſtea, in *Quinquennium*, ſed per *vitam* Auguſto conceſſa eſt. Hoc autem tempore alio quam *Tribunitiæ Poteſtatis* nomine *Provinciarum* Poteſtatem habebat, illo nimirum quod dixi, *Triumviratus*. Poſtea, cum *Populo* gratificari vellet in eo quod ſummam Poteſtatem numeriſque omnibus abſolutam *Populari* nomine inſignitam acciperet; jam *Civium omnium* etiam in *Coloniis* agentium tutelam ſuſcepit. Inde factum ut in *Coloniis* Poteſtas eadem neceſſaria eſſet quam *Romæ* veteres ſolebant exercere *Plebis Tribuni*. Acceſſit præterea quod cum *Dictaturæ* loco *Tribunitiam* illam *Poteſtatem* acceperit *Auguſtus*, *Plebe* cupiente, invito autem *Senatu*; proinde conſentaneum erat ut novum honorem illum ſuſciperet qui à *Plebe* dari poſſet, quam propitiam habuit, potius quam à *Senatu*. *Dictaturam* autem ſemper dedere *Senatores*, etiam cum *Plebeio* daretur, ſeu *Interrex*, ſeu *Conſul*, ſeu *Conſulari Poteſtate Tribunus*. *Tribunitiam* autem *Poteſtatem*, Magiſtratus nimirum à prima ſua origine *Plebeii*, dare potuit *Plebs* etiam

 inſenſa

infenſa *Senatui*. Sic equidem; cum nondum *Plebis* Jura omnia, præter *Panem* & *Circenſes* (nondum ſcilicet *Comitiorum Plebeiorum* Jure ſublato) in deſuetudinem abiiſſent. Poſtea *Senatus Populique Romani* nomine ſolus tamen egit *Senatus*, & *Tribunitiam* adeo *Poteſtatem* dedit, ne quidem conſulta *Plebe*, *Auguſto* duntaxat *referente*. Nec tamen *Civium* duntaxat *Romanorum*, ſed & *aliorum Civium* omnium *ingenuorum* per *urbes* Imperii *univerſas* tutelam profeſſus eſt eodem hoc *Tribunitiæ Poteſtatis* Jure, ni fallor, *Auguſtus*. Nec enim alio referendos arbitror Numos *Municipiorum* pariter ac *Coloniarum* in honorem *Auguſti*, ſecutorumque Principum. Sic enim *Clientelam* ſuam *Patrociniumque* Imperatoris agnoſcebant *Numis* pariter ac *Inſcriptionibus*, illorum temporum *Cives* ac *Municipes*. Ita nimirum erat *Romanorum* in *ſubditos*, in *dedititios*, etiam *victos*, mite jugum ut *Provincialium* etiam *Civitates*, ut *Leges* ſæpe proprias, ut *libertates*, & *Jura* à Victoribus exercituum ducibus conceſſa, ſancte cuſtodirent, nec violari paterentur. Inde Leges illæ tam ſeveræ *repetundarum* in Provinciarum *Præſides*, ſiquid illi durius in *Provinciales* ſtatuiſſent. Nec id incongrue. Sic enim olim victas pleraſque Civitates in ſuam Civitatem admiſerant, nonnullas in *urbem* ipſam, nonnullas in *Regionem* ſaltem *Tranſtiberinam*. Gradatim ſcilicet, ut prima generatione fuerint, pro Dominorum arbitrio *Servi*, tum *Liberti*; *Libertini* deinde, ac tandem *Ingenui*, decreſcente nimirum paulatim *hoſtilitatis* memoria. Harum itaque etiam *Civitatum* Jura tuebantur *Tribunitiæ Poteſtatis* nomine *Principes*, ut erat nimirum, in *Urbana* quoque Juriſdictione, *Prætor Peregrinorum* pariter ac *Urbanus*. Hinc itaque multa ſibi reſervarunt Princi-

pes,

pes, in causis etiam *Provincialium*, nec se inconsultis statui permiserunt. Satis hoc manifestum est ex x°. *Plinii* Libro, qui *Trajanum* sæpe consulit, de causis *Provincialium*. Satis etiam è *Rescriptis* Imperatorum ad *Præsides* Provinciarum, in *Codice* etiam *Justinianeo*. Sic illi nimirum *Jure Tribunitio* intercedebant ne pro *arbitrio* Præfectorum vexarentur, opprimerenturve, etiam *Provinciales*. Inde provocatio illa *S. Pauli* à *Festo* ad *Neronem*. Inde & literæ Præfecti *Galliæ Lugdunensis* ad *Marcum* in causa *Attali* qui *Civis* erat *Romanus*. *Civem* enim *Romanum*, qui *miles* non fuisset, *capitali Pœna* afficere non potuerunt Præsides *Provinciarum* S. P. Q. R. Imo ne quidem *Legati* ipsi Cæsaris *Jure Gladii* instructi, *Cæsare* ipso inconsulto.

XI. Tribunitia Potestas *Cæsarea* aliquatenus *impar* Tribunitiæ Potestati *Augusteæ*. *Propius* tamen accessit ad *Paritatem* Tribunitia Potestas concessa *Tiberio* anno *Augusti* penultimo.

Porro *Augusteæ Potestati* omnium supremæ *parem* agnoscunt *Potestatem Tribunitiam*, etiam *Cæsaream*, uti vidimus, Scriptores. Et tamen multa sunt quæ *imparem* esse doceant. *M. Agrippam Tribunitia Potestate* ipse ornaverat *Augustus*, vel eo potius *referente*, *Senatus*. Et tamen illum in *Asiam* amandavit, cum de *Marcello* potius *adoptando* sororis *Octaviæ* filio cogitaret. Idem *Tiberium Tribunitia Potestate* donavit, ut nepotum *Caii* & *Lucii* ferociam reprimeret. Nec tamen dubium erat quin *Caium* fuerit *Luciumque*, si vixissent, in Imperii hæreditate præpositurus. Id vero fieri, invito *Tiberio*, non potuit, si *paritas* illa omnimoda fuisset, nec sibi quidpiam agendi potestatem reliquisset, nisi *consentiente Tiberio*. Sensit hoc ipse *Tiberius* hunc ipsum *Secessus Rhodiaci* prætextum præ se ferens, ut futurorum *Principum invidiam* declinaret. Non

ita proculdubio ſenſurus homo perfidiſſimus, ſi penes ſe fuiſſet ut *hæredes* Imperio, *Auguſto* etiam nolente, deſignaret. Senſit certe, cum *veniam redeundi* à Seceſſu impetrare non poſſet ab *Auguſto*, nec *redire* tamen, niſi *impetrata*, auderet. Senſit præterea, cum elapſo *Tribunitiæ Poteſtatis* Quinquennio, jam *Tribunitia* illa *Poteſtate* eſſet ſpoliatus, nec *referente* ſcilicet *Auguſto*, nec *novo* aliquo, de *Novo Quinquennio*, edito *Senatuſconſulto*. Senſit denique cum in *Seceſſu* illo tantopere *metueret* à *Caio*, cauſas nimirum metus nullas habiturus, ſi major ipſi per *Tribunitiam Poteſtatem* in ipſas illas *Caii* in Oriente Provincias Poteſtas conceſſa fuiſſet quam ipſi fuiſſet conceſſa *Caio*, qui *Tribunitiæ Poteſtatis* ipſam *ætatem* nunquam attigerit. Nec ſane, niſi [e] *Caio ſuffragante*, veniam reditus tandem impetravit. Quis eſt quin inde videat, ſi minus *Caium*, at ſaltem *Caii Patrem* adoptitium *Auguſtum Tiberio* fuiſſe ſuperiorem? Imo ipſe *Velleius* ſic *primam* illam agnoſcit *Tiberii* cum *Auguſto* in *Tribunitia Poteſtate paritatem*, ut non *æquam* interim illam fuiſſe innuat ante *Senatuſconſultum* illud de *Provinciis cum Auguſto communiter adminiſtrandis* (ſic enim loquitur [f] *Suetonius*) quod anno *Auguſti penultimo* editum oſtendimus. Tunc enim (*Auguſto poſtulante, Lege tamen per Conſules lata*, ſi fides [g] *Suetonio*) Senatum Populumque Romanum decreviſſe teſtatur [h] *Velleius ut æquum* Tiberio *Jus in omnibus Provinciis exercitibuſque eſſet quam ipſi* erat *Auguſto*. Addit *Velleius* novi honoris etiam rationem. *Abſurdum erat* (inquit) *non eſſe ſub illo quæ ab illo vindicabantur; & qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem.* Si

*e* Suet. *Tib. c.* 13. *f* Suet. *Tib. c.* 21. *g* Suet. *ib.* *h* Vell. *L. II. c.* 121.

tum

tum primum *par æquuſque* fuerit, antea *imparem* fuiſſe neceſſe eſt, cauteque adeo intelligenda verba illa erant quibus *parem* cum *Auguſto* antea *Tiberium Velleius* ipſe pronunciaverat. De *Tribunitia Poteſtate* intelligendum eſſe conſtat Jus illud *Provinciarum* atque *Exercituum*, tam *armatarum* ſcilicet *Auguſti* Provinciarum, quam *Senatus Populique Romani* etiam *inermium*. Jam enim oſtendidimus hoc ipſum fuiſſe Jus illud *Proconſulare* quod *Tribunitiæ Poteſtatis* nomine deſignari ſolebat. Paucis certe annis antea poſtulatam à Patribus ab *Auguſto Tribunitiam Poteſtatem Tiberio* teſtatur diſertis verbis [i] *Tacitus*. Hanc ipſam fuiſſe poſtulationem de qua meminit loco modo memorato *Velleius*, non eſt quod dubitemus. *Poſtulanda* autem erat anno *Auguſti antepenultimo*, quæ *penultimo ineunda* erat *Poteſtas Tribunitia*. Inde *annorum* illa mentio *pluralis*. Eſt enim alioqui è [k] *Dione* certiſſimum *COSS.* Auguſti *penultimis* conceſſam *Tiberio* fuiſſe *Tribunitiam Poteſtatem*. Iiſdem nempe, ut ſupra obſervavimus *COSS.* à quibus cœpit $5^{m}$. ipſius *Auguſti Decennium*. Certum præterea *Decennalem* hanc fuiſſe *Tiberii Tribunitiam Poteſtatem*, ut fuerat illa quæ ipſi conceſſa eſt *Auguſto*, annoque adeò, ut vidimus, U. C. 776. finiendam. Non me tamen fugit ſic loqui *Dionem* quaſi alia fuiſſet à *Tribunitia Poteſtate* προςασία illa δεκέτις. Sed ſi cum *Suetonio* conferatur & *Velleio*, facile, colligetur, eandem fuiſſe *Tiberii* δημαρχικὴν ἐξουσίαν ac *Auguſti* προςασίαν δεκέτιν, & unius adeo ejuſdemque rei diverſa duntaxat fuiſſe vocabula. *Tribunitia* certe *Poteſtate* inſignitum fuiſſe, cum ſuccederet, *Tiberium* prodit [l] *Tacitus*, cum hoc ipſo Jure *Se-*

*i* Tacit. *Ann. I.* 10. *k* Dio. *L. LVI.* *l* Tacit. *Ann. I.* 7.

*natum* dicit ab eo fuisse convocatum. Sed finem jam acceperant priora ejus *Tribunitiæ Potestatis Quinquennia.* Ut proinde de hoc ipso novæ *Tribunitiæ Potestatis Decennio Tacitus* intelligendus sit. Eam enim *Tribunitiam Potestatem* intelligit quam *sub Augusto* acceperat ipse *Tiberius.*

XII. Erant enim *Augustorum* Tribunitiæ Potestates *decennes*, *Cæsarum* duntaxat *Quinquennes. Multa* alia à *Votis*, etiam *susceptis.* Tandem *Augustorum* Potestas etiam *quinquennis.*

Et quidem in eo, ni fallor, *parem* esse credidit *Velleius* cum *Augusto*, in hac *Tribunitia Potestate Tiberium*, quod eam non, ut olim, *Quinquennem*, sed qualem ipse habuit *Augustus*, hoc novo Senatusconsulto acceperit, *Decennem.* Fuerat sane prior illa *Tiberii*, paulo ante *Adoptionem* decreta, *Potestas Tribunitia* in *Decennium.* Deque eo testem habemus * *Dionem.* Sed fræni loco idem *Augustus Germanicum* addiderat à *Tiberio* adoptandum. Sic enim factum, ut *Germanicum* jam suum ex *Tiberio nepotem*, cum libuisset, adoptare posset in *filium*, etiam *nolente Tiberio.* Erat enim in *Augusti Potestate*, cum jam fuisset adoptatus, ipse *Tiberius.* Ita adoptatum *Germanicum Tribunitia Potestate* insignire idem potuit *Augustus.* Sic par fuisset cum *Tiberio Germanicus.* Atqui solus *hæredem* designandi *Potestatem* ipse habuit *Augustus.* Non certe *Tiberius*, ne quidem *Tribunitia Potestate* instructus, ipse nimirum non *Paterfamilias*, sed in aliena positus *Augusti Potestate.* Hæres autem nisi *unicus* esse non potuit in *Imperio*, Sublato nimirum non *Triumviratu* tantummodo, verumetiam *Duumviratu*, cum sufficeretur in utriusque locum nova illa forma *Imperii.* Ita etiam in priori *Tribunitia Po-*

* Dio *L. LV.*

*testate* æmulos tamen habuit *Tiberius Caium* & *Lucium*, aut *certos* potius *ante* illum Imperii *hæredes*. Sic & in illa priori Tribunitia Poteſtate etiam *Decenni* æmulum habuit *Germanicum*. Imo *Germanicum* hæredem hoc priori *Decennio* maluit *Augustus*. Hoc facile colligimus è *Tacito*. Tum demum enim Tiberius * *omnes per exercitus* (inquit) *ostentatur, non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu*. Inde *Imperium* illi *matris* artibus quæſitum objectat, non *Tacitus* modo verumetiam *Plinius* in *Panegyrico*. Imo ipſa quoque *Livia* exprobravit, hoc nomine filio parum grata. Erat tamen in hac ultima *Tiberii* ſub *Augusto Tribunitia Potestate* aliquod eximium, hac ipſa de cauſa quod fuerit *Decennis*. Et ſane illud ipſum diſcrimen inter *Tribunitiam Potestatem Cæsaream* atque *Augusteam* agnoſcunt ſequentium Sæculorum etiam monumenta. *Augustorum* enim feſtos legimus ludoſque non *Quinquennales*, ſed *Decennales*, cum nempe jam non novis *Senatusconsultis*, ſed *Ludis* duntaxat *festisque* intervalla illa diſtinguerentur. Horum mentionem in *Numis* primam legimus *Antonini Pii*. In illis PRIMOS habemus DECENNALES, & SECUNDOS DECEMANNALES. Et VOTA ſimiliter DECENNALIUM primorum ſecundorumque *ſuſcepta* pariter & *ſoluta*. Imo VOT. DECENN. III. SUSCEPT. Et quidem per *Decennia* diſtingui ſolita tempora *Augustorum*, exinde intelligimus, quod VOTA DECENN. in illorum etiam *Augustorum Numis* legamus, qui tamen in Imperio ne quidem *Quinquennium* expleverint. Paucos duntaxat *menſes* tenuit *Pertinax*. Nec tamen paucos habemus ejuſdem *Numos* qui *Vota* præ ſe ferant

* Tacit. *Ann.* I. c. 3.

*Decennalia.* Sic & in *Maximino Thrace* ſe res habet, & *Pupieno*, & *Balbino*, & *Decio*, & *Hoſtiliano*, & *Æmiliano*, quorum tamen neminem *Quinquennium* explevisse manifeſtum eſt. Atqui *Vota* de *Decenniis* ne quidem *ſuſcipienda* erant antequam *ſoluta* fuiſſent de *Quinquenniis*, ſi quidem mos fuiſſet in *Auguſtis* ut eorum *Imperia* per *Quinquennia* diſtribuerentur. Legimus, fateor, in *Nerone*, *Quinquennales* & in *Poſthumo*, *Auguſtis*. Sed *Ludos* hos fuiſſe puto *Quinquennales*, nec ullo neceſſario nexu cum *quintis Imperii annis* conjungendos. Erant enim *Romanorum ludi* plerique *Quinquennales*, ſeu in memoriam *Imperii*, ſeu qua alia de cauſa, fuiſſent inſtituti. *Neronis* autem *Ludos* anno Æræ *Chriſtianæ* LX°. conſtituti in Imperii *Quinquennia* non incidiſſe certum eſt. In *Cæſaribus* aliter ſeſe res habuit. In illis enim *Vota* legimus per *Quinquennia* diſtributa, non per *Decennia.* Sic *Vota* habemus *Quinquennalia* in Numis *Criſpi* & *Conſtantis*, & *Vota* ſimiliter *Quinquennalia Cæſarum noſtrorum* in *Licinii* junioris Numis & *Criſpi* & *Conſtantini* junioris. Sunt tamen, fateor, in *Cæſarum* Numis *Cæſarum Vota Decennalia.* Sic in *Criſpi* Numis & *Conſtantini* junioris habet Cl. *Mediobarbus.* Sic etiam Inſcriptio *Gruteriana.* Sed è binis *Quinquenniis* coaluerunt illa *Decennia.* Ad eandem plane formam qua etiam in *Auguſtorum* Numis *Vicennalia* legimus & *Tricennalia*, & ipſa quoque è binis terniſve *Decenniis* ſimiliter conflata. *Cæſarum* vero *Quinquenniis* reſpondent quæ legimus in Numis *MVLTA Cæſarum*, & ipſa quoque per *Quinquennia* diſtributa. Nec enim *Vota* aliqua *ſoluta* arguunt Numi *MVLTIS* inſigniti. *Vota* enim legimus V cum *multis* X. XV. &c. in illis etiam Principibus qui Imperium ne quidem unico tenue-

rint

rint *Quinquennio*. *MULTA* itaque in Numis pro *Votis multis* intelligenda ſunt, pro *multis* nempe *Quinquenniis* in illis Principibus quorum Imperia per *Quinquennia* ſingulis Votis *novis* celebrari ſolebant, pro *Decenniis* autem multis in illis quorum *Vota* erant *Decennalia*. Traxitque, ni fallor, originem mos ille *Votis* addendi *Multa*, ex *Acclamationibus* in *Senatu* aliiſque Publicis alloquiis. Cum enim Imperatoribus *MULTOS ANNOS* acclamarent, inde factum ut *Pontifices Vota* celebraturi non *Vota* ſimplicia apprecarentur *Quinquennalia* ſcilicet aut *decennalia*, ſed *multa* potius optarent, ſeu *Quinquennia*, pro Voti *more*, ſeu *Decennia*. Non ergo idem valent *Vota Decennalia* aut *Vicennalia ſuſcepta*, atque *Multa*. *Vota Decennalia ſuſcepta*, in Principibus *Quinquennalibus*, jam *Vota* alia *Quinquennalia ſoluta* ſupponunt; in Principibus autem *Decennalibus ſoluta* ſimiliter alia *Vota Decennalia*. *Multa* autem ſeu *Decennalia*, ſeu *Vicennalia* eodem tempore voveri poterant quo *prima Vota ſuſcipiebantur*, ſeu *Quinquennalia* illa fuiſſent, ſeu *Decennalia*. Id nos tamen docent etiam *Multa* qualia fuerint ex quibus conflari ſolebant, *Vota ſimplicia*. Si quidem ex *Quinquenniis* conſtabant, *Vota* ſimplicia docebunt, ſimiliter fuiſſe *Quinquennalia*; ſin vero ex *Decenniis*, & *Vota* multiplicibus reſpondentia monſtrabunt fuiſſe *Decennalia*. *Cæſarum Multa* ex *Quinquenniis* conſtabant, ut proinde & *Vota* eorundem fuerint *Quinquennalia*. *Conſtantini* filii è *Cæſaribus Auguſti* facti ſunt, & *Vota* adeo *Quinquennalia*, Patre adhuc ſuperſtite, *ſuſcepta* omnes, aliqui etiam *ſoluta* habuerant. Inde illis placuit, etiam jam *Auguſtis*, ut annos *Cæſareos* cum *Auguſteis* committerent continuarentque, *Auguſteumque* adeo Imperium per *Quinquennia*

*nia Quinquenniis Cæsareis* reſpondentia diſtribuerent. Inde & in aliis *Auguſtis* & *Vota* pariter & *Multa Quinquennalia* occurrunt frequentiſſima.

XIII. *Cæſarum* Quinquenniis Tribunitiæ Poteſtatis *expletis*, penes *Auguſtum* erat primarium eſſentne *renovanda*.

Erat itaque inter *Tribunitias Poteſtates Cæſareas Auguſteaſque* prima illa, quam dixi, diſcrepantia. Erat præterea & alia, quod, *Cæſareæ Poteſtatis Tribunitiæ Quinquennio* expleto, penes *Auguſtum* eſſet an iterum de *novo Quinquennio* vellet ad Senatum *referre*. Primus qui *Tribunitia Poteſtate* donatus eſt *Cæſar*, non *Auguſtus*, *Marcus* erat *Agrippa*. Hunc ille honorem accepit anno U. C. 736. Et rurſus, *Quinquennio* expleto, anno ejuſdem Epochæ 741. anno ante obitum unico. Sic nullum interceſſit ſpatium *Tribunitia Poteſtate vacuum*. Obierat nimirum antea *Marcellus*, quem ille ſibi *hæredem* præ *Agrippa* delegerat. Quod inde conſtabat quod *Agrippam Auguſtus* in *Aſiam* amandarit, ne deſtinato *hæredi* præfulgeret vir rebus geſtis meritiſque clariſſimus, & maturus Imperio. Itaque neceſſe erat, ſi *Marcellus* vixiſſet, ut *Quinquennio Tribunitiæ Poteſtatis* abſoluto *Tribunitia Poteſtate* excederet *Agrippa*, ſuccederetque *Marcellus* cum *ætatem* attigiſſet *Tribunitiæ Poteſtati* maturam. Proximus in *Tribunitia Poteſtate* Cæſar erat *Tiberius* ad reprimendam *Caii Luciique* Cæſarum *ferociam*. Non certe nova *Quinquennia perpetua* habiturus cum *illos* ante *Tiberium* hæredes deſignaſſet *Auguſtus*. Et quidem hujus *Quinquennium* in Seceſſu *Rhodiaco* tranſactum eſſe teſtatur verbis diſertiſſimis [m] *Suetonius*. Additque inde illum argumentum captaſſe impetrandæ *reditus* veniæ, quod exacto jam *Tribunitiæ Poteſtatis Quinquennio*, nullus deinde re-

[m] Suet. *Tib. c.* 11.

liquus

liquus esset locus *æmulationi* à destinatis Imperii hæredibus. Hoc enim sonant verba illa Suetonii: *Transacto Tribunitiæ Potestatis tempore, confessus tandem, nihil aliud Secessu devitasse se, quam æmulationis cum Caio Lucioque suspicionem, petiit, ut sibi securo jam ab hac parte, corroboratis his, & secundum locum facile tutantibus, permitteretur revisere necessitudines quarum desiderio teneretur.* Qui hic *secundus* est *locus* is idem loco Capitis superioris plane gemino *secundus* est *gradus*, nec plane alius quam hic ipse, de quo agimus, *Tribunitiæ Potestatis.* Itaque *secundus* erat, non *par*, gradus cum *Augusti* dignitate *Tribunitia Potestas.* Et dum illam haberet *Tiberius*, *secundus* erat post *Augustum*, *Cæsaribus* ipsis *Augusti filiis* superior. Ea autem exuta, jam *secundum locum* adepti erant tutabanturque *Cæsares*, nec suspicionem aliquam de *Tiberio* habebant cur illum *æmularentur.* Hic ergo manifestus in *Tiberio* *Tribunitiæ Potestatis* erat *hiatus* ab anno ante reditum unico, *Urbis* nimirum *Conditæ Varroniano* 753°. ad 757ᵐ. quo, *Cæsaribus* mortuis, *adoptatus* est ipse *Tiberius*, novumque denuo *Tribunitiæ Potestatis Quinquennium* datum vult [n] *Suetonius.* Rectius ille fortasse qnam [o] *Dio* qui *Decennium* decretum esse dicit. Sed vero de dignitate *Augusti* nullum erat novum post *Decennia* periculum. Jam enim certe post anuum U.C. 731ᵐ. *Imperii deponendi* consilium ipse deposuerat *Augustus.* *Monarcham* saltem necessarium esse credidit, & ne *Successor* incertus esset, id etiam Reip. fortasse credidit utilissimum ut *Successoris* designatio penes ipsum esset *Monarcham.* Sub ea nimirum, quam dixi, *Sacrata Lege* qua *vir virum legere* solebat. Hoc

*n* Suet. *Tib c.* 16. *o* Dio. *L. LV.*

inde

inde conſtat quod poſt primum à *Triumviratu* Quinquennium, poſt annum nimirum U. C. 731^m. tot ſibi proſpexerit *Succeſſores*. Primo nimirum *Agrippam*, tum *Marcellum*; tum rurſus *Agrippam*. Deinde *Agrippæ* filios *Caium*, *Lucium*, *Agrippam*, *Poſthumum*. Denique *Tiberii* fratrem *Druſum*, & *Druſi* filium *Germanicum*, ipſumque *Tiberium*. Hæc certe animum à *Monarchia* jam ſtabilita mutanda arguunt alieniſſimum. Nec tamen ſtare poterat *Monarchia* ſi *Decenniis* ſingulis à Senatus arbitrio pependiſſet. Proinde poſtea rationes Imperii *publicavit* tantummodo, non autem *Senatui reddidit*, aut *Conſulibus*, nec unquam *Provincias armatas* dimiſit. Idque ſane licuit per *Leges*. Acceperat enim antea *Tribunitiam Poteſtatem* διὰ βίȣ quam ipſe illam per *Quinquennia* novandam cenſuiſſet, aut *Decennia*. Et quidem vice *Dictaturæ* acceperat à *Plebe*, ut vidimus, oblatæ. *Perpetuæ* nimirum illius qualis illa fuerat, quæ *Plebi* erat ob oculos, *Cæſaris avunculi*. Erat præterea *Auguſtus Legibus ſolutus*, idque SC°. quod tamen aliis *Tribunitia Poteſtate* præditis *Cæſaribus* nunquam conceſſum legimus. Inde factum ut *reddendi Imperii* neceſſitate nulla teneretur. Hac itaque ex parte nondum *æquales* erant invicem *Tribunitia* illa *Poteſtas Cæſarea* atque *Auguſtea*. Imo *Auguſtos* etiam ipſos, cum *plures* eſſent, [p] Nos tamen alibi *impares* oſtendimus, id nimirum ipſa exigente *Monarchia*. Potiori ratione *Tribunitiam* illam *Poteſtatem imparem* fuiſſe neceſſe erat quæ *Cæſarum* erat nondum *Auguſtorum*.

p *Diſſ. Singul. ad Poſthum.* Ceſtrienſ.

XIV. Erat tamen revera *paritas* aliqualis inter Tribunitiam Potestatem *Cæsarum* atq; *Augustorum*.

Et tamen aliquatenus *parem* evincunt loca Auctorum modo memorata. Erat par utraque *Tribunitia Potestas* in numero *Provinciarum*, quod *Provincias* tam *Populi Romani omnes* quam *Augusti*, tam *armatas* quam *inermes*, complecteretur. *Par* erat etiam utraque quoad *Subditos* qui Potestati utrique erant pariter obnoxii. Non tamen poterat *Augusto* fraudi esse concessa postea *Cæsari Potestas Tribunitia*. *Par* erat præterea aliquatenus, quod *imparitatem* illam quæ *vera* fuit, fecisse *videretur* non tam *Senatusconsulti* forma qua data est, quam *modestia* Principis *Tribunitiam Potestatem accipientis*. Sic enim fere in primis novorum honorum auspiciis primæ Principum in Senatu Orationes *modestæ* admodum esse solebant atque *moderatæ*. Sic edicti Tiberii [q] *verba pauca* fuisse tradit Tacitus & *sensu permodesto*. Sic idem alibi Tiberius *varie* disserebat, [r] *de magnitudine Imperii, sua modestia*. Sic etiam *Pisonis Cæsaris* à *Galba* adoptati sermonem legimus [s] *erga Patrem Imperatoremque reverentem, de se moderatum*. Sic *moderationem* in Principe laudat [t] *Manius Lepidus*, *Moderationem Vipsanius* [v] *Messalla*, *Moderationem* [x] *Cremutius Cordus*. Et *famam* [y] *moderationis* à *Tiberio* partam memorat *Tacitus*. Etiam *arrogantem* ejusdem [z] *moderationis modestiæque* laudem aucupabantur in summo loco positi *Principes*, præsertim in Imperii *initiis*. Eo certe magis quo poterant pro loco fuisse licentiores. Eluxit autem ea *moderatio* in *honoribus* quà *repudiandis*, quà *Moderandis* qua etiam *ægre* nec sine summa difficultate admittendis. Ergo ut in reliquis

*q* Tacit. *I.* 7. *r* Tacit. *I.* 11. *s* Tacit. *H. I.* 17. *t* Tacit. *An. III.* 50. *v* Tacit. *An. IV.* 42. *x* Tac. *An. IV.* 34. *y* Tac. *An. III.* 56. *z* Tac. *An. II.* 8.

liquis *modestiæ* spem *moderationisque* præ se ferebant adoptandi *Cæsares*, cum erga *Patrem* præcipue & *Augustum*, qualem in *Pisone* jam vidimus. Ita factum ut certarint invicem cum *Cæsaribus Augusti*, hi in *honoribus cumulandis*, illi viciſſim in *moderandis*, siquam forte *paritatis* vel *speciem* habere viderentur. Sic itaque in hac ipsa Causa loquuntur coævi Scriptores, ut *paritatem* illam quæ fuerat inter *Tribunitiam Potestatem Cæsarum Augustorumque* sustulerit *Cæsarum* ipsorum duntaxat *moderatio*. Ita de *Tiberio* Velleius, [a] *Tribunitiæ Potestatis consortione æquatus Augusto, Civium post unum (& hoc quia volebat) Eminentissimus*. De eodem [b] Tacitus : *Sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur* : [*Caii* nimirum *spes* intelligit ac *Lucii*] *simul modestiæ Neronis, & suæ magnitudini fidebat*. Sic etiam de *Trajano* Plinius [c] *Jam Te* (inquit) *Providentia Deorum primum in locum provexerat. Tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas. Privatus tibi Videbaris quamdiu Imperator & alius esset*. Inde factum, ut siquis *Cæsar* paulo fuisset *arrogantior*, ei proinde *Tribunitiam Potestatem* non esse credendam censeret summus *Augustus*. Expertus hoc est *Domitianus*, qui cum in *Urbana Præfectura Consulari Potestate* licentiſſime ageret, & officia *Urbana* atque *Peregrina* pro suo arbitratu ita disponeret, ut miraretur gratiasque ageret Pater *Vespasianus* quod non [d] *Successorem & sibi misisset*; proinde nec à *Patre Tribunitiam Potestatem*, nec à *fratre* accepit. Incipiunt enim cum *Imperio Tribunitiæ* ejus *Potestates*. Hinc illa rursus *Plinii* verba de *Trajano* Domitianum perstringentis. [e] *Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & consors*

*a* Vell. *II.c.*99. *b* Tacit. *An.III.*56. *c* Plin. *Paneg. c.*10. *d* Suet. *Dom. c.* 1. & Dio *ap.* Xiphilin. *e* Plin. *Paneg. c.* 8.

*Tri-*

*Tribunitiæ Poteſtatis, & omnia pariter & ſtatim factus es, quæ proxime Parens verus in alterum filium contulit.* Filium illum *Titum* intelligit, non *Domitianum*.

XV. Poſt *Marcum* non erant *Cæſarum*, ſed *Auguſtorum* propriæ *Tribunitiæ Poteſtates*.

Inde præterea factum quod, cum obtinuiſſet in Imperio mos *plurium* ſimul *Auguſtorum*, jam non amplius *Cæſareæ* dignitatis, ſed *Auguſteæ* propria haberetur *Tribunitia Poteſtas*. Primus morem illum introduxit *Marcus*, noſtris id obſervantibus Hiſtoricis. *Lucium* ille *fratrem adoptitium* primus *collegam* Imperii *Auguſtei* dixit. Et ab *Auguſtea Lucii* dignitate incipiunt *Tribunitiæ* ejuſdem *Poteſtates*. Et pari adeo reverentia majorem *Auguſtum* coluit *Lucius*, & ſuo honori *modum* pro *modeſtia* ſua poſuit, qua uti ſolitos *Cæſares* in *Tribunitia Poteſtate pari* ſimiliter obſervavimus. Eſt enim obſecutus ut *Legatus Proconſuli*, vel *præſes Imperatori*, noſtro obſervante [f] *Spartiano*. Reverſum equidem è *Parthico Bello* [g] *minore circa fratrem cultu* fuiſſe idem obſervavit, & *multa* ſine *fratre diſpoſuiſſe*. Inde intelligimus ex Principis *arbitrio* fuiſſe illam quæ *Auguſto* ſummo debebatur, magna ex parte *reverentiam*, vel *permiſſam* ſaltem ejus *arbitrio* fuiſſe, pro *Marci* ipſius *verecundia*. Inde non alios legimus *Tribunitia Poteſtate* inſignitos quam *Auguſtos*. Tam *Cæſares* erant quam *Auguſti Commodus* & *Septimii Severi* filii *Caracalla* & *Geta*. Non tamen antea *Tribunitia Poteſtate* ornati quam ſummam *Auguſtorum* dignitatem fuiſſent conſecuti. Inde, ni fallor, nunquam *Cæſares* reperiemus *Tribunitia Poteſtate* donatos. Cum enim eſſent alii à *Cæſaribus*, & qui-

f *Vit. Ver. Imp. c.* 4. g *Ib. c.* 8.

dem

dem uno plures *Augusti*; jam *par* illa *Augusteæ* Potestati *Potestas Tribunitia* major visa est quam quæ esset simplicibus credenda *Cæsaribus* quos *impares* fuisse apud omnes erat in confesso. Suntque adeo mihi, fateor, suspectæ illæ, quas numerant viri Eruditi inferiorum *Cæsarum*, *Tribunitiæ Potestates*, testimoniis illorum temporum omnibus, ut puto, destitutæ. Mansere tamen in illorum temporum *Cæsaribus* Tribunitiæ Potestatis etiam *Cæsareæ vestigia* in *Cæsarum* etiam *votis Quinquennalibus*. Mansere etiam in *Augustis* translatæ à *Cæsaribus* ad *minores Augustos Tribunitiæ Potestatis* in *Votis* etiam *Augustorum Quinquennalibus*. Cum enim in *Cæsarum* locum, qua erant ab *Augustis* distinguendi, successissent etiam illi *minores Augusti*; erat deinde sane consentaneum ut idem *Tribunitiæ Potestatis* spatium *Quinquenne* locum haberet in *minoribus* etiam *Augustis*; Inde paulatim ad *majores Augustos* transierit, cum *Cæsareæ* Potestatis supputationes in dignitate etiam *Augustea* continuarent.

XVI. Erat tam in *Cæsaribus* quam etiam in *Augustis*, Imperium *Proconsulare* aliud à *Potestate Tribunitia*, & eadem *inferius*.

Utcunque tamen *Potestatem Proconsularem* complecteretur, uti vidimus, *Potestas Tribunitia*; erat nihilominus Potestas *Proconsularis*, ut à privatis *Proconsulatibus* alia, (*Principumque* propria) sic à *Potestate* etiam *Tribunitia*. *Germanico Cæsari Proconsulare* [h] *Imperium* petiit à Senatu *Tiberius*. *Germaniæ* illud erat Imperium, Provinciæ nimirum armatæ & Augusti, non Populi Romani, nec adeo, *Proconsularis*. Imo de *Imperio Proconsulari* intellexit *Dio*, in eo tamen diversus à *Tacito*, quod *Proconsu-*

*h* Tacit. *Ann.* I. 14.

lare

*lare* illud *Imperium Germanici* triennio ante diſpoſuerit. Sic enim habent verba ejus in geſtis anni 764. [i] Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτου ἄρχων ἐς τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον, καὶ κατέδραμόν τινα αὐτῆς. De eodem *Germanico* in *Orientem* profecturo ſic poſtea Tacitus: [k] *Tunc decreto Patrum permiſſæ Germanico Provinciæ quæ mari dividuntur, majuſque Imperium quoquo adiſſet, quam his qui ſorte aut miſſu Principis obtinerent.* *Majus* illud *Imperium* in *Provinciis alienis* & *maritimis* de alio commode intelligi non poteſt quam de illo *Principum Proconſulari*, cujus in *libera Rep.* exemplum deduxerant à *Pompeio* in Bello *Piratico*, vel paulo ante ab *Antonio*. Erat enim & illud in *Provincias* alienas *plures*, & præſertim *maritimas*, ut ſuperius oſtendimus. Et tamen *Tribunitias Germanici Poteſtates* nullas legimus. Imo *nullas fuiſſe* è *Tacito* certum eſt. Cum enim poſt *Germanici* mortem *Tribunitiam Poteſtatem Druſo* datam an. U.C. 775. Chriſti 22. memoraret, addit Tiberium, [m] *incolumi Germanico integrum inter duos judicium tenuiſſe.* Innuens nimirum *Druſo* propterea conceſſam *antea* non fuiſſe quod nec *Germanico* fuiſſet conceſſa. Sic etiam *Neroni* cum *toga virili maturata*, anno nimirum Æræ *Chriſtianæ* 51°. [n] *Proconſulare Imperium extra Urbem* datum teſtatur idem *Tacitus*. Hoc idem *Proconſulare Jus* eſt apud eundem in verbis [o] *Agrippinæ*. Nec tamen ante Imperium ejuſdem *Auguſteum* incipiunt *Tribunitiæ* ejuſdem *Poteſtates*. Imo *Imperium Proconſulare* * accepit *Auguſtus* ipſe, poſt adoptatum *Tiberium*, jam multis *Tribunitiæ Poteſtatis* annis evolutis. Ut *cenſum* nimirum ageret, & Sa-

*i* Dio *L. LVI.* *k* *Ann. II.* 43. *l* *Prælect. IX.* § 4. *m* Tacit. *Ann. III.* 56. *n* Tacit. *Ann. XII.* 41. *o* Tacit. *Ann. XIII.* 21.
* Dio *L. LV.*

crum *lustrale* faceret, nec tamen *Censoris* nomine, quem ille honorem sibi decretum aversatus fuerat anno U. C. 732. creatus illo * anno *Censoribus* privatorum ultimis. Et tamen elapso illorum Censorum *lustro*, nec novos ille *Censores* in illorum locum suffecit, nec ipse tamen à *Censoriis muneribus* abstinuit, eodem teste *Dione*. *Nomen* tamen officii *Censorii*, ut antea repudiabat, & *censum* adeo ipsum *lustrumque* egit, non quidem *Censoris* nomine, sed *Imperii Proconsularis*. Inde facile colligimus *affine* quidpiam cum *Censura* habuisse *Imperium* illud *Proconsulare*. Sic tamen *affine* ut fuerit in *speciem* inferius, eademque posset, sub *nomine* tamen minus odioso minusque invidioso. *Civium* certe in *exercitibus classibusque* & in *Coloniis* Provincialibus agentium Jus dederat *Imperium* illud *Proconsulare*. Horum *nomina censumque* dum ab exercituum classiumque ducibus discerent *Censores* mora nonnunquam intercessit diutina, ut è *Livio* discimus, quæ tamen ei explorata fuerint oportet qui *Imperio* illo fuisset instructus *Proconsulari*. Et plane ad *Militiam* spectabat *census* ut pro *census* ratione responderent onera in *Militia*. *Lustrationesque exercituum* nemo dubitare potuit quin Juris fuerint *Imperatorii*. Et à *Consulari Imperio* fluxit *Censura* ipsa ut à Jure Imperioque *Regio* fluxit *Imperium* ipsum *Consulare*. Abstinebant quidem à *nomine Regio* odiosissimo; *Legem* tamen *Regiam* è *Pandectis* sibi vendicasse constat *Imperatores*. Ita constat ut qui *Censoris nomen* defugeret, *Censoria* tamen *munera* hoc ipso *Proconsularis Imperii* nomine sibi vendicare posset *Augustus*. Et quidem *Proconsulatus* hujus meminere Inscriptiones Prin-

* Dio *L. LIV. init.*

cipum

cipum pleræque à *Septimio Severo*, tam nempe *Cæſarum*, quam etiam *Auguſtorum*. *Cæſarum* autem illorum nullæ erant prorſus, ut modo obſervabamus, *Poteſtates Tribunitiæ*. *Auguſtorum* fuiſſe concedo. Sic tamen in illorum etiam Inſcriptionibus memoratur eorundem *Proconſulatus*, ut plane alio quam ad *Tribunitiam Poteſtatem* pertinuiſſe illum oportuerit. Mentionem enim ejus in illis ipſis *Inſcriptionibus* diſertam legimus quæ ſimul *Tribunitiæ Poteſtatis* mentionem fecerant diſertiſſimam. Et quidem eo fere *ordine*, ut *poſt Tribunitiam Poteſtatem* ſequatur *Conſulatus*, tum deinde *Proconſulatus*. Inde facile colligimus, ut *Tribunitia Poteſtate*, ſic *Conſulatu* ipſo *inferiorem* illum fuiſſe *Proconſulatum*. Inde factum, ut cum *Germanico Proconſulare Imperium* rogaret *Tiberius*, filio nimirum *Adoptitio*, non tamen *Druſo* idem rogarit filio *naturali*. Quod ſcilicet *COS*. in annum ſequentem deſignatus *Druſus* in eo *ſuperior* videretur *Germanico Proconſule*. Id nos docent verba *Taciti* ſequentia: *Quo minus idem pro Druſo poſtularetur, ea* (inquit) *cauſa, quod deſignatus Conſul Druſus, præſenſque erat*. Inde etiam, ut *Nero deſignatus* duntaxat *COS*. poſt *Quinquennium* proxime lapſurum, jam tamen *Proconſulare extra Urbem Imperium* acceperit. *Inferior* honor ipſe fuerit neceſſe eſt cui *par ætas* videbatur etiam *inferior*. Idque erat ſane, pro primis honoris hujus veſtigiis in *libera* Rep. omnino neceſſarium. Primus nimirum in libera Rep. *Proconſul* erat *Publilius* [p] *Philo*. Non tamen niſi *acto Conſulatu*. Sed vero in *Rep*. certum eſt, cum nullus eſſet *Dictator*, honorem omnium *ſummum* fuiſſe *Conſulatum*; & *Conſules*

*p* Liv. *L. VIII. c.* 26.

in *Magistratu* agentes fuisse *Consulum* omnium *summos*. *Majores* itaque *Proconsulibus* illi fuere *Consules*. Nec sane aliter se res habere potuit in illis quoque *Proconsulibus* qui *Proconsules* propterea appellati sunt quod per *ætatem consules* esse non possent, nondum viz. *ætatem* assecuti *Consularem*. Ita nimirum *Augustus* conscripto exercitu Legatus *pro Prætore* à Senatu appellatus est, ne quidem adhuc vel *ætate Prætoria*. Cum enim *Prætoris officium*, potius quam *nomen* illa denotaret *Appellatio*, quod scilicet *Præturæ vicem* potius *similitudinemque* repræsentaret quam *rem Præturæ* exhiberet ipsam; *inferius* quiddam *Prætura* ipsa fuisse consentaneum erat. Eodemque ordine & *Proconsulatus* ille fuerit oportet qui non *Consulatus* ipse fuit, sed *vicem* potius præbuerit *Consulatus*. Quod si ne *Consulatum* quidem ipsum æquarit, etiam sub Imperatoribus, *Proconsulatus*; *Tribunitiam* certe *Potestatem*, qua [q] *summi fastigii vocabulum* erat, æquare non potuit. Idque inde etiam colligitur, quod cum post *Severum Tribunitia Potestate* ornatos nullos legimus præter *secundi* saltem ordinis *Augustos*; *Proconsules* tamen etiam *Cæsares* in *Inscriptionibus* legamus.

XVII. Quale fuerit *Imperium Proconsulare* in *Cæsaribus* Tribunitia Potestate nondum insignitis.

Videamus itaque quæ illa fuerit Potestas *Proconsularis* à *Tribunitia* Potestate distincta. Erat fortasse *Germanici Cæsaris* illa & *Provinciæ* duntaxat utriusque *Germaniæ*, & *Proconsularis* eo duntaxat nomine, quod cum *Consulatum* non haberet, insignia tamen *Consulatus* in *Provincia* habere liceret. Ita certe fuisse necesse erit si uterque vere scripserit, & *Dio* ante *Con-*

q Tacit. *Ann.* III. 56.

*sulatum*

*ſulatum* vel *primum*, anno tamen U. C. 764°. *Proconſulem* fuiſſe *Germanicum*, & *Tacitus Proconſulare Imperium* ei fuiſſe decretum, eodem, quo deceſſit *Auguſtus*, anno, *Urbis* nimirum 767°. Ita *Proconſul* fuerit, pro *veterum Proconſulum* more, qui adhuc viguit dum viguit *Reſpublica*. Erat nimirum *Cæſar*, ut reliquorum *Princeps*, ita *Auguſti* tantummodo *legatus*. Utque *perpetuum*, non quidem *Conſulatum*, ſed *Conſularem* tamen *Poteſtatem* habuit *Auguſtus*; ita *vices* ſaltem *Conſulis* ejus geſſere *Legati*. Quamdiu fuerit ante *Conſulatum Proconſul Germanicus*, è *Dione* non conſtat. *Fuiſſe* enim illum teſtatur illo anno *Proconſulem*, non item *cœpiſſe*. Sed vero anno ſequenti 765°. *Conſul* erat *Germanicus*, & *Provinciæ* adeo præfuerit *Jure*, non jam *Proconſulari*, ſed *Conſulari*. Anno proximo 765°. *Tribunitiam Poteſtatem parem* cum *Auguſto*, *Decennem* ſcilicet, *Poteſtatemque* adeo *parem* etiam in *Provincias* accepit *Tiberius*. Sed obtinebat *Provinciam*, pro veteri etiam more, *Germanicus* dum miſſus eſſet *Succeſſor*. Hoc autem anno miſſus eſt nullus, proximo *Proconſulare Imperium* ei prorogatum. Inde itaque, ab anno nimirum 767°. ad 770^m^. *Germaniæ* præfuit. Tum rediit mittendus in *Syriam*. Hic nullum occurrit, quale erat in *Tribunitia Poteſtate*, ſpatium *Quinquenne*. Imo ſpatium *certum* prorſus nullum, ſed brevius longiuſve, pro mittentis arbitrio. Nihil itaque hic alienum erat à more *Reip*. Sed cum duplices haberet *Auguſtus* Legatos, *Conſulares* alios, alios duntaxat *Prætorios*; id habuit eximium, etiam in *Legatione Cæſar*, ut Legatis *majoribus* accenſeretur, nempe *Conſularibus*, inde merito *Proconſul* appellandus. Sed *major* erat, uti vidimus, *Proconſulatus* ille *Germanici* in *Orientem* profecturi, nec quicquam fere

 habens

habens cum priori *Proconſulatu* commune. *Alias* complectebatur ille *Provincias*, & novo adeo opus habebat, ut decerneretur, *Senatuſconſulto.* Proinde nec *numerum* habebat, qualis in *Tribunitio* erat *Proconſulatu*, cum priori continuum, nedum *Quinquennia*, ad illius inſtar, aut *Decennia.* Hoc ſane certum, non *omnium* fuiſſe Imperii *Provinciarum.* Propius ad *Tribunitium Proconſulatum* acceſſit *Proconſulatus Neronis extra Urbem*, proinde *omnium*, ut videtur, *Provinciarum.* *Urbi* enim opponi ſolent *omnes*, in *Romano* ſermone, *Provinciæ.* Fecit nimirum illud Senatuſconſultum ut, ſiquam Expeditionem ſuſcepiſſet *Nero*, ei occurrere oporteret *Provinciarum Præſides*, atque honorifice ſuſcipere, præſentemque pro *majori Poteſtate* agnoſcere, *faſceſque* adeo dimittere. *Abſentium* in *Præſides* Jus aliquod fuiſſe, nihil eſt quod ſuadeat, in *Cæſareo* illo *Proconſulatu.* Nullum fuiſſe veriſimile eſt, in ea præſertim *ætate*, quæ nondum erat vel *Conſulatui* matura. Sic itaque facile diſtinguemus *Cæſareum* illum *Proconſulatum* à *Poteſtate Tribunitia.* Includebat enim *Poteſtas Tribunitia* Jus Provinciarum *omnium* abſolutiſſimum, addebatque præterea *Poteſtatem* vere proprieque *Tribunitiam*, tam in *Pomærio* quam extra *Pomærium*, qua ſcilicet fidem Principum appellantibus præſtandæ erant *Tribunitiæ* à vi injuſta *Interceſſiones.* Facilius enim intelligi poteſt cur titulus inferior *Proconſulatus* in illis etiam fuerit memorandus qui *Tribunitiæ Poteſtatis* titulum ſupremum nondum fuiſſent conſecuti.

Major

XVIII. Qualem *Augusti Uſum* Imperii Proconſularis habebant, etiam priuſquam decerneretur.

Major difficultas eſt cur fuerit in illis etiam memorandus qui *Tribunitia Poteſtate* fuerint inſtructi, etiam in *Auguſtis* omnium ſupremis, etiam in *Auguſto primario*. Jam ſupra vidimus, ſic invicem diſtinctas fuiſſe Poteſtates *Proconſularem* atque *Tribunitiam*, etiam in *ſupremo Auguſto*, ut *Proconſulem* eundem iidem appellent *Numi* quem antea & *Auguſtum*, & *Tribunitia* etiam *Poteſtate* præditum agnoverant. Nec illud modo. Addit præterea Auctor [r] vitæ *Pertinacis* novum fuiſſe atque ominis loco, quod eodem *die* quo *Auguſtus* appellatus eſt, *Imperium* etiam *Proconſulare* receperit. Similiter obſervavit Auctor vitæ [ſ] *Alexandri*, in eo etiam novum, præterque morem fuiſſe quod *ſimul* & nomen *Auguſti* & *Jus Proconſulare*, & *Tribunitiam* etiam *Poteſtatem* fuerit adeptus. Cur, quæſo, illud præter *morem*, ſi unam eandemque *rem nomina* illa omnia deſignarint, *Summum* nimirum *Imperium*? Fecerit hoc fortaſſe *Senatus* ut Jus ſuum in *Imperio* tribuendo vendicaret. Dedit nimirum *ſummæ Poteſtatis* Jura varia atque capita *paulatim*. Sic quidem ut *priorum Jurium* uſus laudatus loco fuerit *meritorum*, poſteriora Jura *ipſa* loco *Præmiorum*. Ita ſe Judices venditabant ipſorum etiam *Principum*, non ſane admodum *moroſos*, non tamen prorſus *negligentes*. Hoc enim ambiebant *boni* Principes ne novos honores capeſſerent *immeriti*. Hoc etiam ambire *videbantur*, qui ſcilicet boni *videri haberique* vellent Principes etiam alioqui *mali*. Non tamen propterea à Juris nondum conceſſi *uſu* prorſus abſtinebant etiam priuſquam concederetur. Sic equidem *Tiberium*, etiam

r *Vit. Pert. c.* 5. ſ *vit. Alex. c.* 1. 2. 8.

dum *Imperium* abnuere deprecarique videbatur, non tamen ab Imperii *usu* abstinuisse observavit [t] *Tacitus*. Sic *veniam petiit* à Senatu noster etiam Hadrianus, [v] *quod de Imperio suo judicium Senatui non dedisset salutatus scilicet præpropere à militibus Imperator*, quod alios etiam fecisse Imperatores observavit etiam *Casaubonus*. Rationemque addidit *Hadrianus* illam, quam poterant etiam *alii* addidisse *Principes*, quod scilicet esse *Resp.* sine *Imperatore* non posset. Nec enim quicquam valebat solitaria *Augusti* appellatio ad salutem publicam sine *aliis* Potestatis Augusteæ *Juribus*. Nec poterat cavere nequid interim *detrimenti caperet Resp.* ni Potestatem *Proconsularem Tribunitiamque Augusteæ* adjunxisset *primarius* saltem *Augustus*. Itaque *confirmaverunt* potius quam *dederunt* Potestates illas sequentia illa *Senatusconsulta*. Saltem ut *dederint* in *futurum*, *præterita* tamen Jurium illorum exercitia poterant duntaxat *confirmare*. Habebat nimirum qui appellatus esset *Augustus* Jus etiam in *Provincias Proconsulare*, & *Tribunitiam* etiam *Potestatem*. Sed dum accederent *Senatusconsulta*, *precario*, & veteri fortasse quodam *Reip. Constituendæ* nomine. Inde Jus *plenum* habuit, & quasi nomine *Reip. Constitutæ*. Nec jam *Necessitatem* obtendere necesse erat *Legibus solutam*, sed *Legem* potius ipsam normamque Reipublicæ. Nec illa tamen *Potestatum* nondum concessarum *exercitia* prorsus erant *enormia*. Non dico jam *Legem* illam *Necessitatis*, non *scriptam* quidem illam, sed tamen *Jure Gentium* receptam; sed *Romanis* propriam in *Jure Augusteo*. *Solutus* enim *Legibus* ipse erat *Augustus*, & nominis adeo *Augustei* deinde participes. Idque primo no-

*t* Tacit. *An.* I. 7. *u* Spart *vit. Adr. c.* 6.

vi *Imperii*, poſt *Triumviratum*, *Quinquennio* narrat [x] *Dio*. Hoc nomine illos ἀπὸ πάσης ἀναγκαίας νομίσεως ἐλευθέρους, καὶ οὐδενὶ τῶν γεγραμμένων ἐνέχεσθαι ſcribit idem *Dio*. Liberos nimirum illos vult à *Legum* obſervandarum *neceſſitate*, ſiquis durior occurriſſet caſus, quales multi occurrere ſolent a Legumlatoribus non prævisi, & ſummarum proinde, pro tempore, Poteſtatum arbitrio integritatique permittendi. Vult etiam illos liberos fuiſſe ab *Accuſationibus* ſiqua forte tali neceſſitate coacti Leges *violaſſent*. Hæc enim notio ἐνόχου. Illum enim ſignificat qui & *Legis officio* tenetur, & *Pœnæ Legis*, ſi eam violaverit, obnoxius eſt. Agnoſcunt præterea in *inferioribus* etiam *Auguſtis*, *Leges* etiam juniores in *Pandectis*. Sic tamen ut *Auguſtos* ſolos *Legibus ſolutos* profiteantur, non item *Auguſtas*. Itaque hoc ipſo titulo *Auguſtorum*, priuſquam alia Jura novis variiſque Senatuſconſultis concedi ſolita adepti eſſent, hoc tamen *Jus* habebant ut aliorum Jurium munia interim *exequerentur*, nec *Legibus* eo nomine eſſent obnoxii.

XIX. Quæ fuerint in *Imperio Proconſulari* à *ſummis* Tribunitiaque Poteſtate inſtructis *Principibus* expetenda

Erant præterea in *Imperio Proconſulari* Jura ne *ſummis* quidem omnium *Auguſtis* aſpernanda. Jam ſupra vidimus non modo pro *majori Poteſtate* agnitos à Provinciarum *Præſidibus*, quacunque proficiſcerentur, illos fuiſſe *Proconſules*; verumetiam *Reſponſa* illis conſulentibus dediſſe *Legum* vim habitura, ſaltem apud *Provinciales*. Hoc ſane magnum facile agnoſcent omnes, ipſoque etiam *Conſulari* ſuperius. Qua etiam *Cenſoriam* Poteſtatem, *morumque* adeo Magiſtratum, *Imperium Proconſulare* ut * modo

x Dio *L. LIII.* * *Supra* §. 16.

vidimus, amplectebatur, hoc etiam Jus erat Principibus vel *ſummis* expetendum. Sed nec illud contemnendum erat, quod hoc Jure *perpetui* eſſent, *extra* Pomœrium, *Proconſules*, nec opus haberent, pro *aliorum Proconſulum* more, *Proconſulatum deponere* aut *renovare* cum in Pomœrium concederent, aut viceverſa è Pomœrio egrederentur. Dedit nimirum novum illud de Jure Proconſulari *Senatuſconſultum*, quoties *extra Pomœrium* eſſent, *apparatum* certe *Proconſularem*, *lictores*, *faſces*, *accenſos*, faſcium etiam *numero Conſulari*, qui *maximus* erat. Fuerant enim olim, pro uſu Reipublicæ, *Proconſules Conſulares*, *Conſulatu* nimirum functi, qui tamen nondum *intra Pomœrium* redierant, nec *faſces* adeo, cum quibus in *Provinciam* progreſſi erant, nondum depoſuerant. Non alios utique quam *Conſulares*. *Minores* autem erant *Conſulatu exacto*, quam ipſo *Conſulatus anno*, Proconſules. *Minores* utique *ſui* ſaltem *ordinis Conſulibus*. *Privati* nimirum *Proconſules Conſulibus privatis*, *Cæſarei Proconſules Conſulibus Cæſareis*, & *Proconſules* etiam *Auguſtei Conſulibus* ſimiliter *Auguſteis*. Sic intelligimus, ut fuerit *Conſulatu* inferior *Proconſulatus*, in ipſis etiam *Auguſtis*, & tamen *Conſulibus privatis majores* fuerint *Proconſules Imperatorii*. Erat enim illud prorſus neceſſarium, ut titulus *Principibus* non indignus, etiam *Auguſtis*, ab hoc omnium ſupremo deduci poſſet *Proconſulatu*. Nec ſane dedit *ſatellitium* illud *Proconſulare Poteſtas* etiam *Tribunitia* ſine *Proconſulatu*.

Cur

XX. *Tribunatum* dedignabantur *Patricii Auguſti* omnes, quorum etiam familiæ *privatæ Plebeiæ* fuerant, jam *Auguſti* facti *Patricii*. Proinde *Tribunitiam Poteſtatem* potius quam *Tribunatum* ipſum acceperunt.

Cur vero *Tribunitiæ* potius *Poteſtatis* nomine, honorem illum acceperint Imperatores, quam ipſius *Tribunatus*, cauſam illam aſſignat *Dio*, ſatis veriſimilem, quod *Tribunatum* ipſum nemo Candidatus alius ambire poſſet quam *Plebeius*. Idque pro primaria illius Magiſtratus inſtitutione. Eo enim conſilio inſtitutus eſt ut *Plebeiis* adverſus *Patriciorum* injurias præſtaret patrocinium. Fruſtra ſcilicet, ſi fuiſſet *Patriciis* ipſis, in illis *Plebeiorum Patriciorumque* rixis, ad honorem illum aditus. Erat quidem ſic *Plebeiorum proprius* ille Magiſtratus, ut ne quidem *Senatoribus* antea patuerit quam patuiſſet etiam *Plebeiis* aditus ad honores pleroſque *Senatorios*. Et cum *Senatoribus*, gentium tamen *Plebeiarum*, patuiſſet, adhuc tamen ſuffecit ad *Tribunatum Plebis* petendum *ætas Tribunorum*, è quibus illi *Tribuni* oriundi erant, *militarium*, quæ minor erat *Senatoria*. Tandem *Senatorum proprium* honorem illum fecit *P. Atinius* Plebiſcito, ut teſtatur [y] *Gellius Atinio*. Fuit *Atinius Tribunus Plebis* anno U.C. 695°. ut è [z] *Dione* diſcimus. Inde duplex memoratur *Auguſti*, quo minus *Tribunatum* anno 710°. aſſequeretur impedimentum, quod [a] *gente* fuiſſet *Patricia*, & *ætate* necdum *Senatoria*. Hoc ita poſtea moderatus eſt [b] *Auguſtus* ut ſi *deeſſent* è *Senatu Candidati*, ſatis eſſet ad *Tribunatum ordo* etiam *Equeſtris*. Quod anno U. C. 742°. factum eſt, teſte [c] *Dione*. Nuſpiam tamen legimus alios fuiſſe *Tribunatus* Candidatos quam *gentium* ſaltem *Plebeiarum*. Hinc ita-

*y* Gell. *N. Att. XIV.* 8. *z* Dio *L.XXXVIII.* *a* Suet. *Aug.c.*10. *b* Suet. *Aug. c.* 40. *c* Dio *L. LIV.*

que

que obſervationem elicimus in Hiſtoria Romana utiliſſimam, quoſcunque legimus *Plebis Tribunos* illorum ſaltem *familiam* fuiſſe *Plebeiam.* Valuit ſane hæc ratio, uti vidimus, in *Auguſto* qui *gente* erat *Patricia.* *Nefas* ille, ſeu, ut loquitur [d] *Dio*, οὐχ' ὅσιον, eſſe duxit ſi *Familiæ* ſuæ nobilitatem honore *Plebeio* conſpurcari pateretur. Eo enim Argumento pugnantes legimus apud *Livium Patricios*, *Sacra* omnia & *Auſpicia* Publica penes ſolos fuiſſe *Patricios*, violarique adeo *Ordinis Sanctimoniam* ſi *Patricii Plebeiis* in eodem honoris *collegio* immiſcerentur. Ab *Auguſto* ad *Principes* etiam *juniores* emanavit exemplum ut *Tribunitiam Poteſtatem* potius quam *Tribunatum* ipſum, habere cenſerentur. Ratio tamen eadem non erat in illis quæ erat in *Auguſto.* Saltem ſi de eorum *familiis* loquimur *privatis.* Erat enim è *familia Plebeia* noſter etiam, quem *Tribunum* fuiſſe diximus, *Hadrianus.* Sed poterant *Principes*, eo ipſo nomine quod eſſent *Principes*, fuiſſe nobiliſſimi. Poterant ipſi ſeſe, vel Jure *Cenſorio*, vel *Pontificio*, cui libuit *Ordini*, ſeu *Familiæ*, ſeu etiam *Sacris* inſerere. Et cum *Succeſſores Imperii*, & *hæredes*, darent non *Natales*, ſed *Adoptiones*; cum *majores Adoptitios* omnes, quotquot fuerant è quacunque *ſtirpe Imperatoria* Principes, agnoſcerent juniores, ſtirpem imprimis ſeu *Juliam*, ſeu *Auguſti Octaviam*, *Patricias* ambas; Sic illos ſeſe *Patricios* feciſſe neceſſe erat. Ita *Poteſtatem* potius *Tribunitiam*, quam *Tribunatum* ipſum, illos accipere conſentaneum erat. Habebant enim in ipſis *Reip.* temporibus exemplum datæ *Poteſtatis*, cum *rem* ipſam dari ægre ferrent. *Conſules Plebeios* moleſtiſſime tulere *Patricii.*

*d* Dio *L. LIII*

Ita-

Itaque ut utriſque gratificaretur, tam *Patriciis* quam *Plebeiis*, creati [e] *Tribuni Militum Conſulari Poteſtate*; *Tribuni* nempe *Militum*, quales eſſe ſolebant *Tribuni Plebis*: *Conſulari* tamen *Poteſtate*, ne *Conſulatum* ipſum polluere viderentur ſi *Plebi* illum proſtituiſſent. *Conſularem* tamen *Poteſtatem* pleniſſimam illi habuere *Tribuni*. Ne ad *vim* nomini ſubjectam aliquatenus minuendam mutationem *nominis* ſpectaſſe ſuſpicemur.

XXI. Operam dedere Principes ut cum *Auguſtorum* Quinquenniis aut Decenniis concurrerent *Cæſarum* Quinquennia. Ita ſub *Auguſto*.

Erit autem in re Chronologica utiliſſimum ſi rationem *numerandi Tribunitias Poteſtates* paulo penitius explicemus. Imprimis illud obſervamus, quocunque demum *tempore* factum eſſet de *Tribunitia Poteſtate Senatuſconſultum*, id tamen curaſſe veteres ut à conſtitutis *Imperii* ſeu *Quinquenniis*, ſeu *Decenniis* illam numerarent. Prima certe *Auguſti Tribunitia Poteſtas* ſi *Dictaturæ* loco ſuſcepta fuerit, anno profecto U.C. 732. inita fuerit oportet quo *Dictaturam* à *Populo* oblatam ſcribit *Dio*. Ab anno tamen 731. incipiunt *Tribunitiarum Poteſtatum numeri*, qui nempe annus à *Triumviratu* tertio expleto erat *quintus*. Sequuntur *Agrippæ Tribunitiæ Poteſtates*, & ipſæ [f] anno 736. *datæ* pariter atque inde *numerari* ſolitæ. XI^us autem erat annus ille à fine tertii *Triumviratus*, & ab initio illius, quod in Triumviratus locum ſucceſſit, *Imperii*; *quintus* autem ab illo à quo *Tribunitias* ſuas *Poteſtates* ipſe numeraverat *Auguſtus*. Convenit præterea quod anno 741°. *primi* in Tribunitia Poteſtate *Quinquennii* ejus *finem*, *novi* autem *Quinquennii initium* ponat *Dio*. Paulo incer-

e Liv. *L. IV. c.* 6. f Dio. *L. LIV.*

tiores erant *Potestates Tribunitiæ Tiberii*. Quod ſcilicet à conſiliis minus certis pependerint, & pro re nata ſuggeſtis. Primum *Tribunitiæ Poteſtatis Quinquennium* accepit, non tam animo, ut vidimus, illum adoptandi, quam ad reprimendam *Caii Luciique ferociam*. Ferocia illa erat *Lucii* Cæſaris *Caio* fratri *Conſulatum* petentis nondum ex Ephebis egreſſo, qui ſcilicet *togam virilem* nondum induerat, quod anno Urbis *Varroniano* 748°. contigiſſe teſtatur *Dio*. Proximo certe anno 749. *Conſulatum* accepit *Auguſtus* hoc ipſo animo ut *Caio togam* daret, eumque *Conſul* in *forum* deduceret. Sic anno *Vrbis* 753°. exierit illud *Quinquennium* in Seceſſu *Tiberii*, ut nos docet [g] *Suetonius*, *Rhodiaco*. Seceſſit enim *Tiberius* cum jam *togam virilem* ſumſiſſet *Caius*, *Lucius* etiam *maturus eſset viris*, teſte [h] *Velleio*. Certe poſt initium anni 749. quo *togam* ſumſit *Caius*, & tamen ante initium 752. quo ſumſit eam *Lucius*. Imo initio anni 749. ſi partem anni vel *Septimi* attigerit, quem *octo annis* in exilio fuiſſe ſcribit *Suetonius*. Hoc certe *Tiberii Quinquennium* in nullum *Auguſti Quinquennium* incidiſſe certum eſt. Cœpit deinde aliud *Tiberii Quinquennium Tribunitium* ab anno U. C. 757°. COSS. *Ælio Cato* & *Sentio Saturnino* teſte coævo eodem [i] *Velleio*. Inde ad ejuſdem obitum *Tribunitiæ Poteſtates* erant XXXIII. quæ ſuperiori *Quinquennio* junctæ efficiunt in univerſum XXXVIII. quot habent veræ genuinæque Numorum lapidumque Inſcriptiones. Recte nimirum illæ, cum anno 790°. deceſſerit. Dedit tamen operam *Auguſtus*, cum de hærede illo relinquendo ſecum conſtituiſſet, ut *Tiberii* etiam *Quinquennia* cum ſuis concurrerent *Quinquenniis*.

g Suet. *Tib. c.* 11. h Vell. *II.* 99. i Vell. *II.* 103.

Dicit

Dicit [k] *Velleius Augustum*, post *Lucii* mortem, *Caio adhuc vivo Tiberio Tribunitiam Potestatem*, quod fecit postea, dare voluisse. Recte nimirum conveniunt illa anno 756°. quo desiit *Augusto* ipsi tertium, cœpit autem quartum Imperii *decennium*, *Tribunitiæ* autem *Potestatis* quintum exiit *Quinquennium*. Proximum *Tribunitiæ Potestatis Quinquennium* quo anno dederit *Augustus*, 761°. an 762°. nullos habemus, qui nos doceant Annales accuratos. Potius tamen eo propendeo ut *Quinquennium* integrum elabi passus fuerit. Sed elapso quarto suo Imperii *decennio*, cum *Tiberio Provincias* cederet, non jam ut antea in *Quinquennium*, sed in *Decennium*; jam sane id effecit, non modo ut cum suo *decennio* concurreret novum illud *Tiberii Decennium*; sed ut *Tribunitiæ Potestatis* nomine *Imperium* illud haberet quod in *Decennium* esset habiturus. Sunt enim *Dionis* verba hoc ipso anno 766°. admodum diserta: καὶ τῷ Τιβερίῳ τὴν ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν αὖθις ἔδωκε. Additque (ne de alio aliquo anno hæc intelligi potuisse suspicemur) *Druso* etiam *Tiberii* filio *Consulatum* in *tertium* annum fuisse decretum, qui *Consulatum* adiit anno 768°. ab hoc ipso anno revera *tertio*. Processit tamen, ut antea, ratio *numerandi* Tribunitias ejus Potestates per tot annos jam recepta atque usurpata.

XXII. *Varia* deinde erant hujus moris exempla à *Tiberio* ad *Constantinum Magnum*.

Proximus *Tribunitiam Potestatem* accepit *filius* Tiberii *Drusus*. Sed sub *COSS.* anni 775 [l]. ut è *Tacito* discimus Auctore. Et *secundam* ejus legimus in Numis *Tribunitiam Potestatem*, cum tamen sequentibus *COSS.* extinctum fuisse testatur idem *Tacitus*. Hæc equidem, fa-

[k] Vell. *ib.*

teor,

teor, *Potestas Tribunitia* cum nullo concurrebat *Tiberii*, seu *Quinquennio*, seu *Decennio*. Annus erat ab *Augusti* obitu VIII[us]. à *Tribunitia Potestate* in *Decennium* concessa IX[us]. à *Tribunitia Potestate* anni 757[i]. non V[us]. sed III[us]. à *Tribunitia Potestate* anni 748[i]. ne III[us]. quidem, sed tantummodo II[us]. Sic nullo supputandi calculo in *Quinquennium* quadrat. Sed obstitit *Germanicus*, qui ad annum 772[m]. superstes fuit, ne *Druso Tribunitiam Potestatem* superiori *Quinquennio* concederet ne dare etiam cogeretur *Germanico*. Et nimia fortasse videbatur *Quinquennii sequentis* expectatio. Rationem præterea addit [l] *Tacitus* ex ipsis *Tiberii* ad Senatum literis, cur eo potissimum anno *Tribunitiam Potestatem* concesserit *Tiberius*. Egisse nimirum *Drusum* annum ætatis eundem quem egerit etiam ipse *Tiberius* cum ipsum quoque *Tribunitia Potestate* ornaret *Augustus*. Egit *Tiberius*, cum primum *Tribunitiæ Potestatis Quinquennium* acciperet, anno U. C. 748°. annum ætatis XXXVI[m]. Natus nimirum *Novemb.* 16°. anni 712[i]. Illum itaque annum si egerit *Drusus* anno 775°.natum necesse est vel anno 740°.ineunte, vel exeunte 739°.Hæc quidem accuratiora putamus quam quæ superius diximus. Non tamen vixit ille ad *finem Quinquennii*, ut possit intelligi num fuerint *Quinquennia* ejus cum Patris *Tiberii Quinquenniis* committenda. Inde transiit exemplum aliquantisper ad Posteros. Proinde *Titum* filium anno 71°. Imperii 2°. anno exeunte *Tribunitia Potestate* insignivit *Vespasianus*, *Nerva Trajanum* post annum Imperii unicum, *Ælium Cæsarem Hadrianus* noster ante Jan. 19. anni Æræ *Christianæ* 136[i]. *Imperii* scilicet à morte *Trajani* 19°. T. P. XX[a].

*l* Tacit. *Ann.* III. 56.

ut

ut ex Inſcriptionibus colligitur, pro illis nimirum ſupputandi rationibus de quibus egimus, *Appendice* ad *Cyprianum*. *Antoninum* ille & *filium* adoptavit, & *Tribunitia Poteſtate* inſtruxit tempore fortaſſe legitimo, ſi quidem anno 137°. *Vicennio* ſcilicet exeunte, cum *Tribunitiam* Antonini *Poteſtatem* XXIV. memorent Inſcriptiones. Sic *Marco Tribunitiam Poteſtatem* tempore legitimo, poſt x^am^. nimirum *Poteſtatem Tribunitiam* anno Æræ noſtræ 147°. qui idem erat *Urbis* 900^us^. Ut *Urbis* pariter ac *Imperii* rationem in eo habere potuerit *Antoninus*. Hujus *prima* legimus in Numis *Decennalia*. Et quidem cum T. P. XI. connexa, quod ſcilicet T. P. X. expleta fuerint, ut videtur, celebrata. *Lucium* deinde *fratrem* ipſo Imperii *initio* Imperii participem aſſumſit *Marcus*, ut eadem proinde poſſent, ſi quidem eouſque vixiſſet *Lucius*, habere *Decennalia*. *Commodum* filium *Tribunitia Poteſtate* & *Auguſti* dignitate ornavit anno 175°. quo cœperint ſaltem ſuæ Monarchiæ *Quindecennalia*. *Severus* Legum morumque obſervantiſſimus, hanc diſciplinam etiam obſervavit ſatis accurate. Majorem filium *Caracallam Auguſtum* fecit, & *Tribunitia Poteſtate* inſtruxit, poſt primum Imperii ſui *Quinquennium*, anno viz. Æræ noſtræ 198. Inde poſt alterum in Imperio *Decennium*, anno Æræ ejuſdem 208°. *Getæ* minori filio & *Auguſtea* dignitas & *Tribunitia* pariter *Poteſtas* conceſſa eſt. Inde à *Gallieno*, ſed moribundo, anno Imperi XV°. purpuram *Claudio* miſſam legimus. *Diocletianus Maximianum Herculium* altero Imperii ſui anno *Auguſtum* fecit, cum *Poteſtate* etiam *Tribunitia*. *Cæſares* fecit anno 292. nec *Quinquennio* nec *Decennio*. Sed *Cæſarum* nullæ erant illis temporibus *Poteſtates Tribunitiæ*. Poſt *Vicennalia* Impe-

rium depoſuit, Succeſſoreſque ad *Auguſteam* dignitatem provexit. Et quidem pro conſtituta à ſe antea (ut ait apud [m] *Lactantium Galerius*) Imperii *diſpoſitione*. Egreſſus quidem eſt *Diocletianus* annum Imperii xx^m^. attigitque xxi^m^. Sed depoſiturus Imperium cum *Maximiano Herculio*, poſt *Vicennalia* ſcilicet amborum, recte proinde potuit expectare dum ſua etiam *Vicennalia* explevisset *Maximianus*. Et præpropere adeo egit *Galerius*, cum *Vicennio Diocletiani* ipſius expleto *diſpoſitionem* ejus urgendam eſſe cenſuit. Sic aliquatenus in *Vicennium* inciderit etiam illa Succeſceſſio. Potuit etiam *Diocletianus Vicennalia* numerare non ab eo tempore quo Imperator *ipſe* acclamatus eſt, ſed ab eo potius quo interfectus eſt *Carinus*. Et quidem ita boni numerant Auctores qui juſtum ei tribuunt *Vicennium*. Sic in unum eundemque annum incurrerint utriuſque *Vicennalia*. *Conſtantini* autem filios Succeſſoreſque omnes *Decennalibus* conſtitutos eſſe conſtat, vel *Vicennalibus*, vel *Tricennalibus*. Sed nullæ erant *Cæſarum*, hoc etiam tempore, *Tribunitiæ Poteſtates*.

XXIII. *Proconſularis Imperii* (qua aliud erat à *Tribunitia Poteſtate*) *Quinquennia* nulla, aut *Decennia*. Poteſtatis *Cenſoriæ Quinquennia* alia nulla quam *Luſtrica*, nec annis *Imperii* reſpondentia. *Tribunitiæ Poteſtatis Quinquennia* & *Decennia* eadem quæ *Imperii*.

Sic illi nimirum evitabant frequentiores, quam par erat, *Quinquennalium Decennaliumve* celebritates. Sunt enim mihi, fateor, ſuſpecta multa Cl. *Pagii*, quæ etiam in eodem Imperio commentus eſt, *Quinquennalia* atque *Decennalia*. Quod *Proconſulari* Imperio *Quinquennalia* tribuit & *Decennalia*, qua ſcilicet à *Tribunitia Poteſtate aliud* erat, & *alia* proinde poſtulabat aliorumque annorum *Quinquennalia* &

[m] Lact. *de mort. Perſecut.*

*Decennalia*; id fecit nullo fretus, ut opinor, idoneo Veterum teſtimonio. Tantum enim abeſt ut *Quinquennales* fuerint, *Decennaleſve*, *Proconſularis Imperii* Ludi, ut neminem habeamus veterum, ſeu *Numum*, ſeu *Inſcriptionis* autorem, ſeu *Scriptorem*, qui *Proconſularis Imperii* annos numeraverit, nedum aliquem qui *Quinquenniis* illud *Decenniiſve* diſtinxerit. *Trienne* erat, quod [n] *Pompeio* decretum legimus, in Bello *Piratico*, Imperium *Proconſulare*. Etiam *annuum* illud paulo antiquius *Antonii*. Quo itaque *Senatuſconſulto* ſeu *Pebiſcito*? Quo liberæ Reipublicæ, imo vel ſervæ, ſeu *Lege* ſeu *exemplo*, *Quinquennalia* illa ſua, ſeu *Decennalia* comprobabit vir doctiſſimus? Erat fateor, Poteſtas *Cenſoria* Principis *Quinquennis*. Et quidem ita ut in Imperii *Quinquennia* non inciderit. Primum de ea *Cenſoria Poteſtate* SC. an. U. C. 735°. memorat *Dio*, in reliquis ejuſdem officii *Quinquenniis* paulo perturbatior. Sed vel ex illo recte diſpoſito *Quinquennio* facile colligimus, *Cenſoriæ* Poteſtatis *Quinquennia* Cenſuræ veteris *Quinquenniis Luſtriſque* reſpondiſſe. Id enim, illis præſertim temporibus, obſervavimus, jam ante aliquot Sæcula obtinuiſſe ut *Quinquennia Cenſorum quinis* Epochæ *Varronianæ annis* reſponderint, ut etiam poſtea e ternis *Luſtris Cenſoriis* natæ *Indictiones*. Inde factum ut *Imperiis* non reſponderent, quod *ſtatæ* eſſent ſolvendorum tributorum vices, nec ullis iſtiuſmodi caſibus obnoxiæ. Sed vero *celebritates*, præterquam *Luſtricas*, quæ nempe in *Luſtro* condendo intercedebant, nullas habebant *Quinquennia* illa muneris *Cenſorii*. Nec *Quinquennalia* hujus generis collegit obſervavitque pro

n Dio L. XXXVI.

Temporum notis Vir Temporum peritiſſimus. Reliqua ergo ſunt *Imperii* Poteſtatiſque *Tribunitiæ Quinquennia* & *Decennia*. Hæc autem in eoſdem annos ſemper incurrebant. *Imperii* enim annos per *Tribunitias Poteſtates* numerare ſolebant. Sic enim [o] *Dio* verbis diſertiſſimis: καὶ δι' αὐτῆς ἡ ἐξαρίθμησις τῶν ἐτῶν τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, ὡς καὶ κατ' ἔτος αὐτὴν μετὰ τῶν ἀεὶ δημαρχούντων λαμβανόντων, προβαίνει. Quæ tamen verba non ita intelligenda ſunt ut intellexiſſe olim memini celeberrimum *Pearſonium Ceſtrienſem*. Quaſi nimirum quotannis *Tribunitiam Poteſtatem* cum *Tribunis Plebis* renovarint Imperatores. Sic enim ille illorum Principum numos explicabat in quibus plures legimus *Tribunitias Poteſtates* quam ipſi *annos* tenuerint in *Imperio*. Ut primum annum aliquando fecerit *pars anni* admodum modica quæ ab eo tempore fluxerit quo *Imperium* ſuſceperint ipſi Principes uſque ad anni tempeſtatem ineundo *Tribunatui* legitimam. Hoc ille obſervaverat, pro more ſuo, admodum *acute*. Vereor tamen, an ſatis *vere*. Hoc enim ſibi proprium habebant præ aliis *Tribunatibus Tribunitiæ* Principum *Poteſtates*, quod non eſſent ipſæ pro more *Tribunatuum* Plebeiorum *annuæ*, ſed *Quinquennes* & *Decennes*. Ita neceſſitas erat omnino nulla ut *quotannis* renovarentur, ſed ſingulis duntaxat *Quinquenniis* & *Decenniis*. Et *plena* erant *Auguſti Quinquennia* omnia & *Decennia*, cum tamen de *Tribunitia Poteſtate* ne cogitarint qui *Dictaturam Auguſto*, non *Tribunatum*, obtulerunt. Ita nullam habet veriſimilitudinem in tempus ineundo *Tribunatui* conſtitutum incidiſſe oblatam *Auguſto Dictaturam*. Et vero *Imperii* annos fuiſſe

*o* Dio *L. LIII.*

qui

qui fuerint per Tribunitias *Potestates* numerati, habemus aliunde Argumenta. Illud imprimis quod *summi fastigii vocabulum* illud appellet [p] *Tacitus*. Tum deinde quod [q] *M. Silanum pro sententia dixisse* testetur idem, *ut publicis privatisve monimentis, ad memoriam temporum, non Consulum nomina præscriberentur sed eorum qui Tribunitiam Potestatem gererent.* Vix quidem dubium est quin *summæ Potestatis* nomen fuerit quod *Consulatus* loco monimentis *publicis* fuerit inserendum, *summi* nimirum etiam ipsius in Rep. libera *Magistratus*. Nec aliter sane annos *Imperii* numerabant *Græci* rei monetariæ Præfecti. Habent enim alii numeros Δημαρχικῆς Ἐξουσίας. Hos *Coloniarum Romanarum*, *Græcæ* tamen *Linguæ*, numos fuisse puto. Alii νέου Ἱεροῦ, sub Gentæ præsertim *Flavia* & *Nerva*, similes utique numeros. Hi *Asiæ* erant, ni fallor. Illos enim præcipue illa incessit adulatio, Urbem *Romanam* atque *Imperatores*, structis in illorum honorem *Templis*, celebrandi. Alii ἔτη simpliciter, adjectis tamen, pro priorum exemplo, *numeris*. Erant hi fortasse *Græcorum*, sub *Imperatorum* patrocinio, *Municipiorum*, quæ quidem ad *Imperium* ejus *Tribunitiæ Potestatis Proconsulare* spectabant, & ad *Tribunitium* ejus proinde *Patrocinium*, cum alioqui *Tribunitia* Intercessio proprie sic dicta *Civium* esset *Romanorum*, pro prima sua institutione, propria, & in *Provinciis* adeo propria *Coloniarum*. Hæc certe ratio esse potuit cur *Tribunitiarum Potestatum numeris* solæ possent numos suos signare *Coloniæ*. Alii Λ. inscripti sunt, nota, ut vulgo interpretantur Eruditi; Λυκαβάντων, seu *Annorum*, cum *numeris* etiam, ut priores, qui veris *Imperii*

p Tacit. *Ann.* III. *c.* 56. q Tacit. *ib. c.* 57.

*annis* plerunque reſpondent. Illorum illi fuiſſe videntur qui ea voce *annum* per hæc tempora deſignabant. Forte *Orientalis*, quæ appellabatur, *Dioceſeos*. Illorum enim *Principum* numos hac nota inſignitos obſervavimus qui his præcipue *partibus* Imperarint, *Odenati* præſertim & *Vabalathi*. *Tribunitiæ* autem *Poteſtatis* ſolius mentionem Numi faciunt *Latini*, tam *municipiorum*, quam etiam *Coloniarum*. E *Græcis* autem *Numis* invicem collatis manifeſtum eſt eoſdem illis *Tribunitiarum Poteſtatum* numeros fuiſſe, & *Imperii*.

XXIV. *Imperio* non *Monarchiæ*, reſpondebant Tribunitiarum Poteſtatum *numeri* in illis Principibus qui Tribunitiam Poteſtatem habuerant cum *deceſſorib.* communem. Cautumq; ne in alios deceſſorum *annos* quam *quintos decimoſve* incurrerent *Cæſarum* minorumque *Auguſtorum Quinquennalia* & *Decennalia*.

Certe, quod ad has, de quibus agimus, *celebritates* attinet, veriſſimum eſt *Imperii* fuiſſe, ſeu *Quinquennales* illæ fuiſſent ſeu *Decennales*. Qui enim *Tribunitiam Poteſtatem* ſub *Deceſſoribus* acceperant, non à Deceſſorum *morte*, ſed à *ſuſceptæ* Tribunitiæ Poteſtatis tempore *Quinquennes* illas *Decenneſque celebritates* numerabant. Sic modo vidimus numeraſſe *Tiberium*, non ab *Auguſti morte*, ſed ab anno *Auguſti penultimo*, quo *Tribubunitiam Poteſtatem* acceperat *cum Auguſto Tiberius*, in *Decennium*. Hic *primus* erat qui *Tribunitiam Poteſtatem* ſub *deceſſore* acceptam cum *Imperio* continuavit, à quo proinde ad *Poſteros* exemplum manaſſe veriſimillimum eſt. Et tamen addit [r] *Dion Caſſius*: ἡ μέν τοι πανήγυρις δεκαετηρὶς ἐποιήθη. Quis eſt quin videat hic ortum deſignari *Feſtorum Ludorumque Decennalium*? quin videat ex hoc exemplo oriundas celebritates non alio utique *exemplo*

r Dio *L. LVII.*

fuiſſe

fuiſſe celebrandas? quin denique videat x^a^. *Poteſtate Tribunitia*, non autem x°. *Monarchiæ* anno, ſi in *aliam* incidiſſet *Poteſtatem Tribunitiam*, *Ludos* fuiſſe illos *Decennales*? Erat enim ſane, numeraturque à *Tacito* is idem annus *Tiberii* IX^us^. duntaxat, ſi ab *Auguſti morte* initium ejus fuiſſet arceſſendum. Facile inde intelligimus in locum *rationum* de præterito *Decennio* reddendarum, in locum *novi*, de futuro Decennio *Senatuſconſulti*, illos ſucceſſiſſe *Ludos decennales*. Inde & illud quoque ſequitur, non aliorum utique fuiſſe *annorum* quam eorum quibus reddendæ fuerant *rationes*, & *novum* adeo rogandum de futuro Decennio *Senatuſconſultum*. *Binos* qui unquam (pro Cl. *Pagii* mente) diverſorumque *annorum*, *Decennales* obſervavit, ne quidem unicum habemus illis temporibus exemplum. Vix puto etiam ſequentibus. *Factos* etiam fateor *Cæſares* annis *Auguſtorum* aliis quam *Quintis Decimiſve*. *Quinquennalia* autem *Cæſarum* aut *Decennalia* in alios *Auguſtorum annos* quam *quintos decimoſve* incidentia nemo, ut opinor, è bonæ fidei monumentis obſervabit. Vix alia fortaſſe de cauſa primum Imperium in *Quinquennium* duntaxat ſumſit *Auguſtus* quam ut *Imperium* univerſum juſtis conſtaret *Decenniis*. Nec enim aliter in *Decennia* diſtribui potuit niſi tribus *Triumviratuum Quinquenniis* novum accederet *Quinquennium*. Poſtea *Senatuſconſulta* omnia erant de *Imperio* renovando in *Decennium*, ſi ſibi velimus conſtare *Dionem*. Sic etiam cautum ut *Cæſarum* etiam *Tribunitiæ Poteſtates Quinquennes* eſſent cum juſtis *Auguſtorum Decenniis* non quadrarent, aut cum de alio potius lis eſſet *Imperii hærede*. *Agrippæ* prima *Poteſtas Tribunitia Quinquennis* cum *Decenni* Auguſti *Tribunitia Poteſtate* concurrebat,

 anno

anno nimirum U. C. 736. decreta. Sed *Marcellum* potius adhuc cogitabat *Augustus Imperii hæredem* quam *Agrippam*. Secundam autem *Tribunitiam Potestatem quinquennem* non explevit *Agrippa*, ut cum alio concurrere posset *Augusti Decennio*. Nec erat admodum absimile primum *Tiberii* in *Tribunitia Potestate Quinquennium* anno 748. concessum, jam *absoluto* superiori *Augusti* per annos aliquot *Decennio*. Et *Lucium* jam *Caiumque hæredes* designaverat *Augustus*, non *Tiberium*. Postea illis sublatis, cum nullum jam haberet *Tiberius* æmulum, *decennem* deinde *Tribunitiam Potestatem* ei concessam testatur *Dio*. Accepit, ut vidimus, *Tribunitiam Potestatem* illam anno U. C. 757°. Exiit *Decennium* ejus anno 766. Quis hic non videat annum *Decennii* unum, antequam concederetur fuisse numeratum, unoque adeo anno citius quam oportuit illud ipsum exiisse *decennium*? Non alio proculdubio fine quam ut concurreret cum ipsius *Augusti decennio*. Facessant itaque celebritates illæ *Cæsarum* minorumque *Augustorum quinquennes decennesque* in alios *supremi Augusti* annos quam *quintos decimosque* incurrentes. Facessant denique tot etiam in *supremo Augusto* titulorum *Quinquennalia* & *Decennalia* gratis à Viro alioqui doctissimo conficta.

XXV. A tempore collati *Imperii*, non autem *SC.* de Potestate *Tribunitia*, numerari solebant *Potestates Tribunitiæ* aliique summi honoris *tituli Augustis* rarum

Ut vero *Tribunitiæ Potestatis* & *Imperii* annos numerarint *Quinquennia* illa & *Decennia*; alii tamen erant *Tribunitiæ Potestatis* ipsiusque illius Imperii *Natales*. Jam supra vidimus, etiam in *supremis Augustis* rarum fuisse præterque morem si quis cum *Imperio* eodem *die Tribunitiam Potestatem* fuisset consecutus. Et tamen *Tribunitiæ Potestatis*

alios

alios ab *Imperio* Natales celebratos nuſpiam obſervavimus. Nec ſane alios Principum *Natales* in bonæ fidei monumentis legimus, quam *geniture*, quam *Adoptionis*, quam *Imperii*. Non alios memorant *Hiſtoriæ*, non alios coæva *Kalendaria*. Honores *Commodi* omnes, quo *die* decreti fuerint, recenſuerat vetus *Commodi Kalendarium*, quo noſter uſus eſt illius vitæ [f] Scriptor. *Tribunitiæ* Poteſtatis *diem* habet nullum, cum tamen illam acceperit ſub Patre *Commodus*, & alia habeat idem illud *Kalendarium* Tribunitia Poteſtate *recentiora*. Ratio illa erat, ut exiſtimo, quod *Tribunitiæ Poteſtatis* annos non à *Senatuſconſulti die* quo decreta eſt, ſed ab *alio* potius aliquo *Natali* honoris alterius celebrari ſolito Veteres numerarint. Inde itaque novas *Tribunitias Poteſtates* arceſſebant, inde *Quinquennia* Tribunitiæ Poteſtatis & *Decennia*. Erant ſimiliter & alia Summæ Poteſtatis vocabula alio quam quo quiſque *Imperium* acceperat *die*, & aliis etiam *Senatuſconſultis* concedi ſolita, quæ tamen ipſa non aliunde Veteres quam ab *Imperii* ipſius origine repetebant. *Auguſti* nomen anno U. C. 727. *Auguſto* ipſi decrevit, *Planco* referente, *Senatus*. Annos tamen *Auguſtorum* ab anno U. C. 726. deducit *Cenſorinus*. Ab illo nimirum anno quo tertio *Triumviratu* exceſſit, cœpit autem primum *novæ Poteſtatis* Quinquennium. Erat præterea, agnoſciturque à *Dione* in *ſummi Imperii* titulis *Pater Patriæ*, nunc tamen ſerius nunc citius, ut ipſi placuit *Auguſto*, aut *Senatui*, decretus. Nec tamen propterea *Epochæ* novæ initium dedit *ſerius* illud de *Patre Patriæ* Senatuſconſultum. Nomen præterea *Imperatoris* qua

f *Vit.* Commod. c. 12.

ſummum faſtigium denotabat, anno 725°. *Augusto* decretum teſtatur [t] *Dio*, non illud *multo* antiquius quo *Julii* hæredes erant è SC°. appellandi. Ne quidem illud *aliquanto* antiquius à rebus *geſtis*, *exercitu*, non *Senatu* deferente, aliquoties repetitum. Celſius illud erat *Imperatoris* elogium quod hujus anni SC°. delatum eſt; τὸ κράτος denotabat, inquit *Dio*. Nec fere aliud vocabulum habemus novæ illius, quæ in *Triumviratus* locum ſucceſſit, affinius. Nec ab eo tamen *anno* ulla incipit *Auguſti* inſignis Epocha, nondum videlicet expleto tertio *Triumviratus* Quinquennio. A ſequenti antem *anno* certum eſt *Imperii* illius *Quinquennia* omnia cœpiſſe & *Decennia*. Sic illi nimirum accurate cavebant ne ullam in ſupputationibus confuſionem parerent unius ejuſdemque Poteſtatis, diverſorumque etiam temporum, tituli.

XXVI. Et quidem ab Imperii *Natali*. Is *Auguſto* dies *menſis Auguſti*. XIX.

Itaque à *Natali* aliquo *Imperii* novæ *Tribunitiæ Poteſtatis* initium erat, pro illorum temporum more, repetendum. Is autem quis fuerit, in re *Chronologica*, ut ſciatur, utiliſſimum eſt. *Auguſto* ipſi *Tribunitia Poteſtas* data eſt anno 731. Et tamen *Tribunitias* ejus *Poteſtates* in univerſum XXXVII. & [u] *Tacitus* agnoſcit, & coævæ *Numorum* Inſcriptiones. Obiit *Aug.* XIX°. anni 767. Inde conſtat ante *Aug.* XIX. cœpiſſe initium *Poteſtatis Tribunitiæ*. Non potuit hoc initium reſpondere fini *Triumviratus*. In Faſtis *Capitolinis* incipiunt *Triumviri* à *V. Kal. Dec.* depoſituri *ad prid. Kal. Jan. Sextas*. Ita *Decembr.* XXXI. anni 726. exierit tertius *Triumviratus*. Tribunitias *Auguſti* Pote-

*t* Dio *L. LII. fin.* *u* Tacit. *Ann. I.* 9.

ſtates

ſtates à *Senatuſconſulti*, ut putabat, *die* numerabat *Onuphrius*, eumque diem *V. Kal. Jul.* fuiſſe arbitratus eſt. Cur vero illud cum Scriptorem, qui extat, neminem habeamus qui *diem* ipſum deſignaverit? Nempe eundem credidit *Auguſto Tribunitiæ Poteſtatis* fuiſſe *Natalem* qui fuerat *Tiberio*. *Tiberii* autem *diem* illum fuiſſe collegit è [x] *Velleio*. Sed *Adoptionis* diem, non *Poteſtatis Tribunitiæ*, dedit *Velleius*. Nec *eundem* utriuſque fuiſſe veriſimile eſt. Data eſt in *Senatu* Poteſtas *Tribunitia*, & *in Senatu honorem illum* dicit *Tiberium recuſaſſe Velleius*. *Adoptio* vel apud *Pontifices*, vel in *Comitiis Imperii*, fieri ſolebat, uti diximus. Imo *Tribunitiam Poteſtatem* ante *Adoptionem* fuiſſe innuit *Velleius*. Quamdiu illam præceſſerit, illud aperte non dicit. Hoc tamen certum, poſt *Lucii* & *Caii* obitum, *Tribunitia Poteſtate* inſignitum, ipſo agnoſcente *Velleio*. Mortuus eſt *Caius* poſt *menſem* à *Lucii* morte XVIII^m^. teſte [y] *Suetonio*. Et *Lucii* memoriam XII. Kal. *Sept.* obſervandam decreverunt Auctores Cenotaphii *Piſani*, & *Auguſti T. P. XXV*. Hæ notæ deſignant annum U. C. 755. Ita XVIII^us^. *menſis* in *Februarium* inciderit anni 757. Et quidem XIII. Kal. *Martii*, nuncium acceperant *Piſani*, *Auguſti Trib. P. XXVI*. Ergo *poſt* VIII. Kal. *Mart.* deſierit *Auguſti Poteſtas Tribunitia*, cæperit autem illa *Tiberii*. Præterea *Auguſtum P. M.* appellat Inſcriptio *T. P. X.* dedicata. Mortuo autem *Lepido* honorem illum accepit *Auguſtus*, qui niſi [z] *mortuo* adimi non ſolebat. Exceſſit *Lepidus* anno U. C. 741. ut è *Dione* conſtat. *Pontifex* autem *Maximus* creatus eſt *Auguſtus Mart.* III. ſi veteri *Kalendario* fides; *Mart.* autem VI. ſi fides

x Vell. Paterc. *L. II. c.* 103. y Suet. *Aug. c.* 65. z Plin. *L. IV. Ep.* 8. Senec *de Clem. I.* 10. Appian. *in cauſa* Lepidi. *Bell. Civ.*

*Ovidio*.

*Ovidio.* Nondum itaque *Tribunitiam Poteſtatem* x^am^. abſolverat. Hinc tamen nihil obſtat, fateor quo minus ab eo, quem deſignavit *Onuphrius, die* cœperint *Auguſti Tribunitiæ Poteſtates.* Argumentum tamen unde id collegerat *Onuphrius,* ut non procedat, oſtendimus. Certiora puto è [a] *Tacito* diſci poſſe. Eundem ille Auguſto *diem accepti quondam Imperii principem, & vitæ ſupremum* pronunciat. Sic dies *Imperii Natalis* idem fuerit qui *mortis Auguſti* XIX^us^. Idem [b] *Tiberium collegam Imperii conſortemque Tribunitiæ Poteſtatis* fuiſſe teſtatur. Quis inde non intelligat *Tribunitiam Poteſtatem* inde illum arceſſere unde & *Imperium?* [c] Idem præterea *Auguſtum* dicit, *poſito Triumviri nomine, ad tuendam plebem Tribunitio Jure fuiſſe contentum.* Ergo in locum *Triumviratus* ſucceſſit *Tribunitia Poteſtas.* Atqui primum abſolverat *Auguſtus* in *Imperio Quinquennnium,* cum *numerari* inciperent ejuſdem *Tribunitiæ Poteſtates.* Non aliter itaque in *Triumviratus* locum ſuccedere poterant *Tribunitiæ Poteſtates* quam quæ eædem erant cum *Imperio* proprie ſic dicto, eundemque adeo *Natalem* haberent pro ſupputationis exordio. Ita ſaltem intelligendus erit *Tacitus.* Erat quidem *Auguſtus Proprætor* etiam ante *Triumviratum,* & in *Proprætura Imperium* accepit. Sic enim [d] Cicero: *Demus Imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri, non poteſt. Sit Proprætore eo Jure quo qui optimo.* Jus nempe *gladii* in *cives milites* ſemper erat conjunctum cum *Imperio.* Sed *Imperium* illud in *Aug.* XIX. incidere non potuit. *Exercitum* fateor *anno* conſcripſit *ætatis* XIX^o^. Auctoribus [e] *Velleio,* [f] *Tacito,* & Mar-

*a* Tacit. *Ann. I.* 9. *b* Tacit. *Ann. I.* 3. *c* Tacit. *ib. c.* 2. *d* Cicer. *Philipp.* *e* Vell. *L. II. c.* 61. *f* Tacit. *Ann. XIII.*

more

more etiam *Ancyrano*. Itaque ante *Sept.* XXIII[m]. anni 710. Sed anno illo ætatis exeunte. Bellum enim ipſum *geſſit* cum *Hirtio* & *Panſa* anni 711. *COSS.* ætatis anno XX°. eodem etiam teſte *Velleio*. Et *Proprœturam* accepit cum iiſdem illis *COSS.* duntaxat *deſignatis*. Anni nimirum 710[i]. fine. *Tribus* certe *menſibus* Bellum illud *Mutinenſe* profligatum eſſe docet [g] *Suetonius*. Sub *Conſulatu* tamen *Hirtii* & *Panſæ* *cœpto* jam, non autem duntaxat *deſignato*, multo minus de *primi Conſulatus Imperio* intelligi poſſunt verba *Taciti*, de quo tamen, ſimilia Auctoris ſui, quicunque demum is fuerit, verba videtur intellexiſſe [h] *Dio*, dum eodem die *extinctum* credit quo *primum* Conſulatum *inierat*. Sed *primi Conſulatus initi diem* longe *alium* conſervavit coævus *Auguſto* [i] *Velleius*, & quidem notis temporis certiſſimis inſignitum. Ait enim *Conſulatum* illum *iniiſſe pridie quam XX annos expleret X. Kal. Octobres*. Recte nimirum ille, cum *IX. Kal. Octobr.* natum *Auguſtum* ſit etiam aliunde certiſſimum. Nec vero eſt quod miremur *die* alio Magiſtratum *Triumviratus* loco ſuffectum *Auguſtum* iniiſſe quam quo deſierit ipſe *Triumviratus*. Primum certe *Triumviratum*, quanquam & ipſum *quinquennem*, non tamen eodem *die* quo ſuſcepit depoſiturus erat, *V.* nimirum *Kal. Decembres*; ſed *ad prid. Kal. Januarias ſextas*. Hic ſane *Quinquennem* Magiſtratum *diebus* tamen aliquot geſſit *Quinquennio* productiorem. Potuit eodem exemplo *Triumviratus* alios *duos quinquennes* non tamen *juſtis* egiſſe *Quinquenniis*. Et quidem ut hic fecit, ex ipſo *Triumviratus* decreti *Senatuſconſulto*. Et tamen ſæpe apud *Livium* habemus

g Sueton. *Aug. c.* 10. *h* Dio *L. LVI.* *i* Vell. *L. II. c.* 65.

exempla

exempla eorum qui novis etiam *Senatusconsultis tempus* ineundo Magistratui *legitimum* anteverterint. Potuit autem anno 726. *Triumviratum* paulo citius abdicare ut *Acta Triumviratus* odiosissima abrogaret. Id unum fortasse difficile videbitur quod *Tribunitiam* ejus *Potestatem* XXXVII$^{m}$. habeamus in *Tacito*. Nec in illo duntaxat verum etiam in aliis, quæ hodieque extant, *Augusti Inscriptionibus*. Sed satis erat ad *Trib. Pot. XXXVII$^{m}$.* XXXVII$^{us}$. Potestatis Tribunitiæ *Natalis*. Ita alibi *observavimus in *Ælio Hadriani* Cæsare. *Consulatus* sui II$^{i}$. ipsis periit Kalendis *Januariis*. Et tamen 2$^{i}$. ejus *Consulatus* multæ ejus meminerunt *Inscriptiones*. Ita scilicet memoriis defunctorum favebant ut *levissimas*, si præsertim *justæ* essent, captarent honorum occasiones. Et quidem multæ morte eorum recentiores erant istiusmodi tam *numorum*, quam etiam *marmorum* Inscriptiones. Erant etiam in longinquis *Provinciis* aliæ quas nondum attigerat mortis nuncius. Utravis causa satis justa esse poterat *multis* Tribunitiæ Potestatis vel per *unicum diem* auctæ monumentis. Præsertim accedente tam diserto (quod alio referri non potest) *Taciti* testimonio.

XXVII. A *cœpti Imperii Natali* Tribunitias suas Potestates numerabant à *se* orti non à *decessoribus* adoptati, Principes.

Et quidem primum illud *Augusti* exemplum pro norma fuisse puto secutis deinde omnibus, qualis nimirum ipse fuerat *Augustus*, summis *Augustis*. Illis scilicet qui *communes* nullos gesserant cum decessoribus honores, ipsi à se orti, nec Imperii hæredes designati. His *Tribunitias Potestates* auxit non *dies* ille quo *Tribunitiam Potesta-*

* *Proleg ad App.* Cypr. §. 47.

*tem*

*tem* acceperant, ſed quo *Imperium.* His *Quinquennia* claudebat inchoabatque & *Decennia,* idem ille *Imperii Natalis,* & *Feſta* adeo *Decennalia. Caius* equidem *Caligula* a *Tiberio* vivo *adoptatus* eſt. Sic tamen ſero ut Numos ejus nullos Inſcriptioneſve habeamus ſub *Tiberio.* Ita *Tribunitiæ* ejus *Poteſtates* in Inſcriptionibus aut cum *Auguſti* titulo, aut *Pontificis Maximi,* aut *Conſulis* conjunctæ ſunt (quos omnes honores non antea accepit quam *mortuus* eſſet *Tiberius*) ab *Imperii* proinde *Natali* numerandæ. Sic etiam *Veſpaſianus Kal. Juliis* ab exercitu *Ægypti* Imperator dictus eſt, quem etiam celebravit [k] *Imperii Natalem. Romæ* Senatus, poſt mortem *Vitellii,* exeunte *Decembri,* annoque adeo *Æræ Chriſtianæ* 69°. [l] *Cuncta Principibus ſolita, Veſpaſiano decrevit.* In illis proculdubio *Tribunitiam Poteſtatem.* Et tamen *numum* habet *Mediobarbus* ita inſcriptum: CÆS. IMP. VESP. PON. TR. POT. CENS. Hæc certe *Tribunitia Poteſtas* ſuperſtite adhuc *Vitellio* fuiſſe videtur, cum adhuc *Pontifex* eſſet duntaxat *Veſpaſianus. Pontificatum* nempe *Maximum* gerente *Vitellio.* Nec ſane ſcio alione referendum ſit quod *Albini Tribunitias Poteſtates* ad minimum *duas* agnoſcant ejuſdem Numi. Et quidem numi iidem qui eundem agnoſcunt etiam *Pontificem Maximum.* Non potuit *Severo amicus* eſſe cum *Pontificatum Maximum* vendicaret qui niſi *unius* eſſe non potuit, & *ſummi* fuerat *Auguſti*, [m] *Dione* teſte, ſemper proprius. Eundem enim *Pontificatum* ſibi vendicant coævi numi etiam *Severi. Romæ* tamen, poſt arreptum Imperium, nunquam fuit *Albinus. Senatum* quidem habuit propitium. Sed *Senatuſconſultum* de

*k* Suet. *Veſp. c.* 6. Tacit. *Hiſt. II. c.* 79. *l* Tacit. *Hiſt. IV. c.* 3.
*m* Dio *L. LIII.*

*Tribunitia Potestate* nullum habere potuit propter metum *Severi*. Scripsit quidem ad *Albinum* sub *Cæsaris* nomine *Severus*. Etiam collegam illum in *Consulatu* admisit. Etiam *hæredem* eum haberi voluit. Sed *Tribunitiam Potestatem*, quæ *Senatusconsulto* danda erat, missam non legimus. Ne quidem ad *Senatum* de ea *Relationem*. Sed nec ullum de *Albini* honore *Senatusconsultum*. [n] *Cæsarem* quidem *Albinum* salutat in literis *Severus*. Sed *Cæsarem fratrem* non *filium*. Quasi nimirum titulum *Cæsaris* acceptum *agnosceret* potius quam novum *daret*. Et tamen *Cæsarem*, *hæredem* scilicet *Imperii*, facere ipse potuit *Augustus*; *Tribunitiam Potestatem* dare non potuit sine *Senatusconsulto*. Potestatem nimirum *Provinciarum Senatus Populique Romani*, solus dare potuit, cujus *Provinciæ* erant, *Senatus*. Et tamen alios prætcrea legimus qui cum ipsi cum *Senatu Romano*, ne quidem cum *Roma* ipsa, commercium haberent nullum, *Tribunitia* tamen *Potestate* insignitos, *Postumum* scilicet & *Tetricum*. Horum legimus non *Tribunitias* modo *Potestates*, sed *Consulatus*, sed *Pontificatus* etiam *Maximos*. Et tamen *Consulatus* in Campo Martio petere non poterant Tyranni *Galli*, nec *Collegii Pontificum* suffragia ambire qui ipsi *Romæ* non agnoscebantur, uti nec *Senatus* suffragia *Senatus hostes Populique Romani*. Sed cum honores illi *Imperio* annexi essent, inde factum existimo ut *Jus* ad illos habere crederetur qui jam factus esset *Imperator*, nec à *Juris* etiam *usu* abstineret cum spes nulla esset *suffragiorum legitimorum*. His tamen calculus à *die Senatusconsulti*, quod nullum erat, procedere non potuit, sed ab *Imperii Natali*. Nisi fortasse in *Provinciis*

n *Vit. Albin. c.* 7.

suos

ſuos habuerint *Tyranni Senatus*, ſua *Pontificum collegia*, ſuam etiam *Plebem* quæ *Plebis Romanæ* nomen, & officia ſuppleverit. Sed *Romæ* nomen, ante *CP.* in alia Civitate nuſquam legimus. Et vetabant *Religiones* receptæ ne facile moveri poſſent *locorum* auſpicia. Habet in hanc ſententiam luculentiſſimam *Camilli* Orationem [o] *Livius* cum *Veios* cogitarent *Romani*. Et hæc ipſa cauſa *Pompeianis* obſtabat quo minus etiam ipſi ſibi *Conſules* crearent *Theſſalonicæ*, cum *Senatorum* partem *majorem* apud ſe haberent, & *locum* etiam *ſacrum* auſpiciis capiendis deſignaverant. Ab hoc itaque *Imperii Natali Tribunitias* ſuas *Poteſtates* & *Quinquennia* ſua & *Decennia* ſummi, à ſe tamen orti, *Auguſti* numerabant.

XXVIII.
Cum adoptatis *Cæſaribus* decernerentur *Trib. Poteſtates*, vivo quidem *ſummo Auguſto* ab *Auguſti Natali* proceſſiſſe videntur *Cæſarum* illorum & *Tribunitiæ Poteſtates* & *Quinquennia*; mortuo autem, ab *Adoptionis* ſuæ *Natali*, cum ipſi eſſent *Auguſti*. Cum *Auguſtorum* ſaltem *Minorum* propriæ eſſent *Trib. Poteſtates*; tunc non à *Cæſareæ* dignitatis *Natali*, ſed *Auguſteæ* proceſſerunt. Sub *Conſtantino Decennalibus* facti *Communes* proinde videntur cum *Auguſto* habuiſſe *Natales*. In filiis *nativis* à *Parentum Natalibus* numeratæ *Pot. Tribunitiæ*.

Alia erat ratio *Cæſarum* illorum, ſeu etiam *Auguſtorum*, qui Imperium à *deceſſore* traditum acceperant. Ut *hæredem* ſuum deſignaret nec *privatum* duntaxat, verumetiam *Imperii* publicum, hoc *ſummi Auguſti* Jus fuit, ut oſtendimus, etiam ſine ullo *Senatuſconſulto*. *Cæſarum* enim nomen *Auguſtorum filiis* erat hæreditarium. *Auguſtus* tamen *Senatuſconſulto* appellatus eſt ipſe *Octavianus*, quo etiam exemplo poſteros *Auguſtos* appellatos fuiſſe veriſimillimum eſt. Scio tamen *exercitus* ut *Imperatoris*, ita & *Auguſti* nomen Principibus à ſe creatis deferre ſolitos. *Senatus* ta-

[o] Liv. *L. V. c.* 51.

men hoc *Jus* fuiſſe agnoverunt in cauſa *Taciti*. *Principem* qui *Auguſti* nomen detulerit vix, puto, apud veteres legimus. Scio tamen hoc apud *juniores* fuiſſe frequentiſſimum ut *Auguſtos ſummi Auguſti* vel *ipſi* appellarint, vel honorem illum ab aliis delatum ſaltem *confirmarint*, ſaltem Jus illud *confirmandi* ſibi vendicarint. Sic *Conſtantinum Auguſtum* tam à *Patre* quam ab *exercitu* dictum noluit tamen agnoſcere *Galerius*; nec *Julianum* ab *Exercitu Auguſtum* appellatum ſimiliter voluit agnoſcere *Conſtantius*. *Jus* certe *Senatus* ſupponit *Vitellius* cum [p] *edicto* in *Urbem præmiſſo, vocabulum Auguſti differret, Cæſaris non reciperet*. Facile inde colligimus utrumque titulum ei fuiſſe decretum, non ab eo, qui Imperatorem illum fecerat, *exercitu*, ſed à *Senatu*. Sed duo hic *tempora* diſtinguenda ſunt, *prius* aliud quo *Cæſaribus Imperio maturis* decerni ſolebat *Tribunitia Poteſtas*, aliud *poſterius* quo dari illa non aliis ſolebat quam *minoribus* ad minimum *Auguſtis*. Priori illo intervallo, idem ſolebat, ni fallor, *Tribunitiæ Poteſtatis* eſſe *Natalis* atque *Adoptionis*. Sic tamen ut *Adoptionis* etiam *Natalis* in *Natalem* Auguſti *Imperantis* fuerit transferendus. Ita *Auguſto* ſummo Imperante, in eundem *Auguſti ſummi* Natalem concurrerint *Tribunitiæ* utriuſque *Poteſtates*, & *Quinquennia* adeo utriuſque & *Decennia*. *Mortuo* deinde *Auguſto*, cum ſucceſſiſſet in ejus locum *Cæſar*, jam nulla erant ſuperioris *Auguſti Quinquennalia* aut *Decennalia*. Ita factum ut à *ſuæ* deinde *Adoptionis Natali* procederent deinde *Tribunitiæ* ejuſdem *Poteſtates*, & *Quinquennalia* atque *Decennalia*. Ita cœperint *Tiberii Tribunitiæ Poteſtates*, & *Quinquennia* ejus & *Decennia* iiſdem *an-*

p Tacit. *Hiſt.* II. 62.

*nis*

*nis* & eodem *Augusti Natali Aug.* XIX. quo cœpisse provavimus *Augusti* & *Tribunitias Potestates*, & decreta *Tribunitiarum Potestatum Decennia.* Nempe post *Adoptionem.* Adoptatus est *Tiberius* anno U. C. 757. *Jun.* XXVII. Et paulo antea *Tribunitiam Potestatem* acceperat in *Decennium.* Decennium tamen illud nec à *Jun.* XXVII. numeratum sed ab eodem *Augusti Natali Aug.* XIX. Nec ab eo etiam *anno*, sed à *superiori* 756. quo de eodem *Decennio* decretum acceperat ipse *Augustus.* Post mortem *Augusti* ab annis iisdem similiter numerata ejus *Decennalia.* Sed à *Natali* forte suo *Adoptionis.* Nisi forte *mors Augusti* in *Augusti Natalem* incurrens, & *Tiberii* adeo *Monarchia* ab eodem cœpta occasio esse potuerit ut idem *Natalis* per tot annos observatus etiamnum perseveraverit. Cum vero *minorum Augustorum* propriæ essent *Tribunitiæ Potestates*, jam *Cæsarum* nulla erant solennia *Quinquennalia* aut *Decennalia.* Sed ab eo demum tempore cœperunt quo *Augusti* facti sunt, & cum *primarii Augusti* Decenniis concurrebant, ab iisdem proinde, ut videtur, etiam *Natalibus* numeranda. Rediere sub *Constantino Cæsarum Quinquennalia.* Sed cum *Decennalibus Cæsares* suos omnes fecerit, & *Quinquennalia* eorum omnia cum suis *Decennalibus* concurrerint oportet, & *Natales* cum suo itidem *Natali.* Inde licet de *antiquioribus* etiam conjecturam facere, illos etiam curam adhibuisse ne *plura* essent quam necesse esset solennia *Natalitia*, aut per *annorum* vices quasdam aut periodos reditura, seu *Quinquennalia* illa fuissent, seu *Decennalia.* Cum vero filii *Naturales* essent, tunc locum nullum habere potuit *Natalis Adoptionis*; solusque adeo locum habuit *Natalis Imperii.* Processerunt tamen etiam

in illis, ni fallor, *Quinquennia* & *Decennia* ab illius *Imperii Natali* quod *superstitibus* etiamnum *Parentibus* susceperant, non autem à *Natali Successionis* & *Monarchiæ.* Imperium autem tunc accipere censebantur, cum, rogante Patre, acciperent *Potestatem Tribunitiam.* Sed *Parentibus* illos *filiisque* verisimillimum est *communes* fuisse *Natales*, etiam cum *Quinquennalia* communia non essent, nec *Decennalia.* Sed horum omnium memoriam obscuram esse fateor, cum nec *Quinquennalium* ulla sit ante *Pium* mentio aut *Decennnalium.* Si tamen ulla fuerint, ab his *Natalibus* numerata arbitror qui soli erant in eorum temporum *Kalendariis Historiisque* celebres. *Genituræ* enim *Natales* non video ut quicquam facere possent ad horum Imperiorum *exordia.* Alioqui illos *celebratos* facile agnosco. Nec sane *diem* conditi *Testamenti*, qui tamen *vere Natalis* erat *Adoptionis*, sed *diem* potius accepti de Testamento *nuncii*, qui uno eodemque die à *Selinunte Antiochiam* venire non potuit, pro *Natali Adoptionis* celebrari noster jussit *Hadrianus.* Sic illi nimirum *Natales* suos pro arbitrio suo accommodabant ad *usus publicos.*

XXIX. Inde *Tribunitias* suas *Potestates* ab *Adoptionis Natali* numeravit etiam *Hadrianus.*

Et quidem, ut ad *Hadrianum* redeamus, jam tandem facile intelligimus quid fuerit per *Adoptionem* consecutus. Inde erat *filius Augusti*, non *Trajani* tantummodo, non scilicet in *Comitiis Curiatis* apud *Pontifices*, sed in *Comitiis Imperii* quæ *Imperatori* semper aderant, *adoptatus.* Inde *hæres Imperii*, non scilicet in gentem *Ulpiam* admissus, sed in *familiam* potius *Imperatoriam.* Inde *Cæsar*, cum esset cognomen illud à primo usque *Cæsare Julio*, ut vidimus, familiæ *Imperatoriæ hæreditarium*, & quidem ex *Senatus-*

*natuſconſulto.* Etiam *Imperator*, qua ſcilicet non *ſummum Imperium*, ſed *ſummo* tamen *proximum*, & *privatorum* Imperiis *Auguſtius* vox illa denotabat, idque ex eodem illo *Senatuſconſulto.* Et quidem illa omnia *ſolus* dare potuit Pater *Auguſtus. Tribunitiam Poteſtatem* dare non potuit ſine *Senatuſconſulto.* Non potuit *Teſtamento*, ne quidem in *Comitiis Imperii.* Atqui *Romæ* non aderat, cum *Teſtamentum* conderet, *Trajanus*, ut ad *Senatum* referre poſſet de *Poteſtate Hadriani Tribunitia.* Ne quidem *literas* ad *Senatum* mittere potuit quibus *Senatuſconſultum* impetraret in *extremis* jam *mortiſque* confinio *Trajanus.* Et tamen alibi oſtendimus [q] ab anno *Trajani* penultimo, *Adoptioniſque*, quem dixit noſter, die, *Tribunitias* ſuas *Poteſtates* numeraſſe *Hadrianum*, atque inde *Decennalia* ſua & *Vicennalia*, ſiqua tamen unquam celebraverit, fuiſſe numeranda. Nec ſane id abſurde nos feciſſe quæ modo diximus, ni fallimur, evincunt. *Tribunitias Poteſtates* non à *Senatuſconſulti*, quo ſunt conceſſæ, *die* aut *anno*, ſed ab eo potius, quo *Jus* ad eas conſecuti eſſent, numeratas oſtendimus. Illud autem ab *Adoptione* demum conſecutus eſt *Imperii hæres* ubi *ætatem* attigiſſet *Tribunitiam* & *Imperio* maturam. Spectabat enim certe ad *hæreditatem* Imperii *Succeſſionemque* hæc ſaltem *Poteſtas Tribunitia.* *M.* ſane *Agrippam ſocium illius Poteſtatis, quo deſuncto, Tiberium Neronem delegit Auguſtus, ne Succeſſor in incerto foret*, inquit [r] *Tacitus.* Et quidem hoc collatæ *Tribunitiæ Poteſtatis* argumento, & [ſ] *annuli* dono, ut poſtea *Trajanus*, ſic etiam ſignificavit *Auguſtus* deſignatum

*q Prolegom. ad Append* Cypr. §.43, *&c.* *r* Tacit. *Ann.* III. 56. *ſ* Dio. L. *LIII. fin.*

à ſe *Imperii Succeſſorem* non *Marcellum*, ut credebatur, ſed potius *Agrippam.* Itaque *hærede* per *Adoptionem* conſtituto, ratio deinde nulla erat cur non in illa *hæreditatis Jura* mitteretur quæ vivo Patre hæredi coveniebant cum primum *annos* hæreditati legitimos attigiſſet. Non erat certe ni nova aliqua *hæredis* in *Patrem* mala officia obſtarent, qualia erant in *Domitiano.* Vidimus equidem *Tribunitia Poteſtate* inſignitos *Agrippam* & *Tiberium* nonnullis ante *Adoptionem* annis. Sed propter *æmulos*, uti jam obſervavimus. *Filios* à *Patre* probatos ſeu *veri* illi, ſeu *Adoptitii* fuiſſent, ſi tamen *filii* fuiſſent *publici* & *familiæ Imperatoriæ*, vix obſervavimus qui ultra *ætatem Tribunitiam* illam *Poteſtatem* expectarint, vel *proximam* ſaltem *Senatuſconſulti* rogandi commodam *occaſionem.* Proximus. *Tiberio Cæſar* qui *ætate* fuerit *Tribunitia*, erat *Titus.* Is autem aliquantiſper erat *Princeps Juventutis.* Dum ſcilicet eſſet *tricenario* minor, & Bellum *Judaicum* quod in manibus erat abſolveret, ſuſpicionemque affectati Imperii, qua laboravit immerito,purgaret. Reverſus poſtea primo quoque tempore *Tribunitia Poteſtate* ornatus eſt. Quod tamen *ante reditum* commode fieri non potuit, potuit autem ſatis commode *ad reditum* uſque differri. *Druſus* certe *Tiberii* filius cum *Tribunitia Poteſtate* inſigniretur, expeditiorem fuiſſe teſtatur [t] *Tacitus*, ut *tanto honore accepto adiret Urbis Deos, ingrederetur Senatum, auſpicia ſaltem gentile apud ſolum inciperet.* Hæc cum non feciſſet, *ſuperbiæ* accuſatus eſt atque *arrogantiæ*, nullum videlicet *Bellum* in manibus habens quod poſſet obtendere quo minus faceret. Inde

[t] Tacit. *Ann. III. c.* 59.

intel-

intelligimus ad *Senatusconsultum* de *Tribunitia Potestate* utilem fuisse candidati Principis in *Urbe præsentiam.* Proximus Imperii hæres *ætate Tribunitia* adoptatus est ipse *Trajanus*, de quo ita [u] Plinius: *Simul filius, simul Cæsar, mox Imperator, & Consors Tribunitiæ Potestatis, & omnia pariter, & statim factus es quæ proxime Parens verus tantum in alterum filium contulit.* Hic sane *Adoptionem* comitabatur *Tribunitia Potestas.* Nec malum tamen *omen* Imperio metuebatur à congestis uno eodemque tempore tot honoribus. Et quidem hoc potissimum proximi *decessoris* exemplo *adoptatus* noster videtur *Hadrianus*, *Tribunitia* etiam *ætate* ut fuerat ipse *Trajanus.* Inde factum ut eundem habuerit *Adoptionis Natalem* & *Tribunitiæ* etiam *Potestatis.*

XXX. Cur illas *retrorsum* numerarit *Hadrianus.*

*Retrorsum* vero actæ supputationis exemplum modo dedimus in *Tribunitiis Potestatibus Tiberii. Hadriano* vero, si conjecturæ locus, causæ potissimum duæ esse poterant. Prior ab exemplo *Trajani* qui ab anno, qui *Nervæ* obitum præcesserat, *Tribunitias* suas *Potestates* deduxerat. Et sane nescio quod similis cum *Trajano* fortunæ *omen* in Imperio captare potuerit Princeps alioqui superstitiosissimus, si *similia* Imperii haberet *auspicia*, & cum *Trajano* ipso communia. Posterior exinde quod novæ *familiæ* Imperium a gentis *Flaviæ* fine arcessendum duxerit. Et quidem ita ut *Decennia Tribunitiæ Potestatis* in *Ludis* edendis observanda *familiæ* potius essent, quam singulorum Familiæ hominum. Sic enim ab anno Æræ nostræ XCVI°. quo periit *Domitianus*, justa sunt *Decennia* ad annum

u Plin. *Paneg.* c. 8.

ejusdem Æræ CXVI$^{um}$. unde *Tribunitias* suas *Potestates* numerasse diximus *Hadrianum*. Fueritque fortasse nova illa supputandi ratio in antecedentia causa cur *Triumphum Trajano* debitum *Senatus* obtulerit *Hadriano*. Quasi nimirum ejus *auspiciis* rem gestam credidisset, cujus *Tribunitia Potestate* prima *finis* Bello fuisset impositus. Hoc enim apud veterem etiam Remp. in more fuit ut is tantum de Bello profligato *triumpharet* qui Bello *finem* imposuisset, non autem is qui maximas ex eo *victorias* reportaverat. Eamque causam majori *Africano* fuisse constat cur *Pacem* fecerit cum *Carthaginiensibus*, nec *Urbem* ipsam, ut decreverat, *exciderit*, quod à *COSS.* metueret ne *Africam Provinciam* sortirentur, & meriti se *triumphi victoriæque* gloria spoliarent. Sed quæcunque demum illæ fuerint *rationes*, non tamen diu illud videtur placuisse *consilium*. *Incertos* enim *Hadriani* annos fecit tam varia numerandi ratio à quo fuissent arcessendi supputationis exordio. Inde tam rari occurrunt in *Inscriptionibus Hadriani* Tribunitiarum Potestatum *numeri*. Aliter deinde *Pius* sub quo & illud commode evenit, ut primum ejus *decennium* in *Urbis* annum incurreret *nongentesimum*, pro ea, quæ tunc recepta est, Æra *Varroniana*. Fecit illa fortasse ratio ut *Decennalia* inde celebrarit, utque à *Tribunitia* potius *Potestate*, quam *Monarchia*, ortum deinde *Decennalium* duxerit.

XXXI. Conclusio.

Sed satis, Academici, conjecturarum. Et fortasse plusquam satis. Decreveram & alia, hoc in loco, de honoribus Principum *Cæsareis*; tum deinde & alia, cum de *Successione Hadriani* acturus essem, de honoribus

noribus etiam *Auguſteis*, veſtris profecto ſtudiis in *Hiſtoria* ſaltem *Auguſta*, utiliſſima. Utque ſemper feci hactenus, ad uſus aptata *Chronologicos*. Sed alia jam ſtudia à nobis excolenda ſunt, & veſtram patientiam jam hactenus ſatis fatigavimus.

---

*FINIS.*

---

# APPENDIX.

## *Ad Præl.* VIII. §. X.

### *PRÆFATIO.*

*Unde hæc Fragmenta.* §. I. *E Veterum* Diurnis *Publicis conflati erant* Fasti *eorundem publici, seu* Annales. §. *II.* *Nempe è* Diurnis Populi *&* Senatus. *Quibus postea additi Commentarii* Principum *itidem* Diurni. §. *III.* *Fastorum* Alba, *&* *Libri* lintei. Sacri *nimirum.* §. *IV.* Alba *illa* Exemplaria *erant, Libri autem* lintei Originales Templis *mandari soliti.* §. *V.* *Etiam* Alba *illa* Sacra *erant, ante* Ciceronis *Adolescentiam, sublata.* §. *VI.* *Erant, apud* Romanos, *etiam ante* Pontifices Maximos, *Libri istiusmodi* Historici Sacri. §. *VII.* *Ita cautum est à* Veteribus *accuratissime ne* priscæ *suæ* Historiæ *fides vacillaret.* §. *VIII.* *Sic etiam Sacri* Canonis utriusque *fides à publica* Archivorum Sacerdotumque *cura nobis commendata est.* §. *IX.* *Incisa Tabulis* lapideis *hæc Fragmenta habemus. Id quoque, pro more Sæculi, satis congrue.* § *X.* *Actorum potius* Urbanorum *hæc Fragmenta fuisse videntur, quam Librorum* linteorum. §. *XI.*

MEmini, Lector, illo in loco, Fragmentorum nonnullorum Librorum *Linteorum* veterum quorum me participem fecerat Cl. *Beverlandius.* Ea jam, quia ad Historiæ *Romanæ* fontes spectant, tecum communicare decrevi. Ea tunc omnia *inedita* putabam. Postea partem eorum *priorem* à *Stephano Vinando Pighio* ad annum *Urbis*, pro Epocha (quam sequitur ipse) *Capitolina*, DLXXXV^m^. *Varroniana* DLXXXVI^m^. editam reperi. Accepit à *Jacobo Susio Pighius* in *Ludovici Vivis* schedis repertam ab ipso *Susio.* A *Pighio* deinde mutuatus est *Thomas* [a] *Reynesius* Vir longe Maximus in addititiis ad *Gruterum* Inscriptionibus. Editionem illam primariam *Pighii* sequor à *Reynesio* descriptam, quod *formam* ipsam servarit Tabulæ Marmoreæ à *Vossii* descriptore, quicunque demum is fuerit, neglectam, quod factum tamen non oportuit. Contuli autem cum *Vossii* Apographo, siqua fortasse melioris lectionis vestigia suggesserit Codex *Petavii* unde

I. Unde hæc Fragmenta.

[a] Reynes. *Syntag. Inscript. Clas. IV.* 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8.

sua

ſua deſcripſit ipſe *Voſſius*. Potuit enim, qui plura ſervavit horum Marmorum fragmenta, quam conſtat vidiſſe (ſi tamen vidit) *Vivem*, è Marmore ipſo deſcripſiſſe *Paulus Petavius*.

II. E veterum *Diurnis* publicis conflati erant *Faſti* eorundem publici, ſeu *Annales*.

Erat nimirum apud Veteres in more ut res geſtas *inſigniores* omnes *Scriptis* committerent. Imo *inſignium hominum* res etiam *leviores*. *Abashueri Hiſtorias* & *Annales* memorant literæ etiam *Sacræ*; *Alexandri* Ephemeridas in teſtimonium adducunt *Plutarchus* & *Ælianus* quibus conſignatum fuerit quid quoque *morbi* ejus *die* contigerit. *Auguſti ſermones graviores cum Livia ſua habitos non niſi in ſcriptis & in libello* habitos teſtatur [b] *Suetonius*. Tantum aberat ut *conciones*, ſeu apud *Senatum*, ſeu ad *Populum* aut *milites oratione alia quam meditata & compoſita* habuerit. Quid dico *Auguſtum* ipſum? Etiam [c] *filiam* ille *nepteſque ita inſtituit ut vetaret loqui aut agere quidquam, niſi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur*. [d] *Pallas nihil unquam domi niſi nutu aut manu ſignificavit, vel ſi plura demonſtranda eſſent ſcripto uſus*, teſte *Tacito*. Et *nugas* adeo *gladiatorias* complectebantur *Commodi* Ephemerides ab ejus vitæ Auctore memoratæ. Et *nugas* ſimiles *domeſticas* affines illis Ephemerides *Trimalcionis Petroniani* in Fragmento *Traguriano*. Nec aliunde *levicula* illa videtur habuiſſe *Junius Cordus* toties à noſtræ Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus eo nomine perſtrictus. *Moris* enim *fuit unumquemque domeſticam rationem ſibi totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcribere*, ut nos docet *Aſconius* [e] *Pedianus*. *Acta* illa, ſeu *Diurna* Scriptoribus *Latinis*, *Græcis* autem erant *Ephemerides* ab antiquiſſimis temporibus receptæ. Inde collegit *Quintius quo die fuerat in Galliam profectus* obſervante [f] *Cicerone*. Hæc ergo, cum fuerint etiam à *privatis* obſervata, non eſt proinde quod dubitemus quin fuerint in geſtis *publicis* obſervata potiſſimum. Et quidem monumenta illa omnia publica *Actorum* nomine ſæpe intelliguntur, non ea ſola quæ erant *forenſia*. Etiam *matriculæ* Natalium ingenuorum Civium *Acta* appellantur. Sic [g] *Actis publicis* proditum *Tiberii* Natalem cum anni COSS. tradit *Suetonius*. Et ex *Actis* [h] *Antii* editum *Antii* idem probat *Caligulam*. *Romæ* certe omnia *publica* Scriptis Archiviſque commiſſa legimus. Tam *Senatus Acta* quam *Populi*, & quidem *diurna*, memorat [i] *Suetonius*. Etiam *Urbis Acta* [k] *Cicero*. Hæc *Acta*, ſi quidem *privatorum* fuiſſent, colligebant *ſervi* vel *liberti* qui à *memoria* vel à *Commentariis* appellati ſunt, quorum mentio in Inſcriptionibus. *Acta Senatus* curavit *Senator*, *Quæſtor* nimirum, uti [l] ſupra vidimus. *Acta Urbis Populique Quæſtores* etiam, ut videtur, *Urbani*. Ex his *diurnis Actis* poſtea *Faſtos* ſuos *Annaleſque* colligebant *Pontifices Maximi*. Inde *Faſtus* Ἡμερολόγιον in Gloſſa-

b Suet. *Aug. c.* 84. c Suet. *Aug. c.* 64. d Tacit. *Ann. XIII.* 23. e *in* Cicer. *Or. pro* Cornel. f Cicer. *Orat. pro* Quint. *c.* 18. g Suet. *Tib. c.* 5. h Suet. *Cal. c.* 8. i Suet. *Jul. c.* 20. k Cicer. *ad* Attic. *VI. Ep.* 2. l *Præl. XI.* ſect. 5.

rio

rio *Philoxeni*. Voce enim *Fastus* in quarta declinatione usus est *Lucanus* pro more Veterum, ut ad *Festum* observavit in ea voce *Scaliger*. In eo enim discrepabant à *diurnis Fasti*, quod *dierum* singulorum gesta per *annum* universum disposuerint *Fasti*. Ita Festus: *Fastorum libri appellantur, in quibus totius anni fit descriptio. Fasti enim dies fasti sunt*. Sic enim verba posteriora intelligo pro recepta lectione, ut nec ea ableganda putem cum *Scaligero*, nec *festos* dies, seu etiam *fandi* dies cum aliis intelligam. Id potius *Festum* voluisse crediderim, è *diebus fastis* nomen accepisse *Fastorum* libros eo nimirum consilio à [m] *C. Flavio* Scriba editos ut dies *fasti* à *nefastis* internoscerentur. A *Jure* enim *Pontificio* desumta est vocis illius primaria significatio. Itaque ut *dies Juridici* per *anni* universi Kalendarium dispositi *Fastos* illos conflabant *Juridicos*; ita gesta etiam *diurna historica* similiter in *annorum* seriem redacta *Fastos* conficiebant *Historicos*, qui fuerint proinde jure merito etiam *Annales* appellandi. Sic enim recte cohærebunt *Festi* verba posteriora cum prioribus, eorumque reddent, pro *Festi* mente, *rationem*.

III.
Nempe è *Diurnis Populi* & *Senatus*. Quibus postea additi Commentarii *Principum* itidem *Diurni*.

Spectabantque etiam ad *Pontificis Maximi* munus *Fasti* illi *Historici* pariter ac *Juridici*. *Erat enim Historia nihil aliud nisi Annalium confectio. Cujus rei memoriæque publicæ retinendæ causa ab initio rerum Romanarum ad P. Mucium Pontificem Maximum res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, efferebatque in album, & proponebat tabulam domi, potestas ut esset Populo cognoscendi, ii qui etiam nunc Annales Maximi nominantur*. Verba dedimus ipsa [n] *Ciceronis*. Nempe è *diurnis*, uti diximus, *Fastos* suos *annuos*, seu *Annales*, collegit *Pontifex Maximus*. Sic tamen ut *diurna* non omnia in *Annales* suos redegerit. *Leviora* enim omnia, quæ tamen digna essent monumentis, prætermisit è *diurnis* ipsis addiscenda. Hoc nos docet [o] *Tacitus*, ex *dignitate Populi Romani repertum esse, res illustres Annalibus, talia diurnis Urbis Actis mandare*. Loquitur eo loco *Tacitus* de *ædificiis*. Nomine autem *diurnorum* Urbis Acta utraque complectitur, tam *Senatus*, quam *Populi Romani* utraque *diurnorum* forma scriptis mandata. *Commentarios Senatus* appellat [p] *Tacitus*. Et *Commentariorum* nomine apud eundem [q] veniunt *Acta* etiam *forensia*, quæ tamen *diurna* fuisse constat ex *Actorum* omnium, quæ hodieque extant monumentis. Inde *Commentarii diurni* apud [r] *Suetonium*, loco superius adducto. Et *diurna Senatus* Acta iidem ipsi *Commentarii* dicuntur à [s] *Suetonio*. *Actorum* etiam nomine atque *Epistolarum* eosdem *Commentarios* alibi complexus est ipse [t] *Tacitus*. *Epistolæ* illæ *Principum* erant ad Senatum missæ quæ à Senatu probatæ

m Liv. L. X. c. 46. Cicer. *ad Attic. L. VI. Ep.* 1. n Cicer. *de Orat. L. II. c.* 12. o Tacit. *Ann. XIII.* 31. p Tacit. *Ann. XV.* 74. q Tacit. *Ann. VI.* 47. r Suet. *Aug.* c. 64. s Suet. *Jul. c.* 20. t Tacit. *Dialog. de Orat. c.* 37.

in *Senatuſconſulta* migrabant. Acceſſere poſtea ad *Urbis diurna* illa ſub Imperatoribus, *Commentarii* (quos vocat [u] *Tacitus*) *Principales*. Eam enim vocem à voce *Principis* formarunt juniores *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptores. Imo ipſe *Tacitus*. Ita *Principalis paratus*, & *Principalis fortuna*. Hiſt. II. 59. 81. *Principale Matrimonium*. Hiſt. I. 22. *Principale ſcortum* ib. c. 13. Et *Principalis juſſio* in *Pandectis*. Erant itaque etiam hi, pro *Commentariorum* forma, *Diurni*, per *dies* nempe diſtributi, partemque præcipuam in *Hiſtoria Auguſta* fecerunt.

IV. Faſtorum *Alba*, & Libri *lintei*, *Sacri* nimirum.

*Tabulas* porro *Faſtorum* memorat tam *Cicero*, cujus verba jam audivimus, quam etiam [x] *Macrobius*. Sed vero *Tabulas* illas longe alias à *Tabulis Actorum Urbanorum*. *Tabulis* nimirum *cereis* Acta Publica deſcripſerant Scribæ publici. Inde *Annales* ſuos ita excerpſerunt Pontifices, ut non deinde in ſimiles tabulas *cereas*, retulerint, ſed *albatas*. *Alba* enim dixit *Cicero* quæ *Græci* λελευκώματα. Elegantioris nimirum Scripturæ tabulas manſuriſque monumentis magis idoneas. Atramentum enim magis conſpicuum fecere tabulæ antea *dealbatæ*. Has vero *tabulas*, *Pontificum* juſſu, *Scribæ* fecere publici; *Sacris* nimirum uſibus addicti, cum *tabulis* aliis *pugillaribus* excerpta ſua mandaviſſent ipſi *Pontifices*. *Scribarum* enim operam hic fuiſſe teſtis eſt *Macrobius*. Erant quidem *alba* illa nonnunquam ex materia etiam *lapidea*, quæ tamem colorem opere *albario* mutaverat. Inde τάφοι κεκονιαμένοι *S. Matth.* 23. 27. Et τοῖχε κεκονιαμένε Act. XXIII. 3. in literis etiam *Sacris*. Titulos enim in *cippis* ſepulchralibus *ædificiiſque* iſtiuſmodi λευκώμασι ſolebant fere conſignare Veteres. *Libros* præterea *Faſtorum* habet, ut modo vidimus, *Feſtus*. Poterantque, fateor, *tabellæ* invicem annexæ *liber* haberi, quacunque demum è *materia* conſtarent. Idque recte pro ſermone Veterum. Sed *libri* profecto illi *Pontificum lintei* erant, ſemperque ita ſolent à Veteribus appellari. Ita ſemper [y] *Livius*, ne & alios hac occaſione proferam. Erat nimirum, ut videtur, *linteorum* uſus fortaſſe proprius in *dealbationibus Sacris*. Sic *legio ſacrata* Samnitium [z] *linteata* audiebat. *Sacrata* nimirum loco *linteis pluteiſque* contecto, *Sacrificiiſque è libro vetere linteo* lecto collectis. Sic etiam Inſcriptionem in *thorace linteo* in æde *Jovis Feretrii* ab *Auguſto* viſam memorat idem [a] *Livius*. Eſt quidem, fateor, *Ajax Locrenſis* [b] *Homero* λινοθώρηξ. Deditque [c] *Iphicrates Athenienſibus* ſuis pro loricis æneis *lineas* quo eſſent *Expeditiores*. Sed, cum ſuſpendendæ eſſent in *Templis*, nihil attinebant, *loricæ* illæ num magis fuiſſent an minus *expeditæ*, & receptiſſimam earum, etiam apud antiquiſſimos, *materiam* conſtat fuiſſe *æneam*. *Romanum* autem qui *thorace linteo* uſus fuerit, neminem, ut puto, unquam legimus. Vix itaque alia excogitari poteſt ratio aptior ea quam dixi, de *linteorum* uſu *Sacro*. Sic enim fere *lineis* veſtimentis uſi

u Tacit. *Hiſt.* IV. 40. x Macrob. *Saturn.* L. III. c. 2. y Liv. L. IV. 7. 13. 20. z Liv. L. X. c. 38. a Liv. L. IV. 20. b Hom. *Il.* B. c Cornel. Nep. *vit. Iphicrat.*

ſunt

sunt *Sacerdotes* antiquissimi, *Judæi*, *Ægyptii*. Inde in *aliis* etiam gentibus quæ tamen mores illorum æmulabantur. Certe *Scriptionibus* aptissima erat materia illa *lintea*, præsertim *Sacris*, ratione illa quam dedimus. *Chartis* postea in usum receptis affinis erat. Et *Sacros* illos fuisse *Annales* inde colligimus, quod ab *hominibus* conficerentur omnium *sanctissimis*, *Scribis* nimirum *sacris Pontificibusque Maximis*. Inde etiam quod *Templis* reconderentur. In *æde* enim [d] *Moneta* libros illos *linteos* reperit *Licinius Macer* quos ipse est secutus in suis *Annalibus*. Inde denique, quod postremis etiam *Imperii* temporibus, cum *libri lintei* in aliis usibus in desuetudinem abiissent; adhuc tamen in *Annalibus* hisce *publicis* permanserint, ut nos docet in *Aureliani* vita [e] *Vopiscus*. Complectebantur illi *Principum Ephemeridas*, quales *Gallieni* etiam & *Probi* memorant coævi Historiæ Augustæ Scriptores. Complectebantur, inquam, *Quotidiana*, ejusdem, plane *Diurna*, plane *Commentarios* illos *Taciti Principales*. Et quidem in illis *quotidiana* sua *ipse* scribi præceperat *Auxelianus*. Ipse nimirum, pro illorum temporum more, *Pontifex Maximus*. Ita tandem effectum ut *Diurna* etiam *Principum* complexi fuerint *Sacri* illi Librorum *linteorum Annales*. Libros quidem *linteos* in testimonium advocat *Hygenus*, de *limitibus agrorum*. Sed & ipsos etiam *sacros*, ut erant in re *Rustica* sacra pleraque, *sacri* nimirum agrorum *termini*, *sacra ambarvalia*, *sacræ* denique Fratrum arvalium *Leges* quarum fragmenta conservavit *Gruteras*.

V. *Alba* illa *exemplaria* erant, *Libri* autem *lintei Originales Templis* mandari soliti.

Sed quacunque demum *materia* constarent *tabulæ* illæ in *Pontificis maximi domo* proponi solitæ; aliæ tamen fuisse videntur à *Libris linteis*. *Libros* enim *linteos* non in Pontificis Maximi *domo*, sed in *æde Monetæ* consuluit *Licinius Macer*. Nimirum Libri *lintei Archetypi* erant & *Originales*. *Tabulæ* autem illæ *exemplaria* ab Archetypis illis in usum *Populi* Pontificis Maximi jussu à *Scribis* sacris descripta, ejusdemque fide proculdubio comprobata. Solebant enim *Archetypa* id genus omnia publica *Archivis* recondi, ne violarentur, nec tutior ullus Archivis *locus* quam in *templis*. Sic enim nullam vim obtinebant *Senatusconsulta* antequam fuissent in ædem *Cereris* delata, aut Ærarium *Saturni*, nec *Athenienfium* ψηφίσματα quam etiam ipsa reposita fuissent in Μητρῷον. *Templis* etiam recondi solebant *fæderum* exemplaria Archetypa seu *stilis* illa, seu *laminis* æneis fuissent consignata. E [f] *Jovis Capitolini* templo antiquissima *Romanorum Carthaginensiumque* fœdera descripsit *Polybius*. Idque sæpissime cavent antiquissimæ *fæderum*, quas habemus, formæ ut in *Templis* prostarênt omnium celeberrimis. Ita certe [g] *Smyrnæi* & *Magnesii* in Marmore nostro *Oxoniensi*. Inscribendum enim erat fœdus illud *columnis*, à *Smyrnæis* quidem in Templo *Veneris Stratonici*-

d Liv. L. IV. 7. 20. e Vopisc *Aurelian*. c. 11. f Polyb. L. III. g *Marm*. 2. p. 30. 33. *Edit*. Selden.

dis,

*dis*, & in alia quoque ad *Mœandrum* æde *Dianæ Leucophryenes*; à *Magnesiis* autem ad aram *Bacchi*, & ad *Regum Statuas*, & *Pandis* in fano *Apollinis*, & *Grynei* in *Templo* itidem *Apollinis*. Exempla etiam alibi satis frequentia sunt. Sic etiam *tribus in locis* fœdus cum *Perseo incisum*, testatur apud *Livium* Rex [h] *Eumenes: uno Thebis, altero ad Delum Augustissimo & celeberrimo in templo, tertio Delphis.* Historiarum autem in templis inscriptarum [i] alibi Nos exempla produximus. Et quidem hujusmodi *Sacrarum Inscriptionum*, Auctores [k] *Plutarcho* ἀναγεγραφότες appellantur. Et *Archiva* adeo ipsa *Sacra* ἀναγραφαὶ erant, unde *Historias* suas descripserunt, & *Manetho Ægyptius* & *Menander Ephesius*. Pro more ergo Gentium, & *Sacra* erat (etiam apud *Romanos*) Historia *Publica*, & *Sacris* proinde Libris *linteis* inscribenda, & *Templis* etiam credendi Sanctissimis *Archetypi* Libri & *Originales Historiæ*, & hominum cura sanctissimorum custodiendi, tam *Scribarum*, quam *Pontificum*, imprimis autem *Pontificis Maximi*.

VI. Etiam *Alba* illa *Sacra* erant, ante *Ciceronis* adolescentiam, sublata.

Erant tamen & *tabulæ* illæ in *Pontificis Maximi domo* proponi solitæ ipsæ etiam, pro suo modo, *Sacræ*. Erat enim & *domus* ipsa Pontificis Maximi *publica*, & proinde (ut *Publica* omnia) *Sacra*. Itaque semper *Pontifici Maximo* decerni solebat *domus publica*. Et cum, *Lepida* mortuo, in ejus locum sufficeretur [l] *Augustus*, nec vellet tamen *domum publicam* accipere, suarum ædium *partem* ipse publicam esse jussit. Sic patuit aditus omnibus Historiam illam consulere volentibus, in domum nempe *publicam*. Et *Sacra* nihilominus illa quoque habebantur *exemplaria*, ipsa etiam in domo *Sacra* proposita, & *Pontificis* curæ demandata. Atqui ad *P. Mucium Scævolam* Pontificem Maximum morem illum testatur descendisse *Cicero*, novum inde innuens cœpisse, quo non amplius *tabulæ* illæ in *Pontificis domo* prostabant. Erat quidem *Mucius Scævola*, *Cicerone* adolescente, *Pontifex Maximus*, Orator celeberrimus, & anni Urbis *Varroniani* 659. Consul. Sed illi Prænomen *Quinctus*. Hunc *Publium* appellant *Ciceronis* Codices hodierni. Antiquior itaque fuit, ni fallor, quicunque demum fuerit, *Publius* ille *Mucius*. Is, ni fallor, qui *Licinio Crasso Muciano* in *Pontificatu Maximo* successit. Interfectus est *Licinius* in *Consulatu* suo, Bello *Macedonico* adversus *Aristonicum*. Ita successerat *P. Mucius* ann. U. C. *Varronian*. 623. Convenit certe, quod ex *æde* potius *Monetæ*, quam è *domo Pontificis Maximi*, Libros illos *linteos* repetierit coævus Adoscentiæ *Ciceronis Licinius Macer*. Nec enim ego necessitatem ullam intelligo, cur quæreret in *Templis Archetypa*, quorum tam *certa* haberet in *domo Maximi Pontificis exemplaria*, ipsiusque Pontificis testimonio comprobata. Hos itaque *Annales Pontificum Maximorum* opera concinnatos, *Maximos* etiam ipsos propterea appel-

*h* Liv. *L. XLII. c.* 12. *i Diss. de* Sanchon sect. 11, 12. *k* Plutarch. *de Musica.*
*l* Dio *L. LIV.*

latos

latos ſcribit, uti vidimus, *Cicero*, ſuffragante [m] *Macrobio*. Et publicos etiam vocat *Diomedes*.

VII. Erant apud *Romanos*, etiam ante *Pontifices Maximos*, Libri iſtiuſmodi *Hiſtorici Sacri*.

*Originem* eorum ab ipſo rerum *Romanarum initio* arceſſit *Cicero*. [n] *Vopiſcus* à *Numa* duntaxat, illa, ut videtur, cauſa, quòd à *Numa* cœperint *Pontifices Maximi*. Idque ſane neceſſario verum fuerit oportet, ſi non ab aliis quam *Pontificibus* primorum Annalium monumenta fuerint procurata. Sed aliorum præterea *Magiſtratuum* erant *Archiva*, & *Hiſtorica* monumenta. Ea videtur fuiſſe ratio cur *Maximi Annales* illi & *publici* appellarentur, ut ſcilicet à *cæteris* ita internoſcerentur. E Faſtis *Cenſoriis* Epocham ſuam *Catonianam* collegit [o] *Cato* major, ipſe nempe *Cenſorius*, & *Cenſoriis* adeo præfectus *Archivis*. Libros etiam *Quindecimvirorum* Hiſtoricos, ipſos etiam *Sacros* & *Sacerdotales*, adducit ſæpe in teſtimonium *Cenſorinus*. Et quidem rerum *antiquiorum* memoriam complectebantur *Libri* illi quàm eſſent *Magiſtratus* ipſi quorum curæ fuiſſent demandati. Ab ipſo nimirum uſque *Regifugio* annorum numerum didicit è Faſtis *Cenſoriis* [o] *Cato*, cum tamen multis poſtea annis primi *Cenſores* fuerint inſtituti, anno nimirum à *Regifugio* circiter LXVI°. *Quindecimvirorum Sacris faciundis* recens admodum origo erat, à *Sullæ* nimirum *Dictatura*, annoque Urbis *Varroniano* 673. *Decemviri* eidem muneri præfecti ſunt tam Librorum *Sibyllinorum* conſulendorum, quam *Sacrorum faciundorum*, anno Urbis 384. *Duumviris* idem munus aſſignatum ipſo *Regifugii* anno, primorumque *Conſulum*, Urbis nimirum 245. Prima *Collegii hujus* origo erat ſub *Tarquinio Priſco*, qui etiam ipſe *Duumviros* conſtituit, non quidem *Sacris*, ut poſtea, *faciundis*, ſed cuſtodiendis tantummodo Libris *Sibyllinis*. Facile itaque intelligimus quæ è *Quindecimvirorum* librii *Quindecimvirorum* inſtitutione antiquiora profert *Cenſorinus*, ea à *Decemviris* collecta fuiſſe aut *Duumviris*, quibus poſtea tandem ſucceſſere *Quindecimviri*, in eodem nimirum officio, eorundemque *Archivorum* cuſtodia. Idem etiam de *Cenſoribus* fortaſſe ſentiendum eſt. *Cenſuram* olim agebant, luſtrumque condebant *Conſules*. Itaque *Conſulibus* ſuccedebant in eodem munere *Cenſores*. Inde factum ut ſuffectum prioris anni *Conſulatum* primi Cenſores *Cenſura* ſibi demandata ſuppleverint, id ipſo obſervante [p] *Livio*. Sed vero *Regibus* ipſi ſucceſſere *Conſules*, & *Regium* adeo munus olim fuerat *Cenſura*. Eam certe exercuiſſe *Servium Tullium*, *luſtrumque* condidiſſe, manifeſtum eſt. Itaque qui cætera *Cenſuræ* munia præſtabant tam *Reges* quam *Conſules*; quidni eoſdem & *Annales*, & *Archiva*, curaſſe dicemus? Sic ab ipſo *Urbis initio* memoriam rerum geſtarum complecti poterant hi *Magiſtratuum* poſtea natorum *Libri*. Imo etiam *ante Urbem*, ſiquid tamen ſani habeant *Sylviorum* antiquiſſimæ Succeſſiones. Mores enim plerique *Regum*

m Macrob. *Sat*. III. 2. n Vopiſc. *Tacit*. 1. o Cato *ap*. Dionyſ. Halicarnaſſ. p Liv. L. IV. c. 8.

*Romanorum* à *Regibus* deſcenderant *Albanis*. Sic & *Cenſura* & *Sacrorum faciundorum* cura ab iiſdem *Albanis* manare potuit. Et *Libri* adeo & *Archiva* officiis illis credi ſolita. Nihil ergo vetat quo minus *Quindecimvirorum* officia ipſis etiam *Tarquinii Duumviris* antiquiora eſſe potuerint. Et ſane ita fuiſſe innuit *Virgilius* cum *Æneæ* etiam *Annales* tribuit, illis ad *Didonem* verbis:

*Et vacat Annales noſtrorum audire laborum.*

Ita certe locum interpretatur *Macrobius*: *Pontificem* ([q] inquit) *Ænean vel ex nomine referendorum laborum ejus oſtendit. Pontificibus enim permiſſa eſt poteſtas memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi; & hos Annales appellant equidem Maximos, quaſi à Pontificibus Maximis factos.* Et vero *Virgilium* doctiſſimum fuiſſe ſciunt omnes, & *Hiſtorici* etiam *decori* obſervantiſſimum. Probatque in ipſis illis *Saturnalium* Libris ipſe *Macrobius*. Ita *Annales* habebimus ipſo *Pontificio Maximo* antiquiores. Et alios etiam fortaſſe aliorum, quos dixi, *Magiſtratuum*. Porro *Annales* invicem diſcrepantes ſæpe in teſtimonium advocat *Livius*. Et quidem nullo unquam Auctorum *nomine*. Sed *Scriptorum* illi erant *Annales*, non *Archivorum*, non monumentorum *publicorum*. Opponit fateor, illos [r] *Scriptoribus*, non tamen *ſimpliciter*, ſed duntaxat *antiquiſſimis*. Illis, inquam, qui *Hiſtoriis* ſuis illum titulum non feciſſent *Annalium*. Multos tamen *Scriptores* eo ipſo titulo Libros ſuos inſigniviſſe manifeſtum eſt. Erant certe *Ennii Annales*. Erant etiam [ſ] *Annales Aciliani* à *Claudio Quadrigario* è *Græco* in *Latinum* tranſlati, & à *Livio* ipſo uſurpati. Et *Græcos Latinoſque* Auctores quorum ipſe [t] *Annales* legerat, teſtes alibi idem adducit *Livius*. Idem iterum [v] *plurium* memorat *Annales*, alibi [x] *omnium* prope *Annales*. Et [y] *ſuam* ipſe Hiſtoriam habet pro *Annalibus*. E quibus omnibus intelligimus titulum illum apud *coævos Livio* Scriptores fuiſſe receptiſſimum. Et tamen illos ipſos *Annales* Libris *Magiſtratuum linteis* [z] opponit. *Libros* autem *Magiſtratuum* vel ſolos illos intelligit, vel præcipue, quos in *æde Monetæ* reperit *Licinius Macer*. Alios certe nullos fuiſſe innuit duobus in locis in quibus illos *Annalibus* oppoſuerat. Niſi forte *Magiſtratuum* omnium Libros *linteos* in *æde* illa repererit *Licinius*, *Cenſorum* pariter & *Quindecimvirorum*, ac *Pontificum Maximorum*. Atque ea fuerit fortaſſe ratio cur ſimplici *Magiſtratuum* nomine ſit uſus, nec Magiſtratum ipſum deſignarit cujus illi fuerint Libri *lintei*. Et tamen *Faſtos Commentarioſque Pontificum* memorat, apud illum, diſertis verbis [a] *Canuleius*. Diſtinxit nihilominus his, ut vidimus, locis ab *Annalibus*. Alibi, pro recepto more, hos etiam *Faſtos Annales* appellat. Sic enim L. X.

q Macrob. *Sat. III.* 2. r Liv. *L. VIII. c.* 30. ſ Liv. *L. XXV. c.* 39. t Liv. *L. XXXII. c.* 6. u Liv. *L. XLII. c.* 11. x Liv. *XXII.* 31. y Liv. *L. XLIII. c.* 13. z Liv. *L. IV.* 7. 20. a *ap.* Liv. *L. IV. c.* 3.

[b] *Paginas*,

[b] *Paginas*, inquit, in *Annalibus Magistratuum Fastisque percurrere licet, Consulum Dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortunæ, ullo die Populum Romanum pœnituit.* Paginas nimirum has publicas intelligit *Magistratuum annuorum, Consulum Dictatorumque*, quæ etiam erant ipsæ *Fastorum*, & *Publicæ*; paulo tamen ab his *Pontificum Annalibus* diversas, quod nullæ in his *Magistratuum res gestæ* comparerent, sed nuda *Magistratuum*, qui per *annos* singulos tenuerint, tantummodo *nomina*. In eo etiam diversas à *paginis Fastorum* recentiorum. Singulis enim *annis* suas assignabant *paginas* Fasti recentiores, ut è Plinii constat [c] Panegyrico. Una autem eademque pagina annorum plurium *Magistratus* complectebantur Fasti illi *Liviani*.

VIII. Ita cautum est à *veteribus* accuratissime ne *priscæ* suæ *Historiæ* fides vacillaret.

Ita nimirum *Historiarum* suarum *fidem* muniebant undequaque Veteres, cavebantque ne ulla ex parte vacillaret. Nec enim licuit obscuro cuique conscribillatori fabellas undecunque corrasas pro *Historiis* venditare. Primariis in Rep. viris credi illud solebat officium, quibus ad arcana omnia *consilia*, ad ipsos rerum gestarum *Auctores* liberrimus patebat aditus. Sic nullus erat *Ignorantiæ* prætextus, ni sibi ipsi defuissent. Sed nec ex evanidis rerum *præteritarum memoriis*, incertisve majorum *traditionibus*, arcessenda erant, cur crederentur, Argumenta. Res *sua memoria* gestas, & sibi satis exploratas futuris in ævum monumentis consignabant *coævi* Pontifices Maximi. Viri nimirum & *Stirpis* nobilitate avita clari, cum honorem illum per aliquot Sæcula non alii adipiscerentur quam *Patricii*; & *Officiorum* omnium publicorum participes, ipsi nimirum *Consules, Dictatores*, aliisque omnibus *Magistratibus Curulibus* ornati. Sic enim factum ut nullum esset in Historia Publica *munus* cujus ipsi rudes aut imperiti esse possent, cum non aliis pateret ad *Pontificatum Maximum* aditus quam honorum omnium *Curulium* Candidatis. Res enim certe *militiæ* gerendas calluerint oportet qui ipsi aut *Imperatores* fuerant, aut *Imperio* saltem, si ad *Imperium* designarentur, idonei. Res *domi* etiam gestas ignorare non poterant, qui *Senatui*, qui *Comitiis*, qui *Publicis Consiliis* omnibus, aderant, & qua *auspicato* res gerendæ erant, partem earum maximam *ipsi* faciebant. *Sacra* enim nulla constat esse potuisse quæ ipsos latuerint *Sacrorum Præsides*. Sic *res Historiæ* consignandas illis oportet fuisse exploratissimas. Erat quidem *Stylus* Librorum *Pontificalium*, teste *Cicerone*, paulo durior. Sed *Sæculi* illa, quo *Annales* consignati fuerant, nota erat certissima, quæque adeo ad *fidem* eorum *augendam* potius quàm *elevandam* spectarit. Et præ juniorum *facundia* excultissima sordescebat fortasse *nitor* ille qui primorum Pontificum coævis magno fuerat in pretio. Erat certe *Menenius Agrippa*, diciturque *Livio*, vir suo tempore [d] *facundus*. Et tamen Orationem ejus ad *Plebem* in Secessu de Concordia *pri-*

[b] *c.* 18. [c] Paneg. *c.* 92. [d] Liv. *L. II. c.* 32.

*ſco* fuiſſe & *horrido dicendi modo* idem teſtis eſt *Livius.* Et fœdera *Romanorum* cum *Carthaginienſibus* ipſo *Regifugii* anno *tabulis æneis* in templo *Jovis Capitolini* inſcripta vidit [c] *Polybius*; ſermone tamen ita obſoleto, ut ægre admodum intelligerentur à coævis *Polybii Romanis* linguæ *patriæ* peritiſſimis. Ea tamen ipſa *Polybii* ætas barbara erat præ *Ciceroniana. Priſcam* ſane *barbariem* ſapiunt coæva omnia veterum temporum monumenta à viris tamen conſignata ſui temporis Eloquentiſſimis. Ita ſane *Saliorum* carmina. Ita XII. tabularum Leges *Decemvirales.* Ita columna *Duilii* roſtrata. *Decemvirum* certe, *Appium* ſaltem *Claudium*, ab *eloquentia* celebrant Hiſtorici. Serum enim erat apud *Romanos* ſtudium *eloquentiæ*, illius præſertim pluſquam *Popularis* quæ Sophiſtis *Græcis* & *Rhetoribus* inventa & exculta eſt. Et tamen ipſas illas Majorum *Orationes*, quæ ſuo tempore *facundiſſimæ* habebantur, è ſtudioſorum manibus excuſſit eloquentia *Ciceronis.* Id non modo *Cicero*, ſed res etiam ipſa teſtatur, cum rara admodum poſt *Ciceronem* occurrant veterum Oratorum encomia. Itaque nihil obſtat quin incomptus ille atque inficetus veterum Pontificum *ſermo*, pro ſuo tamen cujuſque Sæculo, fuerit *facundus.* Alia enim monumenta nulla habemus, è quibus judicare liceat, cum his *Pontificum Maximorum Annalibus* ab *Antiquitate* conferenda. Sed cum *Eloquentiæ* ſtudia in laude eſſe cœpiſſent; inde non alios *publicis* hiſce *Annalibus* admotos fuiſſe veriſimile eſt quam *Styli* etiam laude celeberrimos. Is ſane erat *Q. Mutius Scævola* qui ipſum docuit formavitque in *Eloquentiæ* ſtudio *Ciceronem.* Sic itaque & *rerum* pariter, ac *Styli*, peritos conſentaneum eſt illos fuiſſe *Pontifices.* Unum præterea reſtat ut fuerint etiam *veraces.* Id vero ne deeſſet, cavebant Veteres, quam fieri poterat, acuratiſſime. Illos enim huic muneri præficiebant quos noverant à *morum* ſanctimonia commendatiſſimos. Illos, inquam, qui *Diis* ſimillimi eſſent, & *Sacris publicis* digniſſimi, & *famæ* ſuæ exiſtimationiſque ſtudioſiſſimi. Ita cautum ne *dedita* ſcribentium *opera* error aliquis in *Annales publicos* irreperet. Cum porro ſcriptos jam *Annales Templis* reconderent *Archiviſque loci* religione ſanctiſſimis; ita proſpectum ne fide optima concinnati Annales *aliena* tamen *perfidia* corrumperentur. *Athenis* certe cautum ψευδῆ γράμματα εἰς τὸ Μητρῷον μὴ εἰσάγειν, *Ne falſa Scripta in Matris ædem inferrentur*, teſtatur Auctor Argumenti Orationis *de Corona* in Operibus *Demoſthenis.* Terrebat etiam *loci* ſanctitas, & *Numinis* tutela, à corruptionis conſilio omnes non plane profligatos, malam nimirum fidem *Sacrilegio* & *violati Numinis* contemtu cumulaturæ. Acceſſit præterea *cuſtodum* ſanctorum *fides* aditus occaſioneſque corruptoribus difficillimas præbitura, & *Pœnæ* etiam in *Archivorum Publicorum Sacrorumque* violatores, ſi de fraude conſtaret, ſeveriſſimæ. Quod ſi quis *publicos Annales* in privatum uſum, non quidem *perfide*, ſed tamen *negli-*

[c] Polyb. *L. III, n.* 22. 26.

*gentius*,

*gentius*, exſcripſiſſet; ſalvi erant nihilominus *Archetypi*. Ad illos itaque licuit provocare, ad illos privatorum exemplarium errores quoſcunque corrigere. Quid, quæſo, potuit humana cura diligentius?

IX.
Sic etiam Sacri *Canonis utriuſque* fides à publica *Archivorum Sacerdotumque* cura nobis commendata eſt.

Ita nimirum *Sanctimoniæ fideique* opinionem *originibus* ſuis conciliavere *Gentiles*. Nec aliter noſtri *Sacrarum*, ut hoc obiter obſervemus, *Originum* Auctores. Canonis certe *Judaici* certitudinem inde confirmat [f] *Joſephus*, quod *Sacrarum* Scriptionum *publicarumque* curam Ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς προφήταις crediderint *Judæorum* majores. Sic nempe ut conſcribendi poteſtas omnibus conceſſa non ſit. Id enim verbis aſſerit diſertiſſimis, ὥστε μήτε τοῦ ὑπογράφειν αὐτεξουσίου πᾶσιν ὄντος. Mallem ἀναγράφειν. Eſt enim vox illa in *Sacris* Scriptionibus frequentiſſima, tum in hoc ipſo *Joſephi*, tum in aliis ejuſdem locis. Ἀρχιερεῖς illi non alii eſſe poterant quam *ſummi Pontifices*. Nec enim alii erant de quibus poſtea ita *Joſephus*: οἱ γὰρ Ἀρχιερεῖς οἱ παρ' ἡμῖν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαστοὶ παῖδες ἐκ πατρὸς εἰσὶν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς. Nec enim aliorum *Stemmata* complectebantur Sacræ illæ ἀναγραφαί. Nec aliorum *Succeſſionem* in ſuo *Antiquitatum* opere *Joſephus* ad ſua uſque tempora deduxerat. In eo tamen paulo invicem diſcrepabant *Romanorum* Pontificum *Judæorumque* munera. *Romanorum Faſtos* Scriptis mandabant *ipſi Pontifices Maximi*. *Judæorum* Origines literis complectebantur non *Pontifices* ipſi *Maximi*, ſed *probati* tamen à Pontificibus *Prophetæ*. Sic enim ſuorum Traditiones exponit ipſe *Joſephus*. Ita *Pontificum* munus fuerit veros *Prophetas* à *Pſeudoprophetis* per Prophetarum *ſigna* in Lege tradita diſtinguere; & *verorum Prophetarum* probata Scripta in *Archivis* recondere, & à corruptorum fraude illibata conſervare. Sic itaque *Canonis* ſui ſinceritatem aſſerit *Joſephus à Pontificum Maximorum, per duo* (ſic enim numerat) *ab Aarone annorum millia, Succeſſione* neutiquam perturbata. Inde enim conſtabat, dum non deeſſent *Pontifices*, nec defuiſſe *Canonis Sacri* vindices. Sed *Scriptorum Sacrorum* nomine, non *Hiſtorica* duntaxat complectebantur *Judæi*; verumetiam ea omnia quæ *mores* aliquatenus *publicos Religionemve* ſpectarent. Et *Babyloniorum Ægyptiorumque* exempla memorat *Joſephus* quibus plane ſimilis fuerit in *Archivorum* cuſtodia *publicorum* diſciplina. Atqui *Ægyptiis* Libros fuiſſe *Sacros* ſub nomine *Hermetis Triſmegiſti* Politiam & Sacra ſpectantes è [g] *Clemente* diſcimus *Alexandrino*. Et tamen *Hiſtoriam* ex iiſdem Sacris *Archivis* edidit *Manetho* Sacerdos ipſe & *Sacrorum* particeps. Sic etiam *Numæ* & *Servii Tullii* Commentarios advocat [h] *Livius*, non quidem à *Pontificibus* ſcriptos, & tamen eorundem proculdubio fidei commiſſos. Et *faſtos* etiam de *diebus Juridicis* ex eorundem *Pontificum* Sacrariis prodidit *Flavius Scriba*, *ſacer* etiam ipſe, eoque nomine *Fa-*

[f] Joſeph. *cont.* Apion. *L. I. p.* 1036. [g] Cl. Al. *Strom. VI. p.* 633. [h] Numæ *L. I. c.* 31. Servii Tullii *L. I. c.* 60.

*ſtorum* conſcius. Et quidem *Judæis* fuiſſe iſtiuſmodi Libros *Hiſtoriæ* publicos produnt ipſi eorum Libri hodieque *Canonici*. דברי הימים appellant ipſi, ſeu *Verba dierum*, quo nomine & Libros duos ex *Hagiographorum* cenſu habemus hodieque inſignitos. Et tamen alios fuiſſe, recentioreſque ad tempora ſaltem *Darii Hyſtaſpidæs* nos docet Liber [i] *Nehemiæ*. In illis etiam idem oſtendit *Nehemias* locum habuiſſe *Sacerdotum Levitarumque* Succeſſiones. Addit Eſdras ſpem fuiſſe, cùm *obſcura* illa eſſet *ſucceſſio*, fore aliquando [k] ſacerdotem Oraculo *Urim* & *Thummim* inſtructum qui veram eorum ſtirpem edoceret. Inde conſtat, qua deerant *Humana* Cognitionis media, expectationem illis fuiſſe mediorum *Divinorum* atque *Supernaturalium*; eumque fuiſſe *Prophetiæ* gradum quo hæc ſaltem conſcripta eſſent *Hagiographa*. Non ſcilicet ut *verba* ipſa *Divinus Spiritus* dictarit, ſed *Humanarum* facultatum mediorumque *Humanorum* defectus *ſuppleverit*. Ne ſcilicet in *errores* illos inciderent horum Librorum Scriptores quibus fuiſſent, pro *facultatum Mediorumque* incertitudine, alioqui *humanitus* obnoxii. Sequitur præterea *Judicium* illud *Summi Sacerdotis* de Scriptis *Propheticis*, etiam ipſum *Propheticum*, & *humano* majus. Sic duplex fuerit, in *Libris* ad *Canonem* Sacrum & *Archiva* admittendis, *Prophetia*. Alia *Prophetæ* Scriptoris quæ obſtitit ne quid *humani* pateretur in Libris ipſis ſcripto concipiendis: Alia *Pontificis* per *Urim* & *Thummim* de ſcriptis ipſis judicantis num *Humano* Ingenio, an potius *Divino* Spiritui, eſſent aſſignanda. Ita quoad *Nos*, non à *Prophetæ* ipſius *Hiſtoria* aut *Signis* judicandum, an *Liber* ejus in *Canonem* admittendus ſit, ſed à *Pontificis* Prophetæ *coævi* de Propheta *Judicio*, etiam *Prophetico*. Poteratque *Pontifex* illum pro *Propheta* agnoſcere, & *Scripta* ejus in *Canonem* admittere, cujus nulla unquam fuerant *Prophetæ Signa*; cujus ne *nomen* quidem, quis fuerit, exploratum haberet. Ea ſane cauſa erat *Scriptorum Anonymorum*, de quibus ſine alio, quod hic aſſignavimus, *Prophetiæ* dono, pronunciari non poterat, fuerintne *Prophetæ*. Sic etiam ſiqua fuerint in *Moſis* Libris à *junioribus* Moſe *Pontificibus* interpolata, dum vigeret Oraculum *Urim*, ea non alio in loco habenda erant quam ſi ab ipſo *Moſe* ad poſteros emanaſſent. Et quidem hæc ipſa ratio erat cur, poſt *Artaxerxem*, *Hiſtoriæ Judæorum* nullæ, aut *Prophetiæ*, in *Canonem* admiſſæ ſunt. Διὰ τὸ μὴ γενέσθαι (inquit [l] *Joſephus*) τὴν τῶν Προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. *Prophetarum* διαδοχήν negare non potuit *Joſephus*, qui ipſe multas, poſt *Artaxerxem*, Prophetias agnovit. Sed ἀκριβὴς illa διαδοχὴ de *Prophetiis* per donum *Urim* judicandis, ni fallor, intelligenda eſt. In eam nempe ſententiam, quod nulli deinde *Prophetæ* in Sacrum *Canonem* admiſſi eſſent, propterea quòd, deficiente Oraculo *Urim*, deficere una neceſſe erat *Prophetarum* infallibilem *Judicem*. Defecit illud Oraculum, ſi [m] *Joſepho* fides, ducentis antequam ipſe ſcriberet annis, propter Legis violationem aliquam, quæ qualis fuerit, ſe pollicetur alibi dicturum

i Nehem. *XII.* 22. k *Eſdr.* II. 63. l Joſeph. *ib.* m Joſeph. *Ant. III. c.* 9. *p.* 90.

oppor-

opportunius. Id ſi verum eſt, Templi fortaſſe violationi, ſub *Antiocho Epiphane*, eſſet aſſignandum. Sed fidem hujus promiſſi nullibi liberavit, ſi recte memini, *Joſephus*. Itaque antiquioris Auctoris verba illa fuiſſe ſuſpicor, qui à temporibus *Artaxerxis Longimani*, aut forte antiquioribus, *ducentos* illos *annos* numerarit. Forte *Ariſtobuli Peripatetici* qui *Græce* verſas Scripturas mox Commentariis ſuis illuſtravit. Certe Oraculum *Urim* ſub *ſecundo Templo* prorſus non agnoſcunt Rabbini. *Joſephus* ultimum *Canonis* Librum illum eſſe credidit quæ *Eſtheræ* Hiſtoriam complectitur. Erat enim illa, ſi ipſi fides, illius *Artaxerxis* uxor, quem ille ultimis ſui Canonis Scriptis coævum fecerat. Defectum, ni fallor, Oraculi *Urim* ſub *Templo ſecundo* collegere veteres, è loco quem dixi *Eſr.* II. 63. Id ſi verum, non longe aberit ab ultimis *Hagiographorum* Libris. Et in eo diſcrepabant à reliquis *Prophetis Hagiographi*, quod de *Prophetis ultimis*, non, ut antea, *Spiritu* etiam ipſe *Prophetico*, ſed *Humano*, & ſuo, judicarit coævus *Pontifex Maximus*. Niſi fortaſſe *Humanum* quoque *Pontificis* ingenium à *Deo*, etiam *ſive* Oraculo *Urim*, ita *adjutum* crediderint, propter ipſum *Pontificatus* officium, *Prophetiæ*, ut antea *Urim*, candidati, ut nihil tamen, etiam in *Humanis Judiciis*, pateretur *Humani*. Sic *Caiapham* certe, propter *Pontificatum*, *Prophetaſſe* obſervavit Evangeliſta, S. *Joan.* XI. 51. Sed *Hiſtoriarum* cura erat præcipue penes *Pontifices*. Et cum *verba dierum Judææ* appellantur *Hiſtoriæ*, ſimiles plane fuiſſe innuuntur *Romanorum Faſtis* & *Annalibus*, ipſis ſimiliter è *Diurnis Ephemeridibuſve* conflatis. Nec aliter ſe habuit in *Canone Chriſtiano*. Erant enim, etiam *Chriſtianis*, ſuæ quoque *Origines*, & *cenſus* & *Faſti* à [n] *Tertulliano* memorati. Erant *literæ* Apoſtolorum *Authenticæ* Eccleſiarum curæ publicæ & cuſtodiæ commiſſæ. *Originales* illæ nimirum pro ſenſu *Juriſperitorum*, cujus erat obſervantiſſimus *Tertullianus*. Erant etiam adeo *Eccleſiaſtica Archiva*, ſecundi etiam Sæculi initio, in cauſa *Evangeliorum*, à *Chriſtianis* in teſtimonium adducta, ut teſtatur *Ignatius*. Hæc tamen obiter.

X.
Inciſa tabulis *lapideis* hæc Fragmenta habemus. Id quoque, pro more ſæculi, ſatis congrue.

Quod porro hæc publicorum *Archivorum* monumenta *parietibus lapideis* inciderint, nihil in eo erat à receptis illorum temporum moribus alienum. Erant enim & *alba* quoque illa ſeu λευκώματα, de quibus ſupra diximus, *illiti gypſo parietes*. Ita certe *Suidas* λευκώματα deſcribit, quod fuerint τοῖχοι γύψῳ ἀληλιμμένοι. Sic etiam *faſtos* à ſe ordinatos, & marmoreo *parieti* inciſos, publicavit *Verrius Flaccus*, teſte [o] *Suetonio*. Illa ejus verba ad *Faſtos* quos habemus *Capitolinos* vulgo referunt Eruditi. Nec ſane id abſurde. *Parietum* enim formam exhibebant illa Faſtorum *marmora*, ut ea repræſentavit *Onuphrius*. Diſcrepabant itaque in eo tantummodo *parietes* illi *marmorei*

n Tertul. *Præſcr.* c. 32. 36. o Suet. *de Gram.* c. 17.

*rei* à *Pontificum tabulis dealbatis*, quod *ſcriptæ* illæ fuerint veteres *tabulæ* Pontificum *parietinæ*, hæ vero recentiores *inciſæ*. Erat nihilominus mos ille *inſculpendi* parietes lapideos tam apud alias gentes, quam etiam apud *Romanos*, antiquiſſimus. Sed *Sacrarum Scriptionum* proprii illi videntur fuiſſe Libri *lintei*. Poſtea cum à *privatis* illi ederentur *Annales*; tum more apud vulgus receptiſſimo, *lapideis* incidebantur *parietibus*. Et ſane eodem tempore quo *Capitolini*, *Faſtorum* aliorum *lapidibus* inſculptorum Fragmenta habemus. Sunt *lapides* iſtiuſmodi *Colotiani*. Sunt etiam Municipii alicujus ſimiliter *Faſti Marmorei*, tam ab *Appiano* editi quam etiam à *Pighio* & *Grutero*. *Cæſare* recentiores omnes. Meminerat certe *Cicero*, ſi poſt *Mucii* Pontificatum Faſtos tabulis Marmoreis inſculptos vulgatoſque noſſet. Non itaque à *Syllæ* temporibus cœptos illos Faſtos fuiſſe veriſimile eſt, ut primo ſuſpicatus fuerat *Onuphrius*, deinde ab aliis ad *Auguſti* finem uſque perductos. Ludi tamen *Domitiani Sæculares* ab alio inſculptore additi erant, damnataque ejus memoria deleti, cum nihil aliud habeant aut *Domitiano* coævum, aut *Auguſto* recentius. Hoc itaque *Auguſti* tempore, qui urbem reliquit *Marmoream*, & monumentis undiquaque conquiſitis ornatam, aut ſaltem initio *Tiberii*, noſtra quoque Fragmenta inſculpta ſuſpicor, ab *initio* forſitan Urbis ad Inſculptoris, quicunque demum fuerit, tempora ſimili forma perducta. Et latent adeo fortaſſe etiamnum alii priſcorum Annalium in eodem loco theſauri. Utinam eruerentur.

XI. Actorum potius *Urbanorum* hæc Fragmenta fuiſſe videntur, quam Librorum *linteorum*.

Ex Libris porro *linteis* ipſis deſcripta hæc fragmenta credidit Cl. *Voſſius*; *Reyneſius* ex *Diurnis* potius *Urbanis*. Idque fortaſſe rectius. *Annalium* enim *Diurnorumque Urbis* diſcrimen illud agnovit *Tacitus*, quod res *illuſtres Annalibus*, leviora etiam quæque *Diurnis Urbis* Actis mandarentur. Idque ex *dignitate* Populi *Romani* repertum fuiſſe teſtatur. Vix eſt quod dubitemus quin eam *Populi Romani dignitatem* obſervarint *Pontifices Maximi* Annalium Maximorum conditores. Atqui *levia* nonnulla in his legimus conſignata Fragmentis, & majora quæque leviter perſtricta, & per ſumma rerum capita. Nec ſane alia hic reperimus quam quæ in *Urbe* geſta eſſent vel ſaltem ante *Conſulum* ex Urbe *diſceſſum*; *Senatuſconſulta*, *Judicia*, *Edicta* etiam *Ædilitia* &c.

*Excerpta*

*Excerpta ex Libris* Pontificum *linteis, ut voluit V. C.* Isaacus Vossius: *vel ex Actis* Urbis *potius* Diurnis. *Contulimus autem cum Apographo* Pighiano *Apographum* Vossianum.

Pars eorum prior Edita.

## V. [1] [K.] APRILEIS.

α FASCES. PENES AEMILIVM.
β BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS.
γ OVE. FECIT. [2] LAVRE[ATVS.] (LIA.
HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS. [3] IN. HOSTI-
S. C. FACTVM. [4] [EST. VTI.] PRAETORES. EX. SVIS.
PERPETVIS. EDICTIS. IVS. DICERENT.
Q. [5] MINV[C]IVS. SCAPVLA. ACCVSATVS. DE. VI.
A. P. LENTVLO. APVD. [6] [C]N. [7] B[A]EBIVM. [8] [PR.] VRB.
DEFENSVS. A. C. [9] SVLPI[C]IO.
SENTENTIIS. CONDEMNATVS. XV.
AMPLIATVS. XXXIII.

## IV. [10] [K.] APRILEIS.

FASCEIS. PENES. LICINIVM.
[11] FVL[GVR]AVIT. TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN.
SVMMA. VELIA. [12] PAV[LL]VM. A. MERIDIE.
RIXA AD. IANVM. INFIMVM. IN. CAVPONA. ET.
[13] [CAVPO.] AD. VRSVM. GALEATVM. GRAVITER.
SAVCIATVS.

C. [14] T[I]TINIVS. AED. PL. [15] MVL[C]AVIT. LANIOS. (*sic*)
QVOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPVLO.
NON. INSPECTAM.
δ DE. PECVNIA. [16] [17] MVL[C]ATI[T]IA. (*sic*) CELLA. EXSTRV- (CTA.
AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

## III. [18] [K.] APRILEIS.

FASCES. PENES. AEMILIVM.
ε LAPIDIBVS. PLVIT. IN. VEIENTI.
[19] ζ [POSTVMIVS.] TRIB. PLEB. VIATOREM. MISIT.
AD. COS. QVOD. [20] [IS.] EO. DIE. SENATVM.
NOLVISSET. COGERE.
INTERCESSIONE. [21] [P.] DECIMII. TRIB. PLEB.
RES. EST. SVBLATA.

1 KAL *Voss.* 2 NTIAE. *Voss.* 3 Add. EST. *Voss.* 4 VT. *Voss.* 5 T. *Voss.* 6 G. *Voss.* 7 O. *Voss.* 8 PRAETOREM *Voss.* 9 T. *Voss.* 10 KAL. *Voss.* 11 MIN. *Voss.* 12 L. *Voss.* 13 deest *Voss.* 14 IN *Voss.* 15 T. *Voss.* 16 T. *Voss.* 17 C. *Voss.* 18 KAL. *Voss.* 19 POST. *Voss.* 20 deest *Voss.* 21 PVB. *Voss.*

Q. AVFIDIVS. MENSARIVS. TABERNAE. ARGENTARIAE.
AD. SCVTVM. [22] C[I]MBRICVM. CVM. MAGNA.
VI. AERIS. ALIENI. CESSIT. FORO.
RETRACTVS. EX. ITINERE. [23] CAV[SS]AM. DIXIT.
APVD. P. FONTEIVM. BALBVM. [24] [PRAET.]
ET. CVM. LIQVIDVM. FACTVM. ESSET. [25] [EVM.]
NVLLA. FECISSE. DETRIMENTA.
ν IVSSVS. EST. IN. SOLIDVM.
AES. TOTVM. DISSOLVERE.

## PRID. [26] [K.] APRILEIS.

FASCES. PENES. LICINIVM.
ϑ LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.
IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO.
INCENDIVM. IN. [27] C[AE]LIOLO. INSVLAE. DVAE.
ABSVMPTAE. SOLO. TENVS. ET. [28] AEDES. QVINQVE.
AMBVSTAE. QVATVOR.
ς [29] DEMIPH[ON.] ARCHIPIRATA. CAPTVS. A.
[30] [C]N. LICINIO. NERVA. LEGATO.
IN. CRVCEM. ACTVS.
VEXILLVM. RVBEVM. IN. ARCE. POSITVM.
[31] [COS.] SACRAMENTO. NOVO. ADEGERVNT. IVVEN-
IN. CAMPO. MARTIO. (TVTEM.

## KAL. APRIL.

[ [32] ϰ L. AIMILIO. PAVLLO. II.
C. LICINIO. CRASSO. COS.] (LVDATI.
PAVLLVS. COS. ET. [33] [C]N. OCTAVIVS. [34] PRAET[.] PA-
EGRESSI. SVNT. VRBE. IN. PROVINCIAM.
MACEDONIAM.
λ PROFECTI. [35] INGENT[I]. ATQVE. INVSITATA.
FREQVENTIA. PROSEQVENTE.
[36] [CV.] ........................ TOTA. SACRA. VIA.
EX. [37] [AEDIBVS.] ............ μ VSQVE. AD.
CARINAS. ET. SACELLVM. [38] ST[RENIAE.]
MAGNA. CONSTERNATIONE. VICINORVM.
FVNVS. [39] MAR[C]IAE. SEX. F. CVM. MAIORE. POMPA.
IMAGINVM. QVAM. FREQVENTIA. HOMINVM.
[40] [PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT. MAGALESIA.]

## [41] [IV.] NON. APRIL. (TIA.

VER. SACRVM. VOTVM. DE. [42] PONTIFIC[.] SENTEN-
A. BAEBIO. PRAETORE.

22 Y *Voſſ.* 23 S *Voſſ.* 24 PRAETOREM. *Voſſ.* 25 ILLVM. *Voſſ.* 26 KAL. *Voſſ.* 27 OE *Voſſ.* 28 Ad·AD. *Voſſ.* 29 O. *Voſſ.* 30 G. *Voſſ.* 31 COSS. *Voſſ.* 32 deſunt *Voſſ.* 33 G. *Voſſ.* 34 OR. *Voſſ.* 35 E *Voſſ.* 36 GN. *Voſſ.* 37 AEDILIBVS *Voſſ.* deeſt ſpatium. 38 ERNIT. *Voſſ.* 39 T *Voſſ.* 40 deſunt *Voſſ.* 41 III. *Voſſ.* 42 VM. *Voſſ.*

LAV-

*sic*

LAVTIA. LEGATIS. [43] AETOL[ ]VM. DATA.
* [44] ⩚ v ⩚ [45] AER[.] GRAVIS. IN. SINGVLOS.
DIMIDIVM. EIVS. [46] COMITIB[VS.]
M. [47] [A]EBVTIVS. IN. PROVINCIAM. SVAM.
SICILIAM. PROFECTVS. [48] [EST.]
EPVLVM.IN.FVNERE.[49] MAR[C]IAE.POPVLO.DATVM.
A. FILIIS. EIVS. [50] [Q.] ET. L. METELLIS.
ET. LVDI. SCAENICI. [[51] FACTI.] (SA-
CLASSIS. [52] CARTHAGIN[I]ENSIS. [53] OSTIAM. INGRES-
CVM. TRIBVTO.

## III. NON. APRIL. (VS.

[54] [C.] POPILIVS.LAENAS. [55] [C.] DECIMIVS.C.HOSTILI-
LEGATI. MITTVNTVR. AD. REGES. SYRIAE.

*sic*

[56] [ET.] [57] AEG[V]PTI. AD. BELLVM. INTER. IPSOS.
COMPONENDVM.
LEGATI. BENE.MANE.CVM.TVRBA. [58] CLIENT[I]VM.
ET. PROPINQVORVM. SACRIFICARVNT.
AD. CASTORIS. DIS. PENATIBVS. P. R.
TAVRO. [59] FECER[.] ET. PERLITARVNT.
[60] PONT[.] MAX. [61] . . . . . . . . . . . . . IN. AEDE.VESTAE.
[[62] . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . L.L. V. V.]

43 Ad. OR. *Voss.* 44 CCM. *Voss.* 45 IS. *Voss* 46 desunt *Voss.* 47 deest *Voss.* 48 deest *Voss.* 49 T. *Voss.* 50 C. *Voss.* 51 desunt *Voss.* 52 d. *Voss.* 53 A d H. *Voss.* 54 CAI *Voss.* 55 CAI *Voss.* 56 AC. *Voss.* 57 Y. *Voss.* 58 d. *Voss.* 59 VNT. *Voss.* 60 IF. *Voss.* 61 d. spatium *Voss.* 62 desunt *Voss.*

NOTÆ.

# NOTÆ.

[a] F*Aſces penes Æmilium.*] Obſervavit hoc in loco Cl. *Reyneſius* Auctorum de alternis *Conſulum*, non *diebus*, ſed *menſibus*, teſtimonia. Inde colligit, *in vitiata Acta Urbana incidiſſe Scriptorem hujus Tabulæ, & qui eam nobis tradidit è recentioribus quendam eſſe apparere; Uſum autem in quibuſdam Livii & Aſconii præmanſis, eorumque certam eſſe fidem: Aliorum minutorum de privatis eventibus non item.* Atqui *teſtimonium*, quo Cenſura tam dura fulciatur, nullum produxit Vir alioqui ſane Maximus. Nec enim hic audiendi *juniores*. Teſtem autem è *Veteribus* neminem adduxit *Suetonio* antiquiorem. Ne quidem illum de antiquioribus *Julii Cæſaris Conſulatu* temporibus. Nihil autem pugnat, quin vices *Conſulum*, quæ *menſtruæ* erant, cum *primum* ageret *Conſulatum* cum *Bibulo Cæſar*, anno Urbis *Varroniano* 695°. eædem *diurnæ* fuerint temporibus illis de quibus noſtri agunt Tabularum Marmorearum Auctores. Imo *diurnos* fuiſſe *Conſulum faſces* tempore pugnæ *Cannenſis*, & *ſecundi* adeo Belli *Punici*, teſtem [a] *Polybium* advocat ipſe *Reyneſius*. Suntque ejus verba in hanc ſententiam admodum ſane diſerta. Ait enim ἡγεμονίαν die pugnæ illius fuiſſe *Varronis*, διὰ τὸ παρὰ μίαν ἐκ τῶν ἐθισμῶν μεταλαμβάνειν τὴν ἀρχὴν τοὺς ὑπάτους. *Morem* fuiſſe *Romanorum* teſtatur ut *Conſules diebus alternis* imperarent, nec *caſtris* proprium fuiſſe morem innuit, ut voluit *Reyneſius*. Dicturus utique ſi *domi militiæque* diſciplinam *aliam* atque *aliam* noſſet *fori caſtrorumque* peritiſſimus *Polybius*. Firmat præterea *Polybii* teſtimonium [b] *Livius*. Paulo ante pugnam illam decretoriam, cum victos prælio tumultuario *Carthaginienſes effuſe ſequerentur victores Romani*, *metu inſidiarum obſtitiſſe* tradit *Paullum Conſulem*, *cujus eo die (nam alternis*, inquit, *imperitabant) Imperium erat.* Idem poſtea, *ferocientibus ad ipſas caſtrorum portas* Carthaginienſibus, [c] *eam modo unam Romanis cauſam* fuiſſe dicit, *ne extemplo tranſirent flumen, dirigerentque aciem, quod ſumma Imperii eo die penes Paullum fuerit.* Sequitur deinde. *Itaque Varro, poſtero die, cui ſors ejus diei Imperii erat, nihil conſulto Collega, ſignum pugnæ propoſuit.* Is itaque *mos* erat illis, quos dixi, anni *Varroniani* 538. *COSS.* Sed mutari potuit ante *COSS.* anni 586. Potuit ſane. Non tamen de *facto* mutatum oſtendunt Fragmenta noſtrarum tabularum alia à *Reyneſio* non viſa. Nam in *COSS.* anni 692. tribus duntaxat ante *Cæſaris* Conſulatum annis, *faſces* ita diſpoſitos legimus ut uno eodem-

a Polyb. *L.* III. *c.* 110. b Liv. XXII. *c.* 41. c Liv. *ib.* *c.* 45.

que *menſe* utrique Conſuli fuerint prælati. III. nimirum Idus *Sextiles* dicuntur fuiſſe *penes Murænam*, V. autem Kalendas *Septembres penes Syllanum*. Imo alternis *diebus* reſpondent. Eſt enim V. Kal. *Sept.* 16[us]. dies à III. Idus Sextil. pro modo menſis *Sextilis* quo uſus eſt *Numa* qui poſt Idus *Sextil.* Calendas *Septembris* numeravit XVII. Sic brevi admodum ſpatio ante Conſulatum *Cæſaris* novatus fuerit mos ille *menſtruorum* faſcium Conſularium. Niſi forte dicamus, pro more menſium vetuſtiſſimo, nihil quicquam cum *Sextili* commune habuiſſe Kalendas omnes *Septembris*. Sic *menſibus* convenient *alternis dies* illi faſcium. Sed Νεμηνίας *Græcorum* per *Kalendas Latini* utplurimum vertunt Interpretes. Sic fiet ut *initia menſium Lunarium* illæ deſignaverint *Kalendæ*. Qui autem à *Pleniluniis* menſes *Lunares* ſupputarint, vix, puto, ullos legimus. Ita tamen numeraſſe *Romanos* oportuit ſi quidem ab *Idibus* menſes ſuos *Lunares* arceſſiverint, unde ſequentis menſis *Kalendas* numerare ſolebant. *Græci* certe non aliunde numerabant quam à *Noviluniis* dum etiam illi *menſes* non *Solares*, ſed *Lunares*, obſervabant. Et à *Græcis* anni formam *Romanos* didiciſſe conſtat è [d] *Macrobio*. *Morem* porro *antiquum* obſervat fuiſſe [e] *Suetonius*, ut *Conſulem*, qui *faſces* non haberet, *accenſus* anteiret, pone autem ſequerentur deſtituti faſcibus *Lictores*. Hunc etiam morem obſervat primum revocaſſe, in primo illo Conſulatu, *Cæſarem*. In *ordine* nimirum *accenſi Lictorumque* conſtat illum ſitum fuiſſe *morem*. *Anteire* enim ſolebant *faſcibus* inſtructi *Lictores*; *ſequi* autem *accenſus* Conſulem *faſcibus* inſignitum. Neglexerant autem morem illum *Conſules* Cæſaris illo *Conſulatu* paulo antiquiores. Ut ſcilicet vel *præceſſerint* ſine faſcibus *Lictores*, vel *miſſis* prorſus, qui nulla haberent officii inſignia, *Lictoribus*, ſolus *COSS.* illos comitatus fuerit *accenſus*. Hæc moneo ne quis ad *menſtruas* faſcium *vices morem* illum *antiquum* referat, quod non habuit in animo certe *Suetonius*.

β *Bene mane ſacrificavit.*] Poſſent multa hic congeri tam è Sacris quam etiam è profanis Scriptoribus teſtimonia de *tempore* Sacrificiorum *matutino*, ſi vel dubia res fuiſſet, vel eſſet otium. Satis erit impreſentiarum illud monere (quod multi nondum obſervarunt) inde manaſſe primævorum etiam Chriſtianorum morem de *antelucanis* Synaxibus atque *Euchariſtiæ* Myſticis *Sacrificiis*. Erat fateor à Gentilibus *metus* ne auderent *interdiu* in unum convenire Chriſtiani. Sed metum illum tam facile declinare poterant cœtibus in *noctem intempeſtam* indicendis, quam *antelucanis*, quod tamen nunquam factum obſervamus. Et *metus* ille certe nullus aderat cum *domi* Euchariſtiam præſanctificatam ex *arcis* perciperent. Et tamen illam quoque Communionem *matutinam* fuiſſe, & *ante omnem alium cibum* obſervavit [f] *Tertullianus* ad *Uxorem*. Plus adhuc dico. *Metui* illi *occaſionem* dedit *vinum* Euchariſticum à *jejunis* ſuſceptum,

[d] Macrob. *Sat.* I. 13. [e] Sueton. *Jul.* c. 20. [f] Tertul. *ad Ux.* L. II. c. 5. *vid. etiam de Cor. Mil.* c. 3. *Apol.* c. 2.

cum

cum ex *odore* Christianos explorarent Persecutores. Propterea *aqua* Eucharistiam celebrabant g *Aquarii*, ne ab eo vini proderentur odore. Nec tamen fecit id ut vel *speciem* illam, vel *tempus Sacrificii* sui *Mystici*, propterea prætermitterent Orthodoxi. Securi nimirum ab eo metu futuri si non *ante* cibum omnem, sed *post* cibum; nec *antelucanis*, sed *nocturnis*, conventibus Sacrificia sua celebrassent. Quis inde non intelligat ne quidem *Sacrificiorum* illud *tempus*, illis, pro receptis illorum Sæculorum opinionibus, rem fuisse leviculam, aut parum momentosam? Erant, scio, in *jugi Sacrificio nocturna* pariter ac *matutina* Sacra. Sed vix alios fuisse puto *Sacrorum Nocturnorum* participes quam egregia *castimonia* pariter ac *Sanctimonia* homines, *Sacerdotes* nimirum ac *viduas*. Harum certe in laude positum legimus ut nec *inter diu* illæ, nec *noctu* ab *altari* discesserint. *Luc.* II. 37. quod *precibus*, pro *jugis Sacrificii* ritu, jugibus vacaverint. 1 *Tim.* v. 5. Eucharistias, per illa tempora, *nocturnas* nullas, ut puto, legimus. Imo *nullas* fuisse primævis temporibus è *Tertulliano* colligimus & *Cypriano*. E *Tertulliani* verbis illis: *Eucharistiæ Sacramentum, & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam Præsidentium, sumimus.* de Coron. mil. c. 3. Opponit nimirum *Christi* institutioni morem *Ecclesiæ* coævæ è *Traditione* acceptum. Quod scilicet *victus tempore* Eucharistiam *Christus* instituerit; *Ecclesia* tamen, non *victus tempore*, sed *antelucanis cœtibus* eandem celebrarit. Ut scilicet opponit *mandatum* illud Domini, *Accipite* omnibus præceptum, quasi nimirum omnes *propriis manibus* Sacramentum illud accipere debuerint, mori *Ecclesiæ* coævæ quo non *propriis manibus* illud, sed *è Præsidentium manu*, sumebant. Non itaque ita intelligenda est loco illo particula *etiam*, quasi sui *tempore utroque* Eucharistiam celebrarent, tam nimirum *tempore victus* quam *Cœtibus* etiam *antelucanis*. Sed referenda ad *mores Ecclesiæ* per *Traditiones* receptos à *Domini institutione* alienos qui locum habuerint in Sacramento *etiam* Eucharistiæ, ut supra illos probaverat locum habuisse in alio *Baptismi* Sacramento. Itaque verbum *etiam* cum verbis: *Eucharistiæ Sacramentum* conjungendum; non autem cum illis: *in tempore victus*. Respondet etiam S. *Cyprianus Aquariis* se, cum ad *cœnandum* venirent, *mixtum calicem* offerre dicentibus, ita ut *Ecclesiæ* coævæ *morem* fuisse ostendat, ut non *cænæ* tempore Eucharistiam celebrarent. Eo spectant verba ejus illa: *Sed cum Cænamus, ad convivium nostrum Plebem convocare non possumus, ut Sacramenti veritatem fraternitate omni præsenti celebremus.* Ep. 63. n. 12. Id plane innuit, ne quidem *domi* Sacramentum alio *tempore* sumi potuisse quam quo Ecclesiæ *Synaxes* celebrari solerent, ut *Synaxibus* communicantes, si minus corpore, at Spiritu tamen, interesse censerentur. Id simul innuit, *Synaxes* suo tempore non alias fuisse quam *matutinas*. Objiciunt Aquarii; *At enim non mane, sed post cœnam, mixtum calicem obtulit*

g S. Cyprian. *Ep.* 63. *ad* Cæcil. Sect. 12. *Ed.* Pam.

*Domi-*

*Dominus.* Ita se *institutionis exemplo* obsecutos credebant, si *post cœnam mixtum calicem*, pro *Domini exemplo* offerrent. Respondet Cyprianus: *Nunquid ergo Dominicum post Cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus?* Sic ille nimirum Argumentatur, ut primo doceat, id si verum esset, *Synaxes publicas nocturnas* Eucharistiæ percipiendæ esse oportere; tum Sequelam illam pro *absurda* habeat, atque exinde Argumenti, quo usi erant *Aquarii*, falsitatem ostendat, quod scilicet ex ipso Sequela tam *absurda* rite tamen colligeretur. A *more* interim *Ecclesiæ Synaxes nocturnas* alienissimas fuisse supponit. Ostenditque deinde rationem, cur *Christus nocturnam* Eucharistiam *instituerit*; nec tamen teneatur *Ecclesia*, ejus exemplo, *Synaxes* habere *nocturnas*. Docent certe ejus illa *Ratiocinia*, & *consuetudinem Ecclesiæ* ab *Aquariorum* mente aliam; & *sententiam* etiam diversam, ut ne quidem se teneri crediderit ad *morem* suum, pro *Aquariorum* mente, mutandum. *Eucharistiarum* tamen *loco* videntur illæ fuisse *preces*, tum etiam cum in more essent Eucharistiæ *quotidianæ*, quam fieri potuit *jugi Sacrificio* simillimæ. Et tamen *viduæ* illæ ita Sacris Ecclesiæ *publicis*, ita *altaribus*, totæ vacabant, ut *Altaris* nomine etiam ipsæ nonnunquam appellentur. Sic enim illas appellat [h] *Polycarpus*. Sic etiam Pseudo [i] *Ignatius*. Sic etiam *Ignatii* simia [k] *Constitutionum*, quæ vulgo *Apostolicæ* appellantur, impostor. Utque fuissent Eucharistiæ aliquæ *vespertinæ*, longe tamen præcipuæ illæ erant quæ tempore erant *matutino*, conventibusque omnium frequentissimis celebrari solebant. Tum enim maxime à *nocte puri* habebantur, *voluptatibusque nocturnis*, etiam *legitimis*. *Nocturnis* autem, paulo ante somnum, *precibus convivabantur* exempli summi Christiani. *Sobriè* quidem illi, ut inquit *Tertullianus*. Sic tamen ut vel eo nomine minus idonei sibi viderentur ad *epulas cælestes*. Accesserat præterea admonitio Apostoli I *Cor.* XI. 20, 21, 22. ne convivia illa *cælestia* cum *terrestribus* committerent, propter *Agaparum* abusus & infamias. Et viri illi sanctissimi à cibis *interdiu* plerunque abstinebant, quod olim fecerant *Esseni* quorum illi exempla in plerisque æmulabantur. Non erat ergo hoc cibi capiendi tempus omnino prætermittendum.

γ *Ove fecit Laureatus.*] Ita *Pighius*. Apographum Vossianum *Laurentiae*. Uter rectius descripserit, judicare difficile est. Scio quidem, ostenditque *Reinesius*, *Coronatos* sacrificare solitos Veteres. Et quidem *Romanis coronas* ut plurimum fuisse *laureas*, præsertim *Consulibus* Reip. Sacra facientibus, id quoque satis manifestum est. Cur tamen id in tabulas referret *Actorum Diurnorum* conditor, quod facile per se collecturus fuerat Lector, si quidem rite fuisset sacrificatum? Id potius annotandum erat si quem ritum Sacrificii legitimum, præter morem, omisisset. Fieri ergo potest, ut veram nobis lectionem servarit *Petavius*, vel veræ saltem vestigium. Agrum

h Polyc. Sect. 4. i Ignat. *ad* Tarf. *c.* 9. k *Const. Ap. L.* III. *c.* 6.

quidem

quidem *Laurentem* tenuisse classem *Æneæ*, cum primum in *Italiam* appelleret, à *Virgilio*, *Livio*, aliisque traditum est. Ideone *Sacrificia* aliqua instituta *Laurenti* præstanda à Consulibus, in memoriam illius appulsus, ut in monte *Albano* quotannis sacrificatum constat in memoriam Juris *Metropolitani*? Ita *Laurenti* pro *Laurentiæ* fuerat reponendum. Sed cum satis frequens in Histora *Romana* Sacrorum à *COSS.* præstandorum memoria; nullibi tamen occurrit (quod quidem sciam) Sacrificium *Laurenti* peragendum. Num itaque Sacra hic intelliguntur *Accæ Larentiæ* Romuli nutricis? Erant quidem Sacra istiusmodi *Larentinalia* appellata. Sed *tempus* eorum aliud, & à *mense*, in quo versamur *Aprili*, satis remotum. Accenset enim [l] *Varro* festis *Decembri* mense celebrandis. Ita nimirum ut *Agonalibus* successerint, & tamen *Septimontium* antecesserint, ipsum quoque *Decembri* observandum. Nisi fortasse alia quoque fuerint in *Larentiæ* honorem *Larentinalia* quorum nulla meminerit *Historia*, nec coævum aliquod, quod quidem sciam, *Kalendarium*. Erant tamen hoc ipso mense *Floralia*, ipsa etiam, pro sententia receptissima, in honorem *Larentiæ* instituta. Nec nostra interest eademne fuerit *Acca* illa *Larentia*, quæ sub *Floræ* nomine culta est. cum nutrice *Romuli*, quod disputat [m] *Hospinianus*. Satis illud ad nostram causam facit, quod *Posthumio* Consule cum collega *Lænate* instituta sint annua *Romæ Floralia*, ut testatur [n] *Ovidius*. Et quidem ab ipsis *Consulibus*. *Consules* erant illi anno Urbis *Varroniano* 581. Ita consentaneum erat ut Sacra à *Consulibus* ante quinquennium instituta *annua* nostri quoque peragerent *Consules*. Idque suspectum facit quod *ove* sacrificatum sit, hostia nimirum *minore* & *Laurentiæ* magis quam *Apollini* consentanea. Turbare autem Lectorem non oportet quod *ad Apollinis* alteri tamen *Numini* sacrificasse *COS*. dicatur quam *Apollini*. Bis infra in his ipsis monimentis legimus *ad Castoris*, non *Castori* tamen sacrificatum, sed *diis Penatibus*. Fieri potuit ut *locus* nominibus *Apollinis Castorisque* designatus fuerit, quod vulgo illis nominibus fuerit notior quam *Laurentiæ*, *Deorumve Penatium*. Vel σύνναοι fuerint *Laurentia Apollini*, *Penates Castori*, ut Deos alios συννάους per illa tempora legimus. Nihil porro in eo difficile est quod *Laurentiam* illam appellet noster, cum utroque nomine insignita sit eadem illa Dea apud bonos Auctores. Id unum pugnare videtur, quod mense *exeunte*, IV. Kal. nimirum *Maias*, incipiant illa *Floræ Laurentinalia*. Potuit tamen, ante tempora *Ovidii*, mutari tempus ob aliquam, quam nescimus, rationem. Si hæc non placeant, potuit fortasse scripsisse noster: *Ove fecit Laxentina.* Sic enim [o] *Festus* à *Paulo* interpolatus: *Item pellitam ovem laxentinam appellat* [*Cato* scilicet] *in ea Oratione quam scripsit*, &c. *Pellitam* nimirum ovem appellat qualis nutriri solebat in agro *Tarentino*, ut ibidem legit *Scaliger*, opponitque *Pascali*, seu νομάδι, qualis

l Scalig. *ad* Fest. *verb.* Septimont. m Hospinian. *de Fest.* n Ovid. *Fast. L. V.*
o Fest. *Pasc. Ov.*

nimirum

nimirum vulgo in paufcis reperiri folebat. Sic id voluerit Infculptor, *Apollini ove* facrificatum *pellita* & *Tarentina*, quæ maximo erat in pretio. Sed melius, ni fallor, in illo Fefti loco pro *laxentinam* reponemus *Tarentinam*. Sed vel ita reponi fortaffe poteft in noftra Infcriptione *Tarentina*. Si hæc non placeant, quid fi *Lauretum* intellexerit Infculptor? Erat fane locus in Urbe *Veteri* ita appellatus. [p] Varro: *Inde Lauretum, ab eo quod ibi fepultus eft T. Tatius Rex, qui à Laurentibus interfectus eft, ab filva laurea, quod ea ibi excifa, & ædificatus vicus. Ut inter Sacram viam & macellum editum Corneta à corneis, quæ abfciffæ loco reliquerunt nomen. Ut Efculetum ab Efculo dictum; & Fagutal à fago, unde etiam, quod ibi Sacellum, Jovis Fagutalis.* Satifque apte *Sacrificium* illud ad ipfum referetur *Apollinem*. *Lucis* enim facrificari folitum, nec aliam *arborem Apollini* gratiorem fuiffe quam *Laurum*, ambo funt notiffima. Expecto tamen dum rectiora adferant acutiores. Fieri interim poteft, ut nullo ex his modis vocem conceperit Infculptor, fed, pro more *lapidum*, truncatam reliquerit LAVR. fuppleverit autem vocis finem de fua conjectura tam *Ludovicus Vives*, quam etiam *Paulus Petavius*. Id fi verum, licebit & aliis commodiorem aliam, fiqua occurrerit, vocis terminationem de fuo quoque *ingenio* comminifci.

δ *De pecunia mulcatitia cella extructa ad Telluris Lavernae.*] Quod *Mulcatia* hic fcriptum legamus pro *mulctatia*, non opus eft ut multa dicamus. Sic paulo antea *mulcavit* pro *mulctavit*. Sic & in Livio: [q] *Qui obvius fuerat mulcatus nudatufque abibat.* Quo tamen in loco *multatus* legitur in Codice *Novi* Collegii *Oxonienfi.* Similia multa habemus apud Veteres, præfertim in [r] Infcriptionibus. Sic *Actii* Poetæ nomen, nunc *Acius*, nunc *Atius*, nunc *Attius*, nunc *Actius* legitur, ut ipfi fupra obfervavimus. Sæpe itaque confunduntur invicem literæ illæ dedita *Auctorum* opera, fæpius tamen *Librariorum Quadratariorum* fortaffe negligentia.

Porro Pecuniam *Mulctatitiam* Operibus *Publicis* impendi folitam paffim habemus apud Veteres exempla. Sæpe *ædes Sacras* inde ftructas legimus. Hic vero *Ædis* duntaxat *cellam*. *Cellarum* ufus apud Veteres erat *condendis promendifque* cujufque generis fpeciebus. Inde & *Servi* quoque *Cellarii* cellis præfecti à *Varrone* memorati. *Cellam* porro per οἴκους & οἰκίας & οἰκήματα reddunt *Gloffæ* Veteres. Non ea nimirum duntaxat fignificatione quâ *Ædificia* integra, fed quâ Ædificiorum *partes* & *conclavia* defignant illæ voces. Nec modo in *domeftica* Oeconomia locum habebant *cellæ* illæ *conditoriæ*, verumetiam in *publica* Ædium *Sacrarum*. Erant & illis fuæ quoque *fpecies* Sacerdotibus Æditui fque credi folitæ, *Primitiarum*, *Decimarum*, *Votorum*. Cellarum illarum in Templi etiam *Judaici* difciplina Sacræ meminere literæ. Μέλαθρα illa *Græcis* Interpretibus 3 Reg. VI. 5. quæ *domus* apud Interpretem

p Varro *Ling. Lat. L. IV. p.* 36. q Liv. *L. III. c.* 11. r Grut. 680. 9.

vulgatum. Sed *domus* duntaxat *partem* designat apud vetustissimos *Græcæ* Linguæ Auctores. Alibi παστοφόρια 1. Paralip. XXXI. II. *Horrea* Latino Interpreti. Et quidem recipiendis *Decimis*, *Primitiis* & *Votis*, sub præside *Levita*. Sed παστοφόρια, ni fallor, *Aulæa* erant χρυσόπαστα ab illo artificio *nomen* ipsum habentia, magisque adeo quam pro more *horreorum* ornata. Sed recte vidit *Latinus* Interpres *horrea* esse oportere quæ fuerint *frugibus* reponendis dicanda. Eadem *Gazophylacia* tam *Græco* quam *Latino* Interpreti, Neh. XIII. 5. 9. *muneribus* & ipsa *Decimisque* recondendis instituta. Nec aliter in loco Ezech. XLII. 13. quo in loco is idem eorum usus assignatur. *Ibi* (inquit S. Auctor) *ponent Sancta Sanctorum*, *& oblationem pro peccato & pro delicto.* Sed & alii quoque erant usus *cellarum* illarum sive conclavium. Nec enim *species* modo *Rusticas* in illis reponebant, sed & *vasa* quoque *Pecuniamque sacram*. Inde recte *Gazophylacia* appellata, & *thesauri domus Domini* Interpreti vulgato, σκηναὶ οἴκου κυρίου, Interpreti *Græco*, Ezr. VIII. 29. Ejusmodi *Thesauri* multi erant in Templo *Delphico*, multarumque *gentium* proprii, à *Phocæis* expilati. Et suum etiam erat *Tobiæ Ammonitæ* in veri Dei Templo *Gazophylacium* muneribus ejus decimisque destinatum, loco prædicto *Nehemiæ*. XIII. 5. 9. Erat & alius illarum *cellarum* usus, ut in illis *vescerentur Sacerdotes* atque convivarentur. Illius meminit locus prædictus Ezechielis XLII. 13. Hæc eadem, ni fallor, cum *Romanorum Lectisterniis*. Erant enim è *Sacrificiis epulæ* etiam Sacræ. His præerant apud Romanos *Septemviri Epulonum* Sacerdotibus accenseri soliti. Erat enim id quoque necessarium ad *Sacrificium* rite celebrandum, ut *convivia* illa *Sacra* in *locis* etiam *Sacris* haberentur. *In vestibulo Sanctuarii comedenda* erant, *ut esset placabile Sacrificium*, *& sanctificarentur offerentium manus.* Exod. XXIX. 32. *Comedenda in loco Sancto atrii Tabernaculi.* Lev. VI. 16. *Comedenda*, inquam, *ante fores Tabernaculi.* Lev. VIII. 31. *In loco Sancto.* Lev. XXIV. 9. *Coram Domino in loco quem elegerat Dominus.* Deut. XII. 18. *Coram Domino.* Deut. XIV. 26. *In conspectu Domini Dei*, *& in loco quem elegerat Dominus.* Deut. XV. 20. Hoc *Sacerdotibus* præcipitur. Non illis tamen solis. Etiam *filiis* eorum & *filiabus*, & *servis* & *famulabus*, & *Levitis*: Deut. XII. 18. Etiam *privatis* cum *domo* sua *Patribus familiâs*. Deut. XIV. 26. XV. 20. Omnibusque adeo Sacrificiorum participibus. Sic intelligimus quam necessariæ fuerint in *Templis* illæ *cellæ*. Inde *Exedræ* appellatæ *Latino* Interpreti. 1 Paralip. IX. 26. XXIII. 28. Jerem. XXXV. 2. *Græco* etiam, Ezech. XLII. 13. Quod essent nimirum *sedilibus* instructæ, pro usibus *Epulantium*. Inde Αὐλαὶ *Græco*. Jer. XXXV. 2. 1 Par. IX. 26. *Aulæis* proinde χρυσοπάστοις ornandæ, unde *Pastophoriorum* nomen aliud lucrabantur. Erant enim apud *Ægyptios* sua etiam in *Templis Pastophoria*, & Pastophoriorum *ministri* ipsi quoque appellati παστοφόροι *Clementi* [f] *Alexandrino* memorati. Inde ad

[f] Clem. Al, *Pædag. L. III. c. 2. Strom. VI. p.* 634.

*Eccle-*

*Ecclesiam* cum *re* ipsa *vox* etiam una videtur emanasse. Erant enim in *Conviviorum* apparatu, si magnifica esse vellent, *Aulæa* & *Tapetia.* Inde factum ut in illis conclavibus *Rechabitas* vino tentarit *Jeremias*, Jer. xxxv. 2. quod *convivia* illic celebrari solerent. Non opus est ut hæc omnia *Gentilibus* communia fuisse probem, cum *Epularum* etiam *Sacrarum* Disciplina fuerit communis, & *Thesaurorum*, & *frugum* etiam *sacrarum.* Horum itaque usuum alicui designatam illam fuisse crediderim *Telluris Lavernæ cellam. Romanis* certe illarum *Cellarum* usum fuisse constat, etiam in *Sacris. Cællæ Dei* (sic enim vocem illam semper concipit) meminit [t] *Varro* in finitimis eorum *faneis Sabineis. Cellarum* illarum usus ex *privatarum Ædium* disciplina desumptus est. Is autem quis fuerit, *Cellarumque* adeo in illis *situm* docet idem *Varro.* [u] *Ædes* nimirum ab *aditu* dicta. Ita *priorem* domorum partem, pro ejus mente significat, quæ *domus* proprie sic dicta *Græcis*, & *πρόδομος*, appellata est Sequebatur aditum illum *Cavum ædium* [vel *Cavædium*] *qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium usum.* Nullæ erant in hac Ædium parte *contignationes*, aperta nimirum ad ipsum usque *tectum.* Et multa adhuc sunt, pro veteri illa forma, *Cavædia* in Urbe *Wigorniensi.* Pergit *Varro*: *In hoc, locus si nullus relictus erat, sub divo qui esset, dicebatur testudo à testudinis similitudine, ut est in Prætorio in Castris. Testudo* nimirum illa erat *tectum Cavædio* penitus obductum, ut nullum esset reliquum *luci* superne recipiendæ spatium. Hæc eadem [x] *fornix* erat, & *cavum cælum* à *Chao* quod dehisceret. Et ab illius similitudine *Cæli* ipsius *ingentes fornices* memorat *Ennius.* Et *cavum cœlum*, & *Cœli clypeum* aliis memoratum testatur ibidem *Varro. Græcis* eadem *καμάρα* est. Et *Cœli καμάραν* legimus in Sacris etiam literis. Sin relictum fuisset *luci* superne recipiendæ spatium, *deorsum* (inquit [y] *Varro*) *quo impluebat, Impluvium dictum: & sursum, qua Compluebat, compluvium, utrumque à pluvia.* Ignotus enim est Veteribus *vitri* usus, quo & *lucem* acciperent, & tamen *pluvias* arcerent. Sunt etiam hodieque multi istiusmodi in *Templis* vetustis *fornices. Tuscanica* hæc & *Atria* ab *Atriatibus Tuscis* appellata idem testis est *Varro.* Forma veterum ædium ita constituta, *situm* tandem usumque *Cellarum* ita explicat: *Circum cavum ædium erant uniuscujusque rei utilitatis caussa parietibus dissepta, ubi quid conditum esse volebant. A cœlando Cællam appellarunt: Penariam, ubi penus; ubi cubabant, Cubiculum; ubi cænabant, Cænaculum vocitabant : ut etiam nunc Lanuvii apud ædem Junonis, & in cætero Latio, ac Faleriis, & Cordubæ, dicuntur. Posteaquam in superiore parte cænitare cœperunt, superioris domus universa Cænacula dicta. Posteaquam, ubi cænabant, plura facere cœperunt, ut in castris ab hieme hiberna, hiberna domus vocarunt: contra æstivum* . . . . . . Plane hic videmus ædium *sacrarum* in for-

[t] Varr. *Ling. Lat. L. V. p.* 55. [u] Varr. *L. IV. p.* 38. [x] Varr. *L. IV. p.* 9. [y] Varr. *L. IV. p.* 38.

ma ædium *privatarum* vetuſtiſſima exemplum. Unius ejuſdemque *formæ* erant varia illa *diſſepta* quæ *Cellæ* appellabantur; ad *uſus* tamen, ut in *Templis* vidimus, *varios*. Erant *circa* Cavædium illæ *cellæ*. Nec alius ſitus μελάθρων in Templo: [z] *Ædificabat enim* Solomon *ſuper parietem Templi tabulata per gyrum, in parietibus domus, per circuitum Templi & Oraculi, & fecit latera in circuitu.* Erant variarum *contignationum* Cellæ, ut pars quædam earum *ſuperior* fuerit, alia *inferior*. Erantque in Templo *Solomonis* [a] ὑπερῷα, quæ vulgatus Interpres reddidit cum *Varrone Cænacula*. Et *Gazophylacia* in Templo [b] *Ezechielis triſtega* fuiſſe dicuntur. *Hiberna* erant & *Æſtiva* in *cellis Romanis*. Et *Gazophylacia* [c] *Ezechielis* alia erant *in via Aquilonis*, alia *in via reſpiciente ad Notum*. Sic illa invicem reſpondebant accurate. Sed cum *cellam*, non *cellas*, pecunia illa *mulctatia* extruxerit *Ædilis*; proinde aliam fortaſſe adhibuit *cellæ* ſignificationem noſter qua *illam* deſignaret *cellam* quæ niſi *unica* eſſe non ſolebat. Ea autem quæ fuerit idem nos docet, ubi ſupra, *Varro*. Sic enim rurſus ille: [d] *Domus Græcum eſt. Et ideo in ædibus ſacreis ante cællam, ubi ſedes Dei ſunt, Græci dicunt* πρόδομον: *quod poſt,* ὀπισθόδομον. *Cella* itaque ſingulari proprioque jure ſic dicta, *media* erat *Ædis* pars inter πρόδομον atque ὀπισθόδομον, in ipſo *Ædis Cavædio* ſita, ut videtur, & *media* adeo inter *cellas* modo memoratas, in qua Numinis *ſimulacrum* reponi ſolebat. Id enim voluit, ni fallor, verbis illis *Varro*; *ubi ſedes Dei ſunt.* Ἕδος enim *Græcis* quod Latinis *pulvinar*. Et *thecæ* illæ *ſimulacrorum* quæ Latinis *Cellæ*, eædem Græcis ναοὶ & ναΐσκοι. Hanc itaque *ſimulacri* Telluris *thecam Pecunia* illa Laniorum *mulctatitia* ſtruxerit *Ædilis*. *Mulctam* autem illam imponebat *Ædilis Plebis*, quod ad illius curam ſpectarent *fora* iſtiuſmodi *venalitia*. Atque ex hoc *rei* uſu tam *vario* manavit poſtea ad Chriſtianos *vocis uſus*, etiam ipſe *varius*. *Cellæ* enim apud juniores erant tam ædium *Eccleſiaſticarum* quam *Monaſteriorum* ſingula *cubicula*. Hinc *Monachorum cellæ*. Et Patriarchæ *contubernalis* σύγκελλος appellatus, quod cum haberet Patriarcha *cellæ* pariter ac vitæ univerſæ teſtem atque participem. Talis in *Anſelmum* noſter erat *Eadmerus*, individuus ejus tam *noctu* quam *interdiu* ſocius, & vitæ moderator, ut ne quidem ejus injuſſu ſeſe vel in *lecto* converteret. Reſpondebant *cellæ* illæ illis *Templorum conclavibus, ſacris* nimirum ipſis, ut erant *Templa* ipſa *ſacra*. Præterea *cellarum* nomine ipſæ etiam nonnunquam inſigniuntur *Eccleſiæ* atque *Monaſteria*. Docent hoc tot illa vetera *Eccleſiarum Monaſteriorumque* nomina à vocibus *Kell* aut *Kill* compoſita, in noſtra præſertim *Inſula Sanctorum Hiberniæ*. *C* enim fere quaſi *K* ſonabant *Saxones*. *Humilitatis* enim laudem quandam in eo aucupabantur quod *Cellas* potius illa, quàm *Eccleſias* appellarent aut *Monaſteria*. Ejuſmodi exempla multa erant in illorum temporum ſermone. Sic enim ſe *Peccatores* appella-

z 3 *Reg. VI.* 5. a 2 *Paral. III.* 9. b *Ezech. XLII.* 5, 6. c *Ezech. XLII.* 11, 12. d Varr. *L. IV. p.* 38.

bant,

bant; ſic *modicum id quod eſt*; ſic *exiguos* & *humiles*, ne alia memorem eodem pertinentia. Denique *Cellas minores* etiam *Eccleſias* nuncupabant qua erant à *majoribus* tam *Eccleſiis* quam etiam *Monaſteriis* diſtinguendæ, pro hujus de qua agimus *Cellæ* exemplo, quæ *Ædis Telluris* quædam fuiſſe videtur *Appendicula*. Sic illi majorum *Eccleſiarum* atque *Monaſteriorum* appendices *Cellas* nominabant. Satis illa omnia ἀναλόγως pro primævo vocis uſu apud veteres Gentiles.

Sed quæ demum erat illa Dea *Tellus Laverna*? *Tellurem* quidem *Deam* ſæpe legimus. Et *ædem* ejus prope *Carinas* ſatis habemus exploratam. Ea condita in area ædium [e] *Sp. Caſſii* de tyrannide affectata damnati, anno Urbis *Varroniano* 269. Sed & *Lavernam* Deam novimus *furium* Patronam. *Tellurem* tamen *Lavernamque* pro *una* eademque *Dea* habitam vix alibi, ut puto, legimus. Habebat certe *Laverna* cultum ſibi *proprium*, & alio *loco* ab eo in quo *Tellurem* cultam diximus. Erat illi *lucus obſcurus abdituſque in quo fures ſolebant furta prædamque inter ſe luere*, inquit [f] *Feſtus*. *Prædæ* nimirum *diviſionem* intelligit. Hunc *lucum* in *via Salaria* ponit [g] *Acron* Interpres *Horatii*. Ad *portam*, ut videtur, *Salariam*, longe à *Carinis*. Habuit & *Simulacrum*, eodem *Acrone* teſte, à *furibus* coli ſolitum, & ab iis qui *conſilia* ſua *tecta* vellent. Habuit & *aram* à qua nomen duxit *porta Lavernalis*, ut ait [h] *Varro*, eadem cum *porta Collina*, nec ipſa *Carinis* propinqua. Ita ne quidem σύνναος eſſe potuit *Telluri Laverna* in loco illo prope *Carinas*. Alia itaque fuerit oportet *ædes* illa *Telluris Lavernæ* ab illa ſolius *Telluris* ad *Carinas*. Eoque, ni fallor, ipſo conſilio *ædes* hæc *Telluris Lavernæ* fuiſſe dicitur ut ab alia illa *Telluris æde* internoſceretur. Ejuſdem numinis, qua in diverſis locis colebatur, diverſa fuiſſe *cognomina*, id vero omnibus notiſſimum eſt. Sic enim *Capitolinus*, *Feretrius*, *Stator*, *Latiaris*, idem erat *Romanus Jupiter*, qua ſcilicet diverſis iſtiuſmodi *cognominibus*, cultum habebat *alium* atque *alium*. Id vero minus fortaſſis obſervatum eſt ut *numen unum alterius numinis* cognomen haberet. Nec tamen illius exemplis deſtituimur. *Jovii*, *Martii*, *Herculii* audiebat cum coævis ſuis Principibus *Diocletianus*. Non tamen *Joves*, inquietis, aut *Martes* aut *Hercules*. Hac tamen forma, & *Martes* & *Apollines* & *Joves Auguſtos*, & *Cererem Auguſtam* legimus in Inſcriptionibus. Qua ſcilicet *Auguſti* ipſi pro *Martibus*, *Apollinibus* & *Jovibus*, & *Auguſta* ipſa pro *Cerere* haberentur. Tunc autem *Auguſtorum* nomen *Auguſtarumque* pro *Adjectivo* habebitur. Sed forma etiam *Subſtantiva Juno Lucina* ſæpe appellatur. Quæ ſcilicet idem *Officium* præſtabat quod ab ipſa ſolebat expectari *Lucina*. Et tamen longe erat à *Junone* Dea alia *Lucina*, eademque nonnunquam cum *Diana*. Itaque nihil obſtat quo minus *Tellus Laverna* appelletur, qua etiam ipſa *Lavernæ* munus præ-

e Dionyſ. *Halicarn. L. VIII.* f Feſt. *voc.* Lavernionea. g Acron *in* Horat. *L. I. Ep.* 16. h Varr. *Ling. Lat. L. IV.*

ſtare credebatur. *Laverna* autem *fallendi* Dea à *tegendis* ſecretis nomen præcipue traxiſſe videtur. Sic enim Acron: *Dicta à latendô.* Nam fures *laterniones*, *&* *laverniones* dicuntur. Adjecerat autem rationem in præcedentibus: Nam cum ſilentio preces ejus exercentur. Id non abſurde *Telluri* tribuitur, quæ etiam ipſa *tegit* celatque *fruges* ſibi commiſſas. Ut tamen neceſſaria eſſet forma *denominativa*, ne quidem ita abſurde *Tellus Laverna* poſſet appellari. Nec enim *Dea* tantummodo ipſa, ſed & *cultores* ipſius *Lavernæ* appellatur. Gloſſæ Iſidori: *Laberna, latro , aut qui filios alios ſeducit.* Et [i] *Auſonius*:

*Bonorum mala Carminum Laverna.*

Sed *fures* rectius fortaſſe *laverniones*. Dea tamen *fæminea Tellus* ſatis apte *Laverna* formâ *fæminea* appellabitur.

*t Ladidibus pluit in Veienti.*] Huc refero verba illa Livii; [k] *Bis in exitu anni ejus lapidatum eſſe, nunciatum eſt; in Romano agro, ſimul in Veientibus: Novendiale Sacrum factum eſt.* Hæc *Livius* de anno ſuperiori *Varroniano* nimirum 585. De illius enim anni *exitu* ibidem agitur. Exitum autem illum intelligo inter *deſignationem Conſulum initumque Conſulatum.* Illo enim intervallo *omina* & *portenta* ſolet narrare *Livius*, quæ quanquam *ſuperiori* anno contigerint, anni tamen *ſequentis* clades, ni rite fuiſſent procurata, ſignificare credebantur. *Prioris* certe *anni* mala ſignificare non poterant, cujus pars illa longe maxima, quæ rebus *gerendis* idonea erat, jam præterierat. *Sequentis* ergo anni *Auſpicia* ſpectabat portentum illud ſuperioris anni fine editum. Et *ſequentis* adeo anni *Magiſtratibus* procurandum erat, ne in Provinciam *inauſpicato* proficiſcerentur. Et tamem, fateor, eodem illo temporis intervallo *Livium* ſemper & *omina* recenſere, & *ominum procurationes.* Ea fortaſſe cauſa, quod eum locum tenuerint in *Pontificum Annalibus*, quod non eſſent à *portentis* ſejungendæ *expiationes*; *Diurna* tamen ipſa diſtinctius deſignarint *dies* ipſos *procurationum.* Noſter ſane, ut videmus III. Kal. *April. pluviam* illam *lapideam* aſſignat quam *Livius* ipſis idibus *Martiis* antiquiorem fecerat. *Novendiale Sacrum*, ni fallor, intellexit, quo *pluvia* iſtiuſmodi *lapidea* ſolebat procurari. A *Tullo Hoſtilio* incepit prima iſtius *pluviæ* mentio, *nova* prorſus tunc, nec antea, ut videtur, obſervata. Id indicat ipſe [l] *Livius*, *credi id vix potuiſſe. Miſſos* itaque *ad id viſendum prodigium, in conſpectu, haud aliter quam quum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebros tradit cecidiſſe cœlo lapides.* Inde ſæpe occurrit in Hiſtoria *Romana*, qualiſcunque demum fuerit, illa *pluvia*, manſitque ſolennis, quoties rediret, illa procuratio. Id quoque teſtatur idem Livius: *Romanis quoque ab eodem prodigio Novendiale Sacrum publice ſuſceptum eſt: ſeu voce cœleſti ex Albano monte miſſa (nam id quoque traditur) ſeu Aruſpicum monitu. Manſit* (inquit)

i Auſon *Epiſt.* V. k Liv. *L. XLIV. c.* 18. l Liv. *L. I. c.* 31. *vid.* Feſt. *voc.* Novend.

*certe*

*certe solenne, ut quandocunque idem prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur.* Vox illa *cœlestis* fuerat, ut *patrio ritu* Sacra *Albani* facerent. Inde facile colligimus ab *Albanis* Sacrum illud fluxiſſe *Novendiale.* Et *novem* fuiſſe *dierum* iidem teſtantur Auctores. Illud non adeo manifeſtum eſt, fuerintne dies illi novem *integri*, an *cyclus* dierum *octo* nono duntaxat die redeuntium. Sic enim ſe habebant [m] *Nundinæ Romanæ*, ut ex *Augusti* conſtat *Kalendario.* Illæ tamen ita dictæ ſunt quod *nono* die redirent. Ita nihil pugnat Etymon quo minus *Nundinale* fuerit *Sacrum* illud *Novendiale.* Sed *Nundinarum* inſtitutionem recentiorem faciunt Scriptores *Romani.* *Geminus* illas *exactis* jam *Regibus* cœpiſſe tradidit, quia plerique de Plebe repetita *Servii Tullii* memoria parentarent ei in *Nundinis*, *cui rei* (inquit *Macrobius*) *etiam Varro conſentit.* Sed uſum *Nundinarum* civilem *mercatibus* peragendis intellexerint oportet, Auctores illi Veteres; non *Religioſum* illum de quo agimus, quem à *Servii* ſaltem *Tullii* temporibus arceſſunt. Et tamen uſum etiam illum antiquiorem fecit, eodem *Macrobio* teſte, *Caſſius*, ipſiſque *Servii* temporibus coævum. *Caſſius* ille *Hemina* eſt, ni fallor, Hiſtoricus. Adhuc alios fuiſſe tradit *Macrobius* qui *Nundinarum* originem *Romulo* ipſi aſſignarint, *quem communicato Regno cum T. Tatio Sacrificiis & Sodalitatibus institutis, nundinas quoque* (inquit) *adjeciſſe commemorant.* Numerat in hiſce *Tuditanum* Hiſtoricum. Is *Caius* erat *Sempronius Tuditanus.* Ita erant antiquæ, etiam apud *Romanos*, *Nundinæ*, ut ab illis *Sacri Novendialis* à *Tullo Hostilio* inſtituti *initium* deduci potuerit. *Parentationes* illæ certe quas *Servio Tullio* in *Nundinis* ſolutas teſtati ſunt, uti vidimus, cum *Gemino Varro*, non aliæ erant quam *Sacrum* illud *Diis inferis* præſtari ſolitum, quod alii *Novendiale* nuncupant. Sic etiam exemplum habemus quo *voces* ipſæ *Nundinarum Novendialiumque* de re eadem uſurpatæ fuerint, quoque adeo *octo* tantummodo *dierum* circulus *Sacrum* illud *Novendiale* deſignaverit. Nec ſane quicquam vetat, quo minus, ut alia multa, ſic etiam *Nundinarum* exemplum potuerint ab *Albanis* accepiſſe *Romani.* Id ſi verum, ſic etiam *Nundinarum* rationem in ritu patrio *Novendialis Sacri* habuerint *Albani*, & *posteri* adeo eorundem proinde *Romani.* Scio interim & *Novenarium numerum* fuiſſe *ſacrum.* Canebant ſæpe in luſtrationibus *Pueri noveni*, & *Virgines novenæ*, & nonnunquam *ter novenæ*, pro forma *trinundinorum.* Nec tamen triplicem duntaxat *Octonarium* abſolvebant *Virgines* illæ *ter novenæ*, quod faciebant *trinundina.* Sed eo potius propendeo ut *octonis* diebus *Novendialia* illa *Sacra* concluſa fuiſſe credam. Quod ergo *lapideam* illam *pluviam* huic áſſignarit *diei Actorum* noſtrorum *Urbanorum* conditor, id ea cauſa factum exiſtimo, non quod eo ipſo *die pluvia* ipſa contigerit; ſed quod fuerit dies *Sacri Novendialis* ultimus, quo *omen* penitus *expiatum* fuerit, *metuſque* inde omnis ſublatus, & *casta* jam & *fauſta* procederent *Conſulatus Auſpicia.*

m *vid. etiam.* Macrob. *Saturn. L. I. c.* 16.

Hoc autem in quo diſcrepat à *Livio*, non potuit à *Livio* accipere noſter, uti credidit *Reineſius*. Sic *moræ* rationem habebimus exploratiſſimam, ſi quidem, *duplicem* illius anni *pluviam lapideam Novendiali* item *Sacro duplici* ab illius anni *Conſulibus* procuratam exiſtimemus. *Moram* enim *feriarum Latinarum Religiones* fuiſſe prodit SC. modo memoratum. *Religiones* illæ hæc ipſa erant, ni fallor, *Sacra Novendialia*. Ea autem, ſi *diebus* conſtabant *octonis*, à *Conſulatus* initi *die*, *Idibus* nempe *Martiis*, in hunc ipſum deſinent diem III^m. Kal. *April.* Eodem etiam *ordine* reſpondent *Sacra* portentorum *procuratoria* quo *Portenta* ipſa contigiſſe dicuntur: *Pluviam* illam *lapidum* quæ in *Romano* erat agro *priori* loco recenſuit *Livius*. Proinde *pluviam Veientinam*, quæ illam ſecuta eſt, recte *Sacro Novendiali ultimo*, ultimoque illius Sacri *diei* aſſignavit noſtræ Inſcriptionis Auctor. Tum demum licuit, quod antea per has, quas dixi, *Religiones*, non licuit, *ferias Latinas* celebrare. Et ſane *die ſequenti*, Prid. Kal. *Apriles*, *Latinas* celebratas teſtatur non noſter ſolus, verumetiam, ut videbimus, ipſe *Livius*. Ita *Senatuſconſulto* obtemperatum eſt, quo *deſignatis* tantummodo *COSS.* cautum teſtatur fuiſſe *Livius*, de *feriis Latinis*, mox ubi *Magiſtratum iniſſent Conſules*, (quod per *Religiones* fieri poſſet) *primo quoque tempore* celebrandis.

ζ *Poſtumius Trib. Pleb. viatorem miſit ad COS.* &c.] Quæ auſi ſunt in *COSS. Tribuni Plebis*, antiquiora his temporibus habemus apud [n] *Livium* exempla. Anno Urbis *Varroniano* 283. immiſit *Conſuli viatorem Lætorius Trib. Pleb.* & viciſſim *Tribuno Lictorem Appius Claudius Conſul.* Plebi infenſiſſimus. Sic illi nimirum ut neuter alteri *ceſſerit*, aut *ſuperiorem* agnoverit. Ceſſere tamen in ea lite, pro re ſumma, *Patres*. Collega *Appii Quintius* Plebem ſævientem *lenivit*; *oravit Tribunos, ut Concilium dimitterent; darent iræ ſpatium; Non vim ſuam illis tempus adempturum, ſed conſilium viribus additurum: Et Patres in Populi, & Conſulem in Patrum, fore Poteſtate.* Hæc ipſa *Livii verba* ſunt, è quibus intelligimus *ceſſiſſe* aliquatenus *Conſulem* illum, & *viciſſe Plebem*. Conſilium *Quintii* ita probavere *Patres* ut *Quintio* gratias agerent, *quod ejus opera diſcordia mitigata eſſet.* Ab *Appio* petebant, ut *tantam Conſularem Majeſtatem eſſe vellet quanta in concordi civitate eſſe poſſet.* *Appius* contra, *teſtari Deos atque homines*, *Remp. prodi per metum*, *ac deſeri*: *Non Conſulem Senatui, ſed Senatum Conſuli deeſſe.* *Victus tamen Senatus conſenſu tandem quievit.* *Eventum* tamen illius *victoriæ* illum narrat *Livius*, non ut *Tribunorum Jus* aliquod in *Conſules Plebs* aſſeruerit; ſed ut *Legem* tulerint de qua litigatum fuerat, ut *Comitiis* deinde *Tributis Tribuni* eligerentur. Poſtea anno Æræ receptæ *Varronianæ* 324. [o] Rep. ad incitas per *diſcordiam Conſulum* redacta, qui tamen nolebant *Dictatorem* dicere, nec parere hoc præcipienti Senatui; tan-

n Liv. L. II. c. 56. o Liv. L. IV. c. 26.

dem

dem *Tribunos* appellavit *Q. Servilius Priscus*, atque eo Auctore *Senatus*, ut *Dictatorem* dicere *COSS.* pro sua Potestate *cogerent. Ea voce audita, occasionem oblatam rati Tribuni* (inquit *Livius*) *augendæ Potestatis, secedunt, proque Collegio* [nemine viz. collega *intercedente*] *pronunciant, placere COSS. Senatui dicto audientes esse: Si adversus consensum amplissimi Ordinis ultra tendant, in vincula se duci eos jussuros. Consules ab Tribunis, quam ab Senatu, vinci maluerunt: proditum à Patribus summi Imperii Jus, datumque sub jugum Tribunitiæ Potestati Consulatum memorantes; si quidem cogi aliquid pro potestate ab Tribuno Consules, & (quo quid ulterius privato timendum foret?) in vincula etiam duci, possent.* Hæc *Livius.* Cessit itaque, hac in causa, *Senatus.* Cessere ipsi *Consules.* Id fecit ut in *Tribunos* Militares *Consulari Potestate* præditos idem auderent *Tribuni* quod in ipsos *Consules* quorum Potestate ornati erant illi *Militares Tribuni.* * Decrevit Senatus anno Urbis *Varroniano* 353°. novos *Tribunos Militares* creandos esse qui Kalendis *Oct.* Magistratum acciperent. Deprecati sunt ignominiam correpti Magistratus duo ex Tribunis Militaribus, *Sergius, Virginiusque*, propter quos pœnitere Magistratuum ejus anni Senatum apparebat. Precibus nihil proficientibus, Senatusconsulto intercedunt. Negant se ante Idus *Decembres*, solennem tunc ineundis Magistratibus diem, honore abituros. Hic *Plebis Tribuni* feroces repente, minantur *Tribunis Militum, nisi in Auctoritate Senatus essent, se in vincula eos duci jussuros esse.* Spernit has Tribunorum Plebis minas *C. Servilius Ahala* unus ipse è *Tribunis Militaribus*, monetque ut *desinerent inter Senatorum certamina locum injuriæ quærere*; se nisi *collegæ* facerent quod *Senatus* censuisset, *Dictatorem* extemplo dicturum *qui eos abire Magistratu cogeret.* Gaudent Patres, sine *Tribunitiæ Potestatis* (inquit *Livius*) *terriculis inventam esse aliam vim majorem ad coercendos Magistratus.* Hucusque ergo nondum erat in *confesso* Potestas illa in *Consules Tribunitia.* Et tamen postea (quibus gradibus nescimus) ut in aliis plerisque, sic & in *hoc Tribunorum* Jure, cessit *Senatus*, ipsi etiam rursus cessere *Consules.* Inde manavit ad *Posteros* exemplum *Juris* in *Consules Tribunitii.* Inde factum, ut (quod hic factum videmus) *Consulibus* ipsis fuerit ad *Tribunitiam Intercessionem* confugiendum. Ita *Æmilium Consulem* juvit *collega* Posthumii *Decimius Tribunus* ne *viator* illum in vincula raperet. Sic enim in *Romanorum* Magistratuum *collegiis* Jus erat *Intercessionis* vel singulari *Collegæ* quo minus aliorum *Collegarum* jussa executioni mandarentur. Jus illud habebat in *collegam Consulem collega Consul.* Jus illud *Decemvir* in *collegam Decemvirum.* Jus illud *Tribuni Militares Consulari Potestate in collegas Tribunos* itidem *Militares.* Eratque hoc in *Patriciorum Plebeiorumque* jurgiis exploratissimum. Rogatas plerunque à *Tribunis* Plebeiis *Leges Patricii* collegarum plerunque *Tribunorum Intercessione* Eludebant. Multa passim hujus rei occurrunt apud *Livium* exempla.

* Liv. L. V. c. 9.

^n *Jussus est in solidum æs totum dissolvere.*] Scribit *Reinesius Jus*, additque vocem *remissum*, omittit autem aliam *dissolvere*. Ita elicuit sententiam sententiæ veræ *contrariam*. Sufficit monuisse nullam subesse verbis tabulæ difficultatem, si ea recte Vir Maximus descripsisset.

^ϑ *Latinæ celebratæ.*] Hinc facile *Livium* emendamus, cujus sententiam obscuram fecerant *diversæ* invicem, & plane *contrariæ*, per Librariorum negligentiam, *lectiones*. Dicit in Senatu *Paullus* Consul, [p] *ne quid profectionem suam teneret* [in *Macedoniam* scilicet] *pridie Idus Aprilis Latinis esse constitutam diem. Sacrificio rite perfecto, se & Cn. Octavium, simul Senatus censuisset, exituros esse.* Decrevit Senatus, [q] *ut solenni Latinarum perfecto, L. Æmilius Consul, Cn. Octavius Prætor, cui classis obtigisset, in Provinciam proficiscantur.* Denique addit, verbis disertissimis idem [r] Livius, *Latinis, quæ pridie Calendas Aprilis fuerunt, in monte Sacrificio rite perpetrato, protinus inde & Consul & Prætor Cn. Octavius in Macedoniam profecti sunt.* Firmant lectionem *posteriorem* nostra Fragmenta, in quibus legimus *Latinas* prid. Kal. *Aprilis* celebratas, & *Calendis* ipsis *paludatos* in Provinciam egressos tam *COS. Paullum*, quam etiam *Prætorem Cn. Octavium*. Firmat præterea rerum gestarum ipsa sequela. *Idibus Martiis* inivit *Consulatum*, pro illius *Sæculi more*, *Paullus*. Post *tres* deinde *dies* sequebantur *Liberalia*, teste [s] *Ovidio*, i. e. xv. Kal. *April.* Tum *ortus Mulvii* xiv. Kal. Deinde *Quinquatria* per *V dies*, in honorem *Minervæ*. Horum dierum *primo* Sacrificia erant, de quibus intelligo verba illa de *Paullo Livii* c. 19. *Sacrificio rite perfecto, primi Alexandrini Legati*, &c. Nec scilicet de *Sacrificio Latinarum* de quo fuerat ante sermo. Ne quidem de *Sacrificio ineundi Consulatus*, quod intellexit *Sigonius*. Illud *Sacrificium* jam *antea* peregerat *Paullus* quam *rediissent* è *Macedonia legati*, cum *expectantibus* Patribus quid de Provincia sua *Macedonia* relaturus esset, responderet *nihil se habere quod referret, cum nondum legati rediissent*. Nec enim verisimile est, vel *Senatum* habuisse *Paullum*, vel *expectatam* à Senatu *Paulli relationem*, nondum peractis *Consulatus ineundi Sacrificiis*. *Omen* enim id fuisset, si sine *Sacrificiis Auspiciisque* retulisset. Vel ergo *Liberalium* illa, vel *Quinquatrium*, erant *Sacrificia*. Sed potius *Quinquatrium* fuisse, ex ipso *Livio* colligimus. *Sacrificio* enim *perfecto*, legati *Alexandrini* in Senatum vocati sunt. Hoc ipso nimirum *die Quinquatrium primo*, xiii. Kal. *Aprilis*, *Martii* viz. die xx°. *Redierunt* legati illi *intra triduum*, c. 20. *Martii* viz. xxiii°. Illis *profectis*, legati è *Macedonia* reversi sunt, *ultimis*, ut ait *Livius*, *Quinquatribus*, *Martii* nimirum xxiv°. sed *vespere*. Postero die *Senatus* erat, *Martii* xxv°. in quo auditis *Legatis*, *Senatusconsulta* facta sunt de *Paulli* Expeditione *Macedonica*, in quibus & illud fuit, ut solenni *Latinarum* perfecto, *Paullus Consul* & *Octavius*

p Liv. *L. XLIV. c.* 19. q Liv. *ib. c.* 21. r Liv. *ib. c.* 22. s Ovid. *Fast. III.*

*Prætor*

*Prætor* in Provinciam proficiſcerentur. Sed creandi erant in octo Legiones *tribuni* partim à *COSS.* partim à *Populo*. Itaque *Comitia* erant neceſſario habenda. Tum deinde ex omnibus tribunis, *Paullo* in duas legiones in *Macedoniam* eligendi. Hæc, ut non *multos*, *aliquot* tamen, *dies* ante *ferias Latinas* poſtularunt. Multi autem eſſe non poterant, cum id haberet in animo Senatus ut Expeditio eſſet, quam fieri poſſet maturrima. Decreverant, mox *deſignatis Conſulibus*, antequam *Conſulatum inirent*, *Latinas*, *ubi Magiſtratum iniſſent*, *quod per Religiones fieri poſſet*, *primo quoque tempore celebrandas*, c. 17. Obſtabat enim *Religio* ne ante peractas *Latinas*, in Provincias migrarent. Jam enim olim pro *omine* habebant, neglectas à *Flaminio* [t] *Conſule ferias* illas, pugnæ ad *Thraſimenum* adverſæ. Erant autem & alia Sacra ante *Latinas* peragenda quæ vetabant ne *mox* à *ſuſcepto Conſulatu*, ſalva *Religione* poſſent celebrari. Ea imprimis quæ ad *Conſulatum* ſpectabant *ineundum*. Die *initi Magiſtratus Jovis Maximi* templum *adeundum* erat: ibi *trabea ſumenda*, & *Conſulatus inſignia* poſt *Sacra* tamen prævia. Tum etiam *omina*, ſiqua narrarentur, ut fere Bello ingruente narrari ſolebant, *Sacrificiis* procuranda erant. *Omina* illa, ut jam vidimus, *Novendialia Sacra bina* poſcebant poſt *initum Conſulatum*. *Vota* etiam concipienda ſi Reſp. in eodem ſtatu manſiſſet. Poſt *ferias Latinas*, ſi concipi ea vellent *auſpicato*. Etiam *Latinis* indicendæ erant eæ *feriæ conceptivæ* ut *Conſulem* comitari poſſent in monte *Albano* celebraturum. Illis autem ipſis ſuæ etiam erant *Religiones* à ſe quoque obſervandæ antequam *Latinas* celebrarent. Inde feriarum *Latinarum* illæ, ni fallor, *moræ*. Fecitque fortaſſe illarum rationum incertitudo ut *conceptivæ* fuerint, potius quam *ſtativæ*, ipſæ *feriæ*. Itaque cum poſt peractas *Latinas* profectionem *COS.* decreverit Senatus; & cum illas ipſas *ferias* decreverit ſolito *maturiores*, & quidem eo ipſo conſilio id decreverit, ne *Conſulem*, cui eundum in *Macedoniam* eſſet, *tenerent*; facile inde colligitur, *maturandas* eſſe potius quam *protrahendas*. Nimia ſane eſſet *mora* ſi inito Id. *Martiis* Conſulatu *menſe integro* fuiſſent ſeriores, ipſæ nimirum Idib. *Aprilis*. Sed erroris *occaſionem* ſatis veriſimilem prodidit *Pighius*. Ut ſcilicet PRID. pro PR. ID. acceperit Librarius in loco priori; inde vocem KAL. pro ſupervacua habuerit.

*ι Demiphon Archipirata captus à Cn. Licinio Nerva Legato*, &c.] Duos legimus in horum temporum Hiſtoria *Licinios Nervas* legatos. Alium [u] *A. Licinium Nervam* legatum *Civilem*, qui cum aliis duobus miſſus eſt, *Æmilio* COS. referente, à Senatu ad ſtatum *Provinciæ* & *Perſei* Regis explorandum. Alium [x] *C. Licinium Nervam* legatum *Illyrici* ſub *L. Anicio Prætore* (*claſſis*, an *Legionis*, incertum eſt) certe *Militarem*. Sed aliud utrique *Prænomen* quam huic cujus mentionem habemus in hoc noſtro Fragmento. *Cn.* appellat noſtrum Apographum *Pighianum*, *Gn. Voſſianum*, ſatis etiam illud,

t Liv. L. XXI. c. 63. u Liv. L. XLIV. c. 18. x Liv. L. XLV. c. 3.

pro

pro more *Veterum*, magiſque pro more *Græcorum*. Idem hoc *Prænomen* tribus hiſce modis concipi ſolitum *CN. GN.* & *N.* teſtantur veteres Grammatici. Imo litera *G* nulla erat, teſte in Quæſt. Rom. *Plutarcho* apud veteres *Romanos*. Nulla proinde in Inſcriptione antiquiſſima *Duillii*. Introduxit autem illam, *Carvilius* Grammaticus. *Romæ* certe hoc ipſo tempore fuiſſe veriſimillimum eſt *Cn.* hunc, cujus meminit tabula Marmorea, *Licinium*; & *Romæ* adeo in crucem actum eſſe *Demiphontem* Archipiratam. Nec enim rerum aliarum, quam *Romæ* geſtarum, mentio expectanda erat in *Actis Urbanis*. Potuitque *Romæ* eſſe prior ille *A Licinius Nerva* hoc ipſo noſtrorum Actorum *die*, quem è *Macedonia* reverſum *Quinquatribus ultimis*, *Martii* nimirum, ut vidimus, XXIV[x]. teſtatur idem ipſe [y] *Livius*. Potuitque Archipiratam illum in *reditu* cepiſſe dum fretum trajiceret *Adriaticum*. Non tamen video, cum *tres* fuerint in illa Legatione *Legati* invicem pares; cur potius *Licinio* res illa geſta tribueretur, quam ejus in Legatione *collegis*. Propius abeſt à *Cn. Licinii Nervæ* Prænomine alius ille *Licinius Nerva* quem *Caium* appellant Codices hodierni *Liviani*. Potuitq; in *C.* migrare *CN.* proclivi ſatis facilique errore Librarii. Potuit præterea *claſſis* Imperium antea accepiſſe quam in *Provinciam* diſcederet cujus *Legatus* erat, *L. Anicius*. *Veris principio* omnes in Provinciam appuliſſe teſtatur [z] *Livius*: *Æmilium* nimirum *COS.* in *Macedoniam*, *Octavium Prætorem* in *Oreum*, & noſtrum in *Illyricum Prætorem* ſimiliter *Anicium*. *Diem*, quo diſceſſit in Provinciam *Æmilius*, habemus exploratum, *Martii* ultimum. Inde x°. *die* in *Castra* pervenit, accepitque *exercitum* ut ex ipſius *Æmilii* conſtat apud [a] *Livium* Oratione. Hoc autem ita intelligunt Auctores Hiſtoriæ *Romanæ*. Tantundem apud illos valet in *Provinciam* venire quod *Castrorum* curam *exercituumque* ſuſcipere. Sic venerit in *Provinciam* circiter diem *Aprilis* xm. etiam Prætor *Anicius*. Sed brevior erat *Anicii* in Provinciam *Illyricum* trajectio. Proinde & *moram* itineris breviorem fuiſſe conſentaneum eſt. Potuitque adeo *poſt* illos ex *Italia* diſcedere, & tamen *una* in *Provinciam* appellere. Sed ſi *Anicio Claſſis* legatus fuerit *C. Licinius Nerva*; potuit ipſe interim & *claſſem* accipere, & *Archipiratam* capere, & *Romæ* poſtea expectare dum *Anicius* diſcederet. Cum illo poſtea, cum in *Provinciam* veniſſet, non rediit ante *Octobris* finem, aut *Novembris* initium. [b] *Nuncius* enim rediit rerum ab *Anicio* geſtarum. Et *triduum* ſupplicationum *Anicio* à *Senatu* eo nomine decretarum edixit *Conſul* in IVm. IIIm. & prid. Idus *Novembres*. Potuit itaque ante *Anicii* diſceſſum *Archipiratam* tum puniviſſe, *Legatus* ejus *Licinius Nerva*. Poteſt nihilominus alius ab eo fuiſſe *Legatus* ille, de quo agimus, *Cn. Licinius Nerva*. Itaque ultra quærendum. Porro *Cruciſixionis* in *latrones* & *Piratas*, imo in latronum Piratarumque etiam *duces*, ſatis multa in Hiſtoria *Romana* occurrunt exempla.

*y* Liv. L. XLIV. c.20. *z* Liv. L. XLIV. c.30. *a* ap. Liv. L.XLV. c.41. *b* Liv. L. XLV. c 3.

*x Kal.*

*κ Kal. April. L. Aimilio Paullo II.* &c.] Desunt Apographo *Vossiano*, hoc in loco, *COSS.* nomina. Nec tamen scio an propterea debeant esse suspecta. Longe proclivius erat ut properantis Exscriptoris negligentia fuerint *prætermissa*, quam ut loco, qui videbatur, *alieno* ea inseruerit quicunque *Ludovici Vivis* Apographum è *Marmore* ipso transcripserit. Id quoque favet, quod *COS. Æmilium priori* loco scripserit, cujus erant, pro *alternorum* dierum Imperio, *fasces*. Fieri potest ut singulis *mensibus* Consulum nomina præfixerint *Actorum Urbanorum* conditores. Mutila enim videntur postrema nostra Fragmenta in quibus non occurrunt. Vel saltem proximi ab *inito Consulatu* mensis *Kalendis* adscribendi fuerint fortasse *COSS.* qui *superioris mensis* non *Kalendis*, sed *Idibus*, Magistratum susceperant.

*λ Profecti ingenti atque inusitata frequentia prosequente.*] c Livius: *Traditum est memoriæ, majore quam solita frequentia prosequentium Consulem celebratum; ac prope certa spe ominatos esse homines finem esse Macedonico Bello, maturumque reditum cum egregio triumpho Consulis fore.* Profectiones Adventusque virorum Principum magnis comitantium concursibus celebrari solitos, multa nos Veterum docent exempla. Inde Imperatorum Romanorum *Profectiones Expeditionesque*, & *Adventus* atque *Reditus* in *Numis Kalendariisque* memorati. Et in *omine* ponebant quæcunque rerum gerendarum *initiis* contigerant insolita. Itaque *lætum omen* fuit prosequentium *turba* solito *frequentior*. *Triste* fuisset, si *præter morem* fuisset *infrequens*. Captabant etiam inde Veteres *Auguria*, si quas *voces* aut *Facta comites*, ipsive rerum gerendarum *Auctores*, in ipsis *Auspiciis* præter *Consilium* edidissent. Ea enim omnia *Deos* Auctores habere credebant quæ minus *Humano* tribuenda videbantur arbitrio. Etiam *Humanum* Spiritum *Divinum* censebant, eiq; *Divinationem* concedebant, ut ostendit *Maximus Tyrius*. Illis præsertim in *Causis*, quibus *afflatu* potius excitantis Numinis quam *suo* aliquo *Ratiocinio* homines acti viderentur. Sic itaque *felicis ominis* loco fuit, non *frequens* ille duntaxat prosequentium concursus, sed *spes* etiam nullis fulta *Ratiociniis*, de *eventu felici*, quæ causa erat *concursus* solito *frequentioris*.

*μ Usque ad Carinas, & Sacellum Streniae.*] Pro voce *Streniæ*, legimus *Sternit* in Apographo *Vossiano*. Quasi nimirum id sibi vellet *Actorum Urbanorum* Conditor, ab eo de quo ibi agebatur, Incendio *stratum* fuisse Numinis cujusdam, cujus nomen eum latuerit, *Sacellum*. Sed longe rectius, hoc in loco, Apographum *Pighianum*. Cum enim adeo multa essent in Urbe Principe *Sacella*, erat profecto Numinis *Appellatio* subjungenda, ut à tot aliis *Sacellis* internosceretur hoc ipsum *Sacellum* quousque fuerat progressa *conflagratio*. Et quidem erat, *obscura* licet, *Dea* tamen *Strenia*. *Sacellum* ejus me-

c Liv. L. XLIV. c. 22.

morat etiam [d] *Varro*. Memorat etiam [e] *Festus*. Et quidem ipso illo in loco uterque in quo hic ponitur, in *capite* nimirum *Viæ Sacræ*. *Lucum* ejusdem *Streniæ* habet [f] *Symmachus*, à temporibus Urbis antiquissimis. Ait enim ille *verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni novi auspices* primum accepisse *Tatium Sabinorum* Regem coævum *Romulo*. Inde *Strenarum ab exortu pene Urbis Martiæ usum adolevisse*. Hinc intelligimus illius Deæ cultum apud *Romanos* fuisse *antiquissimum*. *Lucorum* autem usum in cultu Ethnicorum docent tam *prophanæ*, quam literæ etiam *Sacræ*. Meminit ejusdem Deæ etiam [g] S. *Augustinus*, mutata tamen paulisper scribendi ratione. *Strenuam* enim illam, non *Streniam* appellat. Obtinuit nimirum apud Juniores illa nominis Etymologia, qua Dea illa à *strenuitate* dicta existimabatur. Ejus meminit ipse S. *Augustinus*. Ejus paulo antiquior *Augustino Symmachus*. Inde nomen Deæ, quam *Streniam* appellabant Scriptores vetustissimi, in *Strenuam* mutavere juniores. Non hic disputo quam id, pro Analogia *Grammatica*, apte fecerint. Est enim sane difficillimum *vocis* Urbis *Romanæ* ipsis *initiis* coævæ originem explicare, cum ne quidem *fœderis* cum *Carthaginiensibus* icti, primis *COSS.* ducentisque adeo post *Romulum* annis, verba intelligerent coævi *Polybio Romani*; cum Linguæ illius antiquissimæ nulla extent hodie monimenta; cum ne id quidem intelligamus, *Romana* illa *Dea* fuerit, an potius *Sabina*. Ego *Sabinam* fuisse puto esse verisimilius. *Sacra* illa *via* à *Regia* pertigit ad domum *Regis Sacrificuli*. Ita nimirum pro recepta vulgi opinione. *Regia* illa *Numæ* erat. Successitque *Regibus*, qua quidem *Regis* officium ad *Sacra* spectabat, *Rex* ille *Sacrificulus*. Proinde in *Sacra via Regis Sacrificuli* domum sitam fuisse consentaneum est. Sed utroque limite auctiorem illam viam facit, quam pro vulgi opinione, *Festus*. A *Regia* illam retrorsum pertendit usque ad *arcem*. *Tarpeiam* illam *arcem*, ni fallor, intellexit. Rursus à *domo Regis Sacrificuli* ad *Sacellum Streniæ*. Ut recte illud *Sacellum in capite Viæ Sacræ* posuerit *Varro*. Quod si à *fœdere* inter *Romulum* & *Tatium* illo in loco icto *nomen* acceperit *via* illa *Sacra* (nec aliunde deductum testatur idem *Festus*) & *Streniæ* quoque *Sacellum* in limite ejus constitutum eodem spectasse verisimile est. In eo certe cultum illius Deæ plusquam vulgarem prodidit *Tatius* quod *novi anni* auspices *verbenas* felicis arboris non aliunde quam è *Streniæ luco* decerpserit. *Sabinum* fuerit numen oportet à quo auspicia *Sabinis* suis ominatus est, ipse etiam *Sabinus*. Inde *Strenarum* usum ad posteros manasse testatur *Symmachus*. Innuens nimirum ab hac Dea *Strenia Strenarum*, cum *usu*, ipsam etiam fluxisse *vocem*. Id si verum, sic eandem habebit cum *Strenis* Etymologiam Dea quoque *Strenia*. Et sane multo verisimiliorem vocis illius originem tradit Festus. *Strenam vocamus* (inquit) *quæ datur die Religioso, ominis boni gratia, à numero quo significatur alterum tertiumque venturum similis commodi.*

d Varr. *Ling. Lat. L. IV.* e Fest. *voc.* Sacr. Viam. f Symmach. *L. X. Ep.* 28. g S. Augustin. *Civ. Dei L. IV.* 11. 16.

*Velut*

*veluti Trenam, præposita litera, ut in loco & lite solebant antiqui.* Erat nimirum *Religiosus dies* anni *novi* initialis. *Ominisque* loco suis dedit *Tatius* illas ex arbore felici Deæ *Streniæ* verbenas; Optans nimirum *plures* annos anno *illi*, ut videtur, similes quo *Pax* facta fuerat cum *Romanis*. Erat enim *ternarius* ille numerus in *Sacris* omnino antiquissimus; Præsertim apud *Romanos*. Et in hac ipsa causa, de qua agimus, *annorum*. Inde stipendia *annua, bima, trima* apud *Jurisconsultos*, quorum formæ *antiquissimæ* erant, & ab ipsis Urbis *originibus* pleræque deductæ. Et VOTA TRIA habet, ex eadem forma in Numo *Volusiani Mediobarbus*. In numero enim *Ternario* & *simplicis* anni sequentis *Votum* includebatur, & *Multorum* quale fuerat *votum* illud, *Votorum*. Quod porro literam S præfixam arbitratus est *Festus*, ut in vocibus *Stloco* pro *Loco*, & *Stlite* pro *Lite*, aliisque apud Veteres Grammaticos exemplis multis; in eo quoque *Etymologiæ* formam repræsentavit *antiquissimam*, & *antiquissimæ* proinde *Deæ* consentaneam. *Trenos* enim illi pro *ternis* vovebant *annis*; & *ternos* pro *numero* annorum *incerto*, nec ullum *limitem* habente. Hanc Ego vocis originem verisimillimam existimo qua licet vocis *Sabinæ* usum è Lingua petere *Latina*. Nec id fortasse videbitur absurdum cum in unam tandem *gentem* gens utraque coaluerit. Inde enim factum ut & *mores* communes, & *linguam* etiam habuerint communem, ne quidem ab *origine* admodum diversam, cum *gentes*, etiam ipsæ olim fuissent *finitimæ*. Recte porro cum *Carinis Sacellum Streniæ* conjunxit noster Auctor. Id quoque pro vero locorum *situ*, ut ex aliis constat Veterum testimoniis.

Dicitur autem hoc *Streniæ* nostræ, non *Sacrum*, sed *Sacellum*. Recte etiam illud. Nec enim invicem confundenda sunt. Opponit certe [h] *Varro: In aliquot Sacris* (inquit) *& Sacellis scriptum habemus*, &c. *Trebatius* vocem compositam esse censuit, è *Sacro* nimirum & *cella*. Quasi *cella* quædam *Sacra* fuisset *Sacellum*. Sed illum recte redarguit [i] *Gellius* qui formam vocis è Sacro *diminutam* potius fuisse observavit. Erant itaque *Sacella minora* quædam *Sacra*. *Papias agrestium Deorum* fuisse arbitratus est. Erant tamen in *Urbe* etiam *Sacella*, & quidem *Numinum* etiam *majorum* atque *Urbanorum*. Erat *Veneris* [k] *Martiæ*. Erat [l] *Volupiæ*. Erat [m] *Jovis Fagutalis*. Erat [n] *Larium*. Erat in Capitolio [o] Veteri *Jovis, Junonis*, & *Minervæ*. In *Urbe* certe omnia, ut fuit etiam nostrum Deæ *Streniæ*. *Sacellum* [p] *Trebatius locum* fuisse dicit *parvum Deo sacratum cum ara*. Et quidem ita *Sacellum Pudicitiæ Plebeiæ* descripsit [q] *Livius* à Virginia constitutum: *Ex parte ædium* (inquit) *quod satis esset loci modico Sacello, exclusit; aramque ibi posuit*. Addit *Festus* [r] Sacella *dicta loca Diis sacrata sine tecto*. Cur aliqua eorum *tectis* caruerint, è *Festo* discimus. Quia nimirum in locis extructa fue-

h Varro. *Ling. Lat. L.* VI. *p.* 78, 79. i Gell *Noct. Att. L.* VI. *c.* 12. k Varr. *L. L. L.* IV. *p.* 37. l Varr. *L* IV. *p.* 39. m Varr. *L.* IV. *p.* 36. n Varr. *L. L.* IV. Tacit. *An.* XII. 24. o Varr. *L.* IV. *p.* 38. p *ap.* Gell. *ib.* q Liv. *L.* X. *c.* 23. r Fest. *Sacell.*

rint

rint *fulguritis*. Loca enim *fulgurita tegi nefas erat*, teste *Festo* in voce *Scelerat. Camp.* Docet præterea idem locum *fulguritum*, ictum nimirum *fulmine*, inde fuisse *Religiosum*. Sunt enim illa ejus verba: [s] *qui locus statim fieri putabatur Religiosus, quod eum Deus sibi dicasse videretur.* Inde locum sepimento aut maceria includere solebant, ut nempe illum vitarent prætereuntes. Hoc vulgo observatum ad locum *Persii* ----- *evitandumque bidental.* Locus ita *pariete* inclusus, cum superne *tecto* careret, idem omnino erat cum eo quem nos *Sacellum* dicimus. Imo *Sacello* locum *fulguritum* à *Scribonio* procuratum esse docet idem [t] *Festus*. Nec enim deerant illis Sacellis fulguritis *aræ*, ut è *Dionysio* ostendit & *Artemidoro*, ad alium *Festi* locum Maximus [u] *Scaliger*. Sed ut loca fulgurita *Sacellis* fuerint *procurata*; non tamen vicissim *Sacella* omnia in locis erant *fulguritis*. Nullo certe *fulgure* sacratum erat *Sacellum* illud *Pudicitiæ Plebeiæ* cujus modo meminimus è *Livio*. Struxit præterea *Domitianus* in memoriam suarum sub *Vitellio* latebrarum [x] *Sacellum Jovi Conservatori*, addiditque, pro more Sacellorum, etiam *aram*. Nulla tamen *fulguris* Religione ad id faciendum impulsus. Non erat ergo ratio illa in Sacellis *perpetua* cur *tectis* nudarentur, quod fuissent *fulguribus* consecrata. Ego formam illam *Sacellorum* omnium antiquissimam, etiam apud *Romanos*, fuisse arbitror. Erat enim mos ille receptissimus apud antiquissimos *Religionum* Auctores, ut *Templa* haberent ὕπαιθρα, *tectisque* destituta. *Injuriam Numinis* fuisse credebant *Persæ* si quis illud *parietibus tectisque* conclusisset, hoc ipso nomine *Templis* Deorum *Græcis*, siqua forte in eorum manus incidissent, infensissimi. Nec aliter cultam ab *Ægyptiis Minervam* fuisse tradit [y] *Clemens Alexandrinus*. *Sain* ille proculdubio intelligit nomi *Saitici* tutelam. Nec apud alias modo *gentes*, verum apud ipsos etiam *Romanos*, vetustissima illa erat consuetudo. *Termino* Templa fuisse *subdivalia* apud omnes in confesso est. Testes habemus [z] *Festum*, [a] Servium, [b] *Ovidium*, [c] *Lactantium*, aliosque. Idem plane mos in Templis *Diifidii*, qui numen erat vetustissimum apud *Sabinos*, testibus [d] *Varrone* & [e] *Plutarcho*. Imo in Templis etiam ipsius *Jovis*. Sic enim Varro [f] *Jovis Templa, quod omnium rerum semina is Deus patefacere crederetur, tecto esse perforato oportere* dicit. Nec illi soli. *Fulguri etiam*, & *Cœlo*, & *Soli* & *Lunæ*, *ædificia sub divo hypæthraque constitui solita* tradit [g] *Vitruvius*. De *fulgure* modo vidimus. Erant autem hæc Numina apud *Romanos* vetustissima. Ratio autem cur *tecta* nulla essent in Templis *vetustissimis*, illa esse potuit, quod nondum ulla recepta essent apud *Romanos* Deorum *simulacra*. Ita [h] *Plutarchus* verbis disertissimis: Ἑκατὸν ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσι ναοὺς μὲν οἰκοδομούμενοι διετέλουν, καὶ καλιάδας ἱερὰς ἱστῶντες, ἄγαλμα δὲ οὐδὲν

s Fest. *voc.* Fulgur. t Fest. *Scel. Camp. vid.* Scalig. u Joseph. Scal. *ad* Fest. *Nav. fic.* x Tacit. *Hist.* III. 74. y Clem. Al. *Str.* V. *p.* 559. z Fest. *voc.* Term. a Serv. *ad* IX. *Æneid.* b Ovid. *Fast. L.* II. c Lact. I. 20. d Varr. *L.* IV. *& de lib. Ed. ap.* Non *rituis.* e Plut *in Q. Rom.* 14. 28. f Varr. *supra.* g Vitruv. *L.* I. *c.* 2. *vid.* III 1. h Plutarch. *Num.*

ἔμμορφον

ἔμμορφον ποιεῖσθαι διετέλεν. Idem teſtantur alii. Κοιλιάδες illæ *cellæ* erant à nobis ſupra deſcriptæ, *mediam* Templi aream ambientes ſuperne *patentem*. Inde *impluvia* illa, quæ ſane docent in Templorum vetuſtiſſimorum *medio* nihil fuiſſe quod *pluviam* arcuerit. Cum enim non ad *ſimulacrum* aliquod Numinis, ſed ad *Numen* potius ipſum in *Cælo*, converſi eſſent Orantium *vultus*; conſentaneum erat, pro receptis illorum temporum dogmatibus, ut *cælum* intuentibus ne interciperetur *Cæli proſpectus*. Hoc certe *ſatis* erat ad illum *Cæleſtium* Numinum cultum, ſi *perforatum* fuiſſet *tectum*. Satiſque erat etiam illud ad Religionem *Sacellorum*. Erat enim ſane *Puteal Scribonianum* à *Scribonio* in *Sacello fulgurito* poſitum, teſte [i] *Feſto*, tectum, ſed *perforatum*. A viliori ergo illa atque ſimpliciori forma *Sacellorum* crevere paulatim Ædificia Sacra ad ſplendidiorem illam magnificentioremque *Templorum*. Manſit tamen *forma vetuſtiſſima* in locis *fulguritis*, quod loca illa *Deus* ipſe *ſibi* [k] *dicaſſe* crederetur.

*v* ↀ. ↀ. *aeris gravis in ſingulos*, &c.] Suſpectam hanc Lectionem facit *Pighius*, qui *bina millia* apud *Livium* pro *Lautiis* Legatorum dari ſolita obſervavit. Ea obſervatio ſi vera eſſet, pro ↀ. ↀ. reponendæ eſſent notæ millenariæ ↀ. ↀ. quæ leguntur in columna *Duilii* roſtrata. *Voſſiani* certe Apographi Scriptor, ſi recte in alias notas numerales mutaverit CCM. in animo videtur habuiſſe notas alias ↀ. ↀ. Sed longe veriſimilior eſt Lectio *Pighiana*. Fefellit *Pighium* de *Liviana* Lectione memoria, Virum alioqui in *Livio* verſatiſſimum. Nec enim verum eſt quod ait, pro *Lautiis* Legatorum, ſemper *bina millia* legi apud *Livium*. [l] *Carnorum* quidem, *Iſtrorum* & *Japidum* Legatis cenſuit Senatus munera ex *binis millibus* æris mittenda. Totidem etiam *millia* [m] *Athenienſium*, *Mileſiorum*, *Alabandenſium*, *Lampſacenorumque* Legatis. Imo *Maſiniſſæ Carthaginenſiumque* Legatis decreta memorat idem *Livius*. Totidem æris *millia* Legatis miſſa teſtatur [n] *Chalcidenſium*. Hæc ille, & ſiqua iſtiuſmodi fortaſſe alia, in animo habebat, & de *Lautiis*, nec id abſurde, intellexit. Sed quod credidit modum illum *Lautiorum* fuiſſe *perpetuum*, in eo ſane fallitur. Nec nomen *Lautiorum* in his *Livii* locis occurrit, de quo tamen litem nullam moveo. Et aliis in locis quibus mentio *Lautiorum* occurrit diſertiſſima; *modum* nihilominus alium eorum habet atque alium, noſtræque magis Lectioni propitium. Sic enim de Legatis narrat Saguntinis: [o] *Locus inde Lautiaque Legatis præberi juſſa, & muneris ergô in ſingulos dari ne minus dena millia æris.* De Legatis *Maſiniſſæ* ita: [p] *Legatis in ſingulos dona ne minus quinûm millium, comitibus eorum millium æris.* Niſi forte hic *binum millium* legendum, quod dona *Comitum fere dimidia* legamus eorum quæ *Lega-*

*i* Feſt. *voc.* Scel. Camp. *k* Feſt. *voc.* Fulgurit. *l* Liv *L. XLIII. c.* 5. *m* Liv. *ib. c.* 6. *n* Liv. *ib. c.* 8. *o* Liv. *L. XXVIII. c.* 39. *p* Liv. *L. XXX. c.* 17.

*tis* decerni solebant. Est tamen aliqua suspicio *alia* à *Lautiis* illa fuisse dona. Sic enim postea in causa Legatorum *Masinissæ* sequitur: *Adhoc ædes, libera loca, lautia Legatis decreta.* Voces illæ *Ad hoc* innuere videntur, donis prædictis *accessisse* illa *Lautia.* Quæ enim *Hospitii* gratia Legatis dari solebant, ea nos docet *Lautia* fuisse [q] *Festus.* Eodemque modo innuit *Dautia* pro *Lautia* scripsisse *Livium*, quo etiam *Dachrymas* scripserit pro *Lachrymas.* Id quoque innuit *Dautia Liviana* suo demum ævo *Lautia* appellari solita. Ut judicet Lector, rectene *Festi* mentem assecuti fuerimus, verba ejus apponemus: *Dacrimas* [*l. Dacrymas*] *pro Lacrymas Livius sæpe posuit, nimirum quod Græci appellant* δάκρυα. *Item Dautia* [intelligenda & hic verba superiora, *Livius sæpe posuit*] *quæ Lautia dicimus* [*Nos* scilicet, & *nostri Sæculi* Scriptores] *& dantur Legatis hospitii gratia.* Et tamen ut loca *Liviana* omnia in quibus *Dacrymas* posuerat pro *Lachrymas*, juniores ad Sæculi sui morem mutavere Librarii; sic etiam pro voce *Dautia* reposuerunt ubique *Lautia.* Utque *Dautia* quasi *data* appellabant Veteres; sic *Lautia* quasi *Lata* verisimile est appellavisse juniores. *Mitti* certe dicuntur à *Senatu* ea Dona quæ adeo recte *lata* à *nunciis* dici poterant per quos *mitterentur*. Hæc tamen obiter. Itaque si *Dona* illa alia fuerint à *lautiis*; *dona*, ni fallor, illa erant quæ discedentibus *Hospitibus Honorarii* nomine solvi solebant. His enim *honoribus* discedentem Apostolum *honorabant Melitenses* Act. xxviii. 10. Et *Xenia* illa appellabant Veteres, usurpata nimirum à temporibus Historiæ antiquissimis. Eorum enim sæpe meminit *Homerus*, de illis agens cum quibus fuerat Jus illud antiquissimum *Hospitii.* Erant autem illa temporibus *Heroicis species* plerunque in pignus Amicitiæ monimentumque conservandæ. *Pretia* malebant juniores quibus emi posset quod videbatur *Hospiti* gratissimum. Hæc itaque *Dona Hospitibus* omnibus *paria* esse poterant, ne quis *hospes* quereretur sese alteri posthabitum. Huc itaque retulerim *bina millia* illa æris toties, *Livio* ipso teste, Legatis decerni solita. Habebant enim locum in *Civitatibus* hæc eadem *Hospitii* Jura quæ etiam *hominum* erant *privatorum*, ut multis illorum temporum constat exemplis. Et quidem Populi Romani *Hospites*, *Principes*, Amici, *Civitates*, Socii *Populi Romani* appellari solebant. Officia vero illa *Hospitii Publica* Personis præcipue præstanda erant *Publicis*, quales fuisse illas constat *Legatorum.* Hinc itaque *ædes* illis assignatas legimus, & *loca* & *Lautia.* Ita scilicet, quando *Romæ* hospitio acciperentur. Sic enim accepti sunt Legati, de quibus supra diximus, *Masinissæ.* *Ædium* nomine non *Templa* duntaxat intelligo, sed *Ædes* illas præsertim *separatas* quæ in Urbis Notitiis *opponi* solent *Insulis*, & *paucæ* plerunque memorantur præ numero *Insularum.* *Domos* illas appellant Notitiæ juniores. Sed *Ædium* nomen longe antiquius, à quarum cura nomen sumsere, ni fallor, *Ædiles* primo

q Fest. *voc.* Dachrymas.

*Curu-*

*Curules*, deinde etiam *Plebeii*. Erant nimirum *Insulæ*, uno quidem *aditu*, sed *area* introrsum communi, ab *Insularum Aquaticarum* similitudine ita appellatæ. Ita factum ut plures complecterentur *familias*, & plures adeo *tabernas* mercibus distrahendis idoneas, sub communium adeo *Magistratuum* cura, ut nos docet *Petronius*. *Ædes* itaque illas appellabant quibus nullæ essent molestæ *negotiatorum* viciniæ, nec ullæ *Magistratuum* curæ, quod proprios sibi *aditus* haberent, nec aliis patentes quam *Domesticis*. Erant enim istiusmodi *Ædes* Personis *Publicis*, & *Legatis* commodissimæ, simul ut *aditus* faciles præberent, & incolas ab injuriis tuerentur. *Loca libera* erant in *Theatris* quibus *Legatos* etiam adfuisse testantur Historiæ. *Libera* autem propterea dicebantur, quod nulla exigerentur à *Legatis* locorum *pretia* seu *vectigalia*. Sed *libertatem* illam ad *Ædes* retulerunt codices meliores, quod *illæ* nimirum essent à Vicinorum Magistratuumque illis, quas vidimus, molestiis immunes. Hic itaque secernuntur invicem *Ædes* & *loca* Legatis prœberi solita. In aliis *Livii* locis solorum occurrit mentio *locorum*, eo nimirum uno & communi nomine tam *habitandi* locum quam etiam *spectandi* complectentibus. Sed non *Ædes* solæ, verum etiam *victus*, solebat pro illo quod obtinuit *Hospitii* Jure, suppeditari gratis *Hospitibus*, quod multa docent Veterum loca. Hæc à *Privatis* & in *Ædibus privatis*, *hospitibus* poterant, in *speciebus* ipsis satis commode præstari. In *publicis* non item. Itaque *Legatis hospitibus* non *species* ipsæ erant, sed *specierum* potius *pretia* solvenda. Has autem *impensas*, pro *mora* Legatorum in *Urbe*, seu breviori seu diuturniori, oportet ipsas etiam vel graviores fuisse, vel leviores; *imparesque* adeo ut nullus fuisset in *Legatos* ipsos *impar cultus* aut *affectus*. Hæc ergo *victus* onera *Lautia* fuisse crediderim, quæ scilicet à *Donis Lautia erant* distinguenda. *Donis*, inquam, illis quæ *Legatis* ipsis mox *discessuris* erant, pro more mittenda. Dona nimirum *Apophoreta* à Legatis in Patriam deportanda, in *Hospitii* beneficiique futurum monimentum. *Lautia* autem in *victus pretium* solvenda, & in ipsa *Roma*, aut saltem in *Italia*, expendenda. Hæc nos breviter impræsentiarum observamus, dum meliora viderint acutiores. Suo autem tempore nulla jam amplius dari solita *Lautia*, propter *Legatorum* multitudinem, Auctor est [r] *Plutarchus*.

r Plutarch. *Quæst. Rom.*

*Posterior horum Fragmentorum pars nondum edita. Hic aliud* Apographum *nullum habemus præter* Vossianum. *Mutavit illius primus Auctor &* literas *ipsas, & justas* linearum, *quales in Marmoreis tabulis legebantur, ut e priori constat specimine,* mensuras. *Nos literas* majusculas *pro Apographi* minusculis *reposuimus.* Sententiarum *distinctiones illas observavimus quas nobis conservavit* Apographum.

[U. C. Varron. 692.]

D. IV. SYLLANO. L. MURE[1.] COSS.
AD. III. IDVS. SEXTIL.
FASCES. PENES. MVRENAM.

IS. BENE. MANE. α SACRVM. FECIT. AD. CASTORIS.

β DIIS. PENATIB. PVB. γ INDE. [2]COEGIT. IN. CVRIA. POMP[3AE.]

δ SYLLANVS. CVM. 4 ACCENS[IS.] CAVSAM. DIXIT. APVD. Q. CORNIFICIVM. PRO. SEX. RVSCIO. EX. MVNICIPIO. LARINATI. ACCVSATO. DE. VI. PRIVATA.

ACCVSAVIT. L. TORQVATVS. FILIVS. ABSOLVTVSQVE. EST. REVS. SENTENTIIS. XL. DAMNATVS. XX.

ε TVMVLTVS. IN. SACRA. VIA. INTER. OPERAS. CLODII. PVLCHRI. ET. SERVOS. T. ANNII.

ζ RIXA. 5 PO[......] ET. Q.

η SC. FACTVM. NE. MVLTA. AERARIORVM. TRANSEAT. AD. HEREDES.

θ TONVIT. SVB. MERIDIEM. FVLGVRAVIT. ET. QVERCVS. TACTA. IN. SVMMO. ARGILETO.

## AD. V. KAL. SEPTEMB.

ι M. TVLLIVS. CAVSAM. DIXIT. PRO. CORN. SYLLA. APVD. IVDICES. DE. CONIVRATIONE. ACCV-

1 [NA.] 2 [SENATVM.] 3 [EIA.] 4 [O.] 5 [PINONVM.]

SANTE.

SANTE. TORQVATO. FILIO. QVINQVE. SENTENTIIS. OBTINVIT. κ TRIB. AERAR. CONDEMNARVNT.

FASCES. PENES. SYLLANVM.

λ TRIB. PL. INTERCESSERVNT. SC. DE. TRIBVTIS. LAODICIAE. VT. DARENT. PRAEDES.

μ 6 [] PRAETOR. VRB. FILIAM. EO. DIE. DARET. NVPTVM. EDICTO. MONVIT. SE. IVS. NON. DICTVRVM. ET. VADIMONIA. OMNIA. IN. DIEM. QVINTVM. DISTVLIT.

TESTAMENTVM. MELIONIS. ALLATVM. MYCENIS. PRAETOR. PEREGRINVS. RESCIDIT. 7 Q [.] EXPRESSVM. ERAT. AB. EO. TORMENTIS.

ν C. CAESAR. IN. HISPANIAM. VLTERIOREM. EX. PRAETVRA. PROFICISCITVR. DIV. PRIVS. RETARDATVS. A. CREDITORIBVS.

ξ Q. TERTINIO. PRAETORI. IVS. DICENTI. NVNCIVS. ALLATVS. EST. DE. MORTE. FILII. FICTVS. AB. AMICIS. COPPONII. REI. DE. VENEFICIO. VT. CONCILIVM. DIMITTERET. ILLE. PERTVRBATVS. DOMVM. SE. RECIPIEBAT. SED. RE. COMPERTA. PERSEVERAVIT. IN. INQVIRENDO.

C. ACTIVS. COPPONIVM. VENEFICII. POSTVLAVIT. DIVINATIO. ACTIVM. INTER. ET. SEPASIVM. MINOREM. DE. ACCVSANDO. ACTIVS. OBTINVIT. 8 Q [...]. SEPASII. VXOR. SOROR. ESSET. NVRVS. COPPONII.

ο RIXA. AD. FORNICEM. FABII. ET. CAEDES. GLADIATORVM. DVORVM. EX. LVDO. CVRIONIS.

## AD. IIII. KAL. SEPT.

π FVNVS. METELLAE. PIAE. VESTAE. VIRGINIS. ILLATAE SEPVLCHRO. SVORVM. MAIORVM. VIA. AVRELIA.

ρ CENSORES. LOCAVERVNT. REFICIENDVM. TECTVM. AII. LOQVENTIS. H. S. XXV.

σ Q. HORTENSIVS. SVB. VESPERVM. ORATIONEM. HABVIT. PRO. ROSTRIS. DE. CENSVRA. τ ET. BELLO. ALLOBROGVM.

6 [CVM.] 7 [VOD.] 8 [VOD.]

*v* RELIQVIAE. CONIVRATORVM. CVM. L. SERGIO. TVMVLTVANTVR. IN. HETRVRIA.

*φ* CAVPO. AD. TRES. TABERNAS. OCCISVS. A. THRACIBVS. EBRIIS. IN. VIA. PVBLICA.

[V. C. Varron. 699]

GN. POMPEIO. MAG. II
M. LICINIO. CRASSO. II. COSS.

## KAL. MAII.

*χ* COSS. IN. GALLIAM. PROFECTI. AD. C. CAESAREM.

---

NOTÆ.

---

# NOTÆ.

a SAcrum fecit ad Caſtoris] *Caſtoris* illud Templum in *Regione* erat VIII. ad *Forum Romanum*, prope fontem *Juturnæ*. Vovit illud [a] *Poſtumius* Dictator in Prælio *Regillenſi* adverſus *Latinos*, An. U. C. pro Ær. *Varronian.* recepta vel 254. vel 258. Diſcrepabant enim invicem Veteres. Sic tamen ut plerique in poſteriori anno conſentiant. Dedicavit au-autem [b] *filius* ejus, hac ipſa cauſa *Duumvir* factus, anno ejuſdem Æræ 270. Fabula nota eſt de fratribus ambobus *Dioſcuris*, & in Prælio *pugnantibus*, & victoriæ *nuncium* referentibus. Inde *ambobus* Templum voverat Dictator, *Polluci* nimirum pariter ac *Caſtori*. Et quidem poterat *Caſtorum* nomen utriuſque fratris fuiſſe commune, pro uſu Veterum. Non tamen *Caſtorum*, ſed *Caſtoris*, appellationem vulgo obtinuit unum illud ambobuſque commune Templum. Sic in noſtra hac de qua agimus, Inſcriptione. Sic in *Livio* ubi ſupra. Sic in [c] *Cicerone*. Sic in aliis illorum Temporum Scriptoribus ſæpiſſime. Eo alluſit M. *Bibuli* Cæſaris in *primo Conſulatu* collegæ cavillatio, [d] *eveniſſe ſibi quod Polluci. Ut enim geminis fratribus ædes in foro conſtituta, tantum Caſtoris vocaretur: ita ſuam Cæſariſque munificentiam, unius Cæſaris dici.* Nec id modo in hoc Templo obtinuit fratrum *vetuſtiſſimo*, ſed & in aliis etiam eorundem *recentioribus*. Ita locum pugnæ inter *Othonianos* & *Vitellianos* locus *Caſtorum* appellatur in [e] *Tacito, ad Caſtoris* autem in [f] *Suetonio*. Obtinuit nimirum aliis, tam *temporibus*, quam etiam *locis*, mos ille jam *Romæ* receptus. Sed vero nihil habuit commune cum *Ædis* anniverſario dies ille quo Sacrum fecit *Conſul*, de quo hoc in loco agitur, *Murena*. Ipſis *Idibus Quinctilibus* victoriam adepti ſunt *Romani* quæ *Voti* reum damnavit Dictatorem *Poſthumium*, ut *Ædem* hanc curaret conſtruendam. Iiſdem *Idibus* etiam *dedicata* eſt, teſte, ubi ſupra, *Livio*. Et vero in *Dedicationis* memoriam inſtitui ſolebant olim, ut ſolent hodieque, dies *anniverſarii*. Non certe alium in hujus Templi cultu fuiſſe *anniverſarium* teſtantur Veterum *Kalendaria*. Condidit poſtea aliam geminis hiſce fratribus ædem *Tiberius Cæſar* in memoriam ſuæ cum *Druſo* fratre *fraternæ benevolentiæ*. Sed VI. Kal. *Februarias* illam *dedicavit*, ut è coævo

a Liv. *L. II. c.* 20. b Liv. *ib. c.* 42. c Cicer. *Philipp. V.* d Sueton. *Cæſ. c.* 10. & Dio. *L. XXXVII.* e Tacit. *Hiſt. II.* 24. f Sueton. *Oth. c* 9.

constat [g] *Ovidio*. Dies uterque longe alius erat ab eo, de quo hic agitur, III. *Iduum Sextilium*. Sed *diem* constitutum nullum habuisse videntur Sacra *Penatium* ad *ædem Castoris*. Superiori enim horum Actorum Urbanorum parte *Diis Penatibus*, sacrificabant Legati in Orientem profecturi. Non tamen III. *Id. Sextil.* sed III. *Non. Apriles*. Inde constat horum Sacrorum tempus *incertum* fuisse, & plane pro arbitrio Sacrificantium.

β *Diis Penatib. Pub.*] *Dii* illi *Penates* quinam fuerint, jam olim disputabant Eruditi. Quærebat *Nigidius* [h] *Figulus* num essent *Trojanorum Apollo*, & *Neptunus*, qui muros eis fecisse dicebantur. Nec alios fuisse existimabat *Cornelius Labeo*. Nec, ut putat *Macrobius*, * *Virgilius* versibus illis:

> *Sic fatus meritos aris mactabat honores:*
> *Taurum Neptuno, Taurum tibi, pulcher Apollo.*

Et sane *Taurum Penatibus* hisce mactabant *Legati*, de quibus supra in priori horum Actorum Urbanorum parte. *Varro in Libro rerum Humanarum Secundo Dardanum referebat Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Ænean ex Troja in Italiam*, detulisse, quæ ejus verba huc retulit *Macrobius*. Alii, quos ait [i] *Macrobius diligentius eruere veritatem*, *Penates* esse dixerunt, per quos *penitus spiramus*, per quos habemus *corpus*, per quos *rationem animi* possidemus; esse autem *medium æthera Jovem*, *Junonem* vero *imum aera* cum *terra*, & *Minervam summum ætheris cacumen*. *Et Argumento* (inquit) *utuntur, quod Tarquinius Demarati Corinthii filius* [*Priscus* nimirum] *Samothracicis Religionibus mystice imbutus, uno Templo, ac sub eodem tecto, numina memorata conjunxit*. *Cassius Hemina* illorum sententiæ accedebat, qui *Samothracas Deos* eosdem credebant cum *Romanorum Diis Penatibus*. Aliam *Nigidii* sententiam refert [k] *Arnobius*, sed *disciplinas Etruscas* sequentis (quæ aliæ in hac causa esse poterant à *Romanis*) genera nimirum esse *Penatium* quatuor, & esse *Jovis* ex his alios, alios *Neptuni*, *Inferorum* tertios, *mortalium hominum* quartos, *inexplicabile nescio quid dicentis*, inquit *Arnobius*. *Cæsii* rursus narrat aliam, quæ *Fortunam* eo nomine censeri arbitratus est, & *Cererem*, *Genium Jovialem* ac *Palem*, sed non illam *fœminam quam vulgaritas accipiebat, sed masculini, nescio quem* (inquit) *generis ministrum Jovis & villicum*. *Fortunas*, τύχας, cum *Geniis* eosdem in Prælectionibus ostendimus. Sed *Genii* illi *virorum* erant recte *Joviales*; *Fœminarum* enim illis oppositæ Tutelæ *Junones* appellabantur. Ita *Seneca* Ep. 110. Et sane *Tutelas* fuisse seu *privatas*, seu *publicas* constat Deos illos *Penates*.

g Ovid. *Fast.* L. I. h Macrob. *Sat.* III. 4. *Idem de* Nigidio Arnobius *L. III.*
* Virgil. *Æn. III.* 118. 119. i *Et apud* Arnob. *L. III.* k Arnob. *ub. supra.*

*Var-*

*Varronis* etiam aliam ſententiam idem habet *Arnobius* quæ *Deos* eſſe cenſebat qui eſſent *introrſus atque in intimis penetralibus Cœli*: *Hos Conſentes fuiſſe & complices Etruſcis, ſex mares totidemque fœminas, ſummi Jovis Conſiliarios ac Principes.* Miror illos *Arnobium nominibus ignotis* fuiſſe dicere, cum eos *notiſſimo Diſticho* complexus fuerit *Ennius.*

Fieri poteſt ut *data opera* Penatium *nomina ignota* eſſe voluerint Veteres. Eo nimirum fine ne *Incantationibus* evocarentur. Sic enim Numinis in cujus tutela *Urbs* ipſa fuerat, *nomen* celabant, ut ejus *Urbis* ipſius nomen *Latinum.* Nam nomen *Romam Græcum* plerique fuiſſe exiſtimant. Inde ſimiliter diſputatum ab eruditis de *Urbis* ipſius Numine præſide teſtatur idem [l] *Macrobius*, aliis *Lunam*, aliis *Angeronam*, aliis *Opem Conſiviam* illud exiſtimantibus. Alia autem fuerit oportet à *Gentis Romanæ Penatibus Urbis Romanæ* illa *Tutela.* Siquid tamen ſani complexæ fuerint Eruditorum juniorum illæ diſquiſitiones, nec à conjecturis totæ pependerint. Ratio tamen eadem tenuit, cur *Gentis* pariter ac *Urbis* Numen nollent *evocari.* Sed quæcunque demum cauſa fuerit, videmus interim omnia fuiſſe apud Veteres de his *Penatibus* incerta. Nec aliud ſane expectari potuit cum ne in eo quidem conſenſus eſſet quid ſibi vellet *vocis* ipſa *ſignificatio. Penatis* vocem à *penu* deducit [m] *Cicero*, ut ſcilicet *penoris* præſidem *Penatem* intellexerit. Sic Nominativo ſingulari *Penas* fuerit, quanquam etiam *Penatis* eodem caſu numeroque legi ex *Antiſtio Labeone Feſtus* obſervaverit. Poſterius id, ſi verum ſit, novæ Etymologiæ anſam dabit. Sed *penum* certe in animo habuiſſe videntur quos ait [n] *Dionyſius Halicarnaſſæus* vocem *Penates* Græce reddidiſſe κτησίους. Denotabit enim vox illa *Græca Penum* latiſſima ſua ſignificatione qua ea omnia complectitur quæ in familiæ uſus *domeſticos recondi* ſolebant *intus* & *penitus*, atque conſervari. Nec enim *eſculenta* duntaxat & *poculenta*, ſed & alium quoque domeſticum omnem apparatum, tam in *hominum* uſus, quam etiam *jumentorum*, illius vocis ambitu concludi docet [o] *Gellius.* Et ſane *ſpeciebus* ipſis potius quam *Numis* conſtabant veterum *divitiæ.* Et ſane à Religione *domeſtica* deducta fuiſſe videtur tota illa Religio Deorum *Penatium.* Penus *domeſtica* erat, & proinde *nomen* ipſum quod inde fluxit, *Penatium.* Sed *Lares* proprie appellabantur Dii illi præſides *penus domeſticæ.* Et *Lares Urbis Romanæ Penates* illos appellat * *Aſconius.* Nec multum diſcrepant *Larium Penatiumque* ipſæ formæ. Legimus in Numo Gentis *Antiæ* apud *Urſinum* DEI PENATES. Paulo quidem aliter quam vult * *Varro.* Negat enim ille *Populum* dicere DEI ſed DII. PENATES. Suntque illi quales deſcribuntur à *Dionyſio Halicarnaſſæo*, aliiſque, & in numis Gentis *Sulpiciæ*, Juvenes

l Macrob. *Sat. III.* 9. m Cicer. *Nat. Deor. L II.* n Dionyſ. Hal. *L. I. p.* 54. o Gell. *L. IV. c.* 1. * Aſcon. *p.* 57. * Varr. *Ling Lat. L. VII. p.* 98.

ple-

pleꝛunque ſedentes, capitibus, modo, pro *Phrygum* more, *pileatis*, modo *diademate* cinctis, *haſtas* vero manibus tenentes. Nec ſane aliter pinguntur *Lares* in numis Gentis *Cæſiæ*, apud eundem *Urſinum*. Sic fuerint *Penates* illi *Trojanorum* quaſi *Dii Domeſtici*. Inde *Romanis Publici*, qui ſcilicet ab *Ænea* comitibuſque ejus *Trojanis* ortum duxerant. Sic itaque *Annonæ Publicæ horreiſque* & *Conditoriis* præfuerint publici illi *Populi Romani Penates*, quæ erant profecto κτήσεις, ut ex illorum temporum Hiſtoriis conſtat, *Populo* gratiſſimæ. Erat præterea alia *vocis* Etymologia à voce *penitus* vel *penetrali* in quo ſiti erant *Penates*. Si tamen aliud à *penu penetral*. Pro eodem habet certe [p] *Servius*. Nam & *ipſum penetral* (inquit) *penus dicitur*, *ut hodie quoque penus Veſtæ claudi vel aperiri dicitur. Et Penum ipſum ab eo quod penitus* reconderetur dictum volunt alii. Sed *Penetral* illud *Penatium* duplex credebatur, vel *Adytum* in quo *ſedes* eſſe ſolebat ſimulacri, horum præſertim Deorum *arcanorum* maximeque *ignotorum*; vel etiam *Cæli*. Hanc certe Etymologiam ab oculos habuiſſe videntur quos dicit *Penates Dionyſius* tranſtuliſſe μυχίους. Μύχος enim idem, ni fallor, cum ἀδύτῳ in imo Templi ſinu & receſſu. Sed ea præſertim ratione μύχιοι *Penates* quod eos videre *fas nulli eſſet præterquam Sacerdoti*, ut docet ibidem *Servius*. Eodem referendam aliam putat *Sylburgius Penatium* verſionem à *Dionyſio* memoratam, qua tantundem valere credebatur *Latine Penates* quod *Græci* ἕρκιοι. Erat enim ſane *Adytum* illud ſeu *Penetral*. ἕρκος quo *arcebantur* ab eorum conſpectu prophani. Nec enim aliam habebat vox ipſa *arcendi* apud *Latines* Etymologiam quam à *Græca* voce ἕρκος. Πατρῴους porro & Γενεθλίους *Græcis* fuiſſe *Penates* idem teſtatur *Dionyſius*. Quà ſcilicet *Penates* dicti quaſi *penes nos nati*, ut recte *Sylburgius*. Hæc ergo *Penatium* Epitheta è vi ipſa *nominis* deducta eſſe conſtat.

Erat præterea *res* etiam ipſa apud *Romanos* Scriptores admodum incerta, quo ſcilicet in *loco* vere colerentur *Dii Penates*. Erat enim in *tribus* certe diverſiſque invicem *locis* cultus, pro diverſis Scriptorum ſententiis, *Deorum Penatium*. Utque erant diverſæ invicem de *Diis* eorum *locorum* Auctorum ſententiæ; ſic etiam diverſas fuiſſe neceſſe erat de *Diis* ipſis *Penatibus*. Imo inde fluxiſſe arbitror tam varias illas de *Penatibus* opiniones. Favebant enim, ni fallor, ſententiarum diverſitati ipſi Magiſtratus. *Oraculum* habet *Dionyſius*, tamdiu ſalvam fore urbem dum ſalvus eſſet *Penatium* cultus. Hoc ad *Trojam* retuliſſe conſtat qui *Penates* illos pro *Diis* habebant *Trojanis*. Hoc idem ad *Romam* retuliſſe illos oportuit qui eoſdem *Trojanorum Penates* credebant ab *Ænea* in *Italiam* delatos. Itaque ad *fatum Urbis* ſpectare credebatur ut in tuto eſſent *Dii* ipſi *Penates*, ſalvæ ipſorum cœrimoniæ. Eo rurſus faciebat ut *incertum* eſſet quo in

p Serv. Danielis *ad Æneid. III. p.* 270.

loco

*loco* fuiſſent ſervati. Inde enim id lucrabantur, ni *loca* illa *omnia* expilata eſſent, ab *hoſtibus*, incertum fore num *Penates* violaſſent *tutelas Reip*. Simili enim arte *fatale* & a *cœlo*, ut ferebant, delapſum *ancile* cuſtodiebant, factis ad ejus exemplum *aliis ancilibus*, quæ fuerint etiam *diverſis* in *locis* recondenda. Erant, ut vidimus qui *Penates*, ad Templum illud retulerint *Tarquinii Priſci* quo cultos fuiſſe diximus, *Jovem*, *Junonem*, & *Minervam*. Nec ſane aliqua *Hiſtoria* ſuam illam ſententiam confirmabant, ſed ſuis duntaxat *Ratiociniis*. Eo præcipue quod illorum numinum beneficio penitus *ſpirare* crederent homines. A voce *penitus* pendet, uti vidimus, acumen Argumenti. Idque inde procedit quod *elementa Naturalia* horum *Deorum* nominibus *Myſtice* ſignificata, *Æther* nimirum *ſummus*, *mediuſque* & *infimus aer*, ſint humanæ naturæ *penitiſſima*. Erat autem hoc Templum in *Capitolio veteri*, ut nos docet [q] *Varro*.

Retulerunt alii *Penates* ad ſacra alia, non *Romæ*, ſed *Lavinii*, præſtari ſolita à *Magiſtratibus Curulibus* officium inituris. Sic enim * Macrobius: *Conſules* (inquit) *Prætores*, *ſeu Dictatores*, *cum adeunt Magiſtratum*, *Lavinii rem Divinam faciunt Penatibus pariter & Veſtæ*. Moris illius ortum à *fabula* deducunt. Aiunt nimirum, cum *Coloniam* deducerent à *Lavinio*, bis tranſlata Deorum illorum ſimulacra ſponte ſua *Lavinium* rediiſſe. Inde collegiſſe veteres, numina ipſa ſeſe alibi quam *Lavinii* coli noluiſſe. Proinde eo conceſſiſſe *Conſules* alioſque *Curules Magiſtratus* Sacra facturos in *Magiſtratuum auſpiciis*. Hanc fabulam narrat *Dionyſius* de priori colonia *Albana*, quam de poſteriori *Romana* *Servius*. In eo tamen ambo cum *Macrobio* conſentiunt, *Lavinii* fuiſſe illa *Magiſtratuum ineuntium* Sacra. Imo ne *Lavinii* quidem ſed *Laurolavinii*, unde *Colonia* ipſa *Lavinienſis* fuerit (quæ eadem erat cum *Laurento*) *Penates* ponit *Servius*. Sed vetuſtiſſimas illas Urbis *Romanæ metropoles* Civitates mire invicem confudiſſe *Veteres* obſervavit Cl. *Philippus Cluverius*. Hoc enim vereor ut verum eſſe potuerit, cum in monte *Albano* Sacra illa fere memorent Hiſtorici, quotquot habemus, juniores. Imo *Albæ* Templum illud *Veſtæ* erat (quod cum Penatium cultu jungit *Macrobius*) ut è [r] *Juvenali* conſtat. Niſi forte *Lavinii* memoriam retinuerint Sacra aliqua *montis Albani*, & *loca* adeo Sacrorum illorum propria. Ita ſane rem habuiſſe neceſſe eſt pro eorum mente qui reditum illum *imaginum* illarum factum volebant in deducenda *Colonia Romana*. Nec enim à *Lavinienſibus*, ſed ab *Albanis Romanos* deductos fuiſſe conſtat. Et quidem *Lavinii* ſedem *Penatium* ponit *Varro*, ne obſcurum quid ipſe ſenſerit exiſtimemus cum *Macrobio*. Verba ejus in hanc ſententiam diſerta illa ſunt. [ſ] *Oppidum quod primum conditum in Latio ſtirpis Ro-*

q Varr. *L. IV. p.* 38. * *Et* Aſconius Pedian. *in Orat.* Ciceron. *pro* M. Scauro. *p.* 171. r Juvenal. *Sat. IV.* ſ Varr. *Ling. Lat. L. IV. p.* 35.

*manæ*

*manæ Lavinium. Nam ibi Dii Penates noſtri.* Idem præterea eoſdem illos credidit quos è *Samothrace* in *Trojam Dardanus*, è *Troja* rurſus in *Italiam* tranſtulerit *Æneas*. Ut plane eoſdem putarit cum illis quorum *Myſteria* celebrari ſolebant in *Samothrace*. Ita conſentaneum erat ut à *navigaturis* in *Aſiam* Legatis colerentur, ut culti ſunt ſimiliter à *navigantibus* ad *Colchos Argonautis Dii Samothracum*. Vim enim magnam adverſus *pericula naufragii* Myſteria illa habere credebantur. Cur autem illos eoſdem crederent, ipſæ illæ ſuadebant *gentium* origines, Qui enim *Romanos* ab *Albanis*, *Albanos* à *Lavinienſibus*, *Lavinienſes* à *Trojanis*, *Trojanos* denique à *Samothracibus* ortos credebant; quidni etiam *Penates publicos* cum iiſdem communes fuiſſe crederent? Faciebat eodem *Inſcriptio Magnis Diis* à [t] *Servio* memorata quæ Deorum erat *Samothracum*. Ab hac opinione fluxere alii *Penatium* tituli, [u] μεγάλων, χρηστῶν, δυνατῶν; qui erant etiam ipſi Numinum in *Samothrace* cultorum. Fluxit deinde recepta illa de *Penatibus* opinio ad *aliorum Templorum* Numina qua eadem haberi ſolebant cum *Penatibus*. Cultos à *Tarquinio Priſco*, origine *Corinthio*, Deos *Samothracum* credebant, uti ſupra vidimus. Eadem erat de æde *Caſtorum* opinio, ut mox videbimus.

Itaque conſtituto *Penatium loco*, pro ſententia *Varronis*, etiam de *Diis Penatibus* ipſis ſententiam ejus explicabimus. [x] *Principes* ergo *Deos* ille *Cœlum* fuiſſe cenſuit ac *Terram*, eoſdem nimirum cum *Ægyptiorum Iſide* & *Serapide*, cum *Phœnicum Taaute* & *Aſtarte*, cum *Latii Saturno* & *Ope*. Itaque *Saturnus* & *Ops* vera fuerint *Penatium Latinorum* nomina pro ſententia *Varronis*. Erant enim certe, ſi illum audiamus, hæc ipſa *Samothracum* numina. Ita nos docet in ſequentibus: *Terra enim & Cœlum, ut Samothracum initia docent, ſunt Dei Magni; & hi, quos dixi, multis nominibus.* Pergit deinde refellitque receptam de ſtatuis *Penatium virilibus* ambabus ſententiam. *Nam neque* (inquit) *quas Ambracia ante portas ſtatuit duas virileis ſpecies aheneas, Dei magni; neque, ut vulgus putat, hi Samothraces Dii, qui Caſtor & Pollux: ſed hi mas & fœmina; & hi quos Augurum Libri ſcriptos habent ſic, Divi potes: & ſunt pro illeis qui in Samothrace* θεοὶ δυνατοί. His certe verbis oſtendit de *Diis Penatibus* omnem illi, hoc in loco, fuiſſe ſermonem. Refellit enim eorum ſententiam qui *Caſtorem* & *Pollucem*, & ſtatuas duas *viriles* pro *Diis* habebant *Samothracum*, *Romanorumque Penatibus*. *Timæus* erat, ut nos docet *Dionyſius*, qui vulgo in ea ſententia præivit. Erantque ſane, in Templo *Caſtorum*, ut, qui vidit ipſe, teſtatur *Dionyſius*, duæ ſtatuæ *viriles Pollucem* & *Caſtorem* referentes. Sed *Samothracum* illa *Albanorumque* Numina latuerant Scriptores, ut videtur, ante *Varronem*, omnes. Id fatetur agnoſcitque *Dionyſius*,

[t] Nam & in baſi *inſcribebatur* Magnis Diis, *Serv. ad Æn. III p. 270.* [u] *Macrob. III. 4.* [x] *Varr. Ling. Lat. L. IV. p. 37*

qui

qui vanam eſſe putat de illis conjecturam, quæ nemo præter *Sacerdotes* viderit. Inde pugnæ illæ aliæ, de *Statuarum*, non *ſexu* modo, verum etiam *materia*. Κηρύκια ſive *caduceos* in illarum manibus *ferrea* fuiſſe aut *ænea*, *teſtam* autem *figlinam Trojanam* teſtatur apud [y] *Dionyſium Timæus*. E quibus ejus verbis *teſtaceas* illas fuiſſe colligimus. *Varro* tamen *ſigilla* ab *Ænea* in *Italiam* advecta *lignea* fuiſſe vel *Marmorea* prodidit, ut nos docet [z] *Servius*. Ita *Varronem* nihil latuit Religionum omnium Myſteriorumque diligentiſſimum exploratorem, & in eorum Libris (ſiqui extarent) verſatiſſimum. *Penates* autem cum *Diis Magnis* eoſdem fuiſſe, pro *Varronis* mente, teſtatur [a] *Servius*. *Varro* (inquit) *unum eſſe dicit Penates & Magnos Deos*. Itaque cum *Magnos Deos* illos fuiſſe crediderit quos diximus; non alios utique pro *Penatibus* habuiſſe conſentaneum eſt. Sed oppugnat ejus illam ſententiam Servius: *Nam & Dii Magni ſunt Jupiter, Juno, Minerva, Mercurius qui Romæ colebantur. Penates vero apud Laurum Lavinium. Unde* (inquit) *apparet non eſſe unum.* Sed fefellerunt *Servium* hoc in loco ſuæ rationes. Qui enim *Penates Lavinienſes* credebant, iidem etiam pro *Diis Magnis* habebant. Et viceverſa quibus *Dii Magni* erant Numina illa *Romana*, iiſdem etiam vidimus fuiſſe *Penates*.

Erant tamen denique alii qui in hac ipſa, de qua agimus, *Caſtoris* æde coli credebant *Deos Penates*. Imo *vulgi* receptiſſimam illam fuiſſe ſententiam oſtendit, ubi ſupra, *Varro*. Hi *Caſtores* ipſos pro *Penatibus* habebant, *Diiſque Magnis Samothracum*. Sed perperam *Varroni* ſententiam illam tribuit *Servius*, uti jam oſtendimus. Erat tamen *Dionyſii*, ut videtur, *Halicarnaſſæi*. Templum ille certe in quo *Juvenes* ille duos *haſtatos* conſpexerit, *antiquo opere*, eodem videtur in loco ponere in quo & noſtra ſita erat *ædes Caſtorum*. Erat enim non procul à *foro Romano*, ſecundum viam quæ ad *Carinas ferebat compendio*, in *loco obſcuro* propter *ædificia*. Et in *foro Romano* ponitur *ædes Caſtoris*. *Ædificiiſque* circumſeptam exinde conſtat quod *Caligula* in *Palatii* ſui [b] *veſtibulum* ædem illam converterit, ut ſcilicet medius ipſe inter duos fratres appareret dum Palatium ingrederetur, aut ex eo prodiret. Argumentum etiam quò fulta fuerit *vulgi* illa opinio profert *Dionyſius*, quod *Inſcriptionem* illæ haberent imagines DENAS, quam ille ita interpretatur ut *Penates* deſignarit, *D* nimirum locum ſupplente literæ *P* quæ nondum erat inventa. Sed *ambabus imaginibus* illam fuiſſe Inſcriptionem non dicit, quæ numerum refert *ſingularem*, & *uni* propriam. Poteratque *alterius fratris* vere eſſe propria, illius nimirum qui fuerat ipſe mortalis. *Denaſci* enim veteres pro *mori* dicebant, ut *Græci* ἀπογίνεσθαι, obſervante ad *Varronem* [c] *Scaligero*. Sed *vera* fuerit hæc *vulgi* opi-

[y] *Ap.* Dionyſ. *L. I. p.* 55. [z] Serv. *ad Æn. I. p.* 202. *Ed.* Daniel. [a] Serv. *ad Æn. III. p.* 270. [b] Sueton. *Calig.* [c] Scalig. *ad* Varr.

nio,

nio, an *falsa*, ad causam nostram nihil attinet. Nobis satis est ut *Deorum Penatium* cultum ad *Castoris* receptum fuisse probaverimus. Imo *Penatium* loco habitos fuisse ipsos ædis præsides fratres *Pollucem* & *Castorem*. Receptis enim à *vulgo* opinionibus obsecuti sæpe *Consules*. Præsertim in *ominibus portentisque* procurandis, siqua fortasse injecta fuisset *Religio* de cultu *Penatium* rite celebrando. *Penates* certe *Lavinienses* à *Consulibus* omnibus quotannis cultos fuisse constat. Nec certis *feriis*, sed *conceptivis*. Potuit & *Penatium* horum cultus iisdem videri necessarius, *omini* averruncando, siquis fuisset metus, ne male cessurum fuisset Reip. ni cultus *Penatium* etiam alibi quam in *monte Albano* procuraretur. Quod vero *Penatibus* facta ea *Sacra* dicuntur quæ ad *Castoris* facta sunt, potius quam *Castoribus* aut *Dioscuris*, (quanquam etiam ipsa facta *Castoribus*) ea, ni fallor, erat ratio. Nihil illa Sacra ad *Castores* spectabant qua Dii erant *Peloponnesii*; sed qua, *Mysticis* rationibus, cum *Diis Magnis*, *Penatibus* adeo *Romanis*, iidem credebantur. Nihil illa nimirum ad victoriam pertinebant *Regillensem*, operamque, quæ ferebatur, in ea navatam à *Castoribus*, quæ *Templi* causa erat à *Dictatore* vovendi. Quæcunque Sacra in illius memoriam instituta sunt, ea *Castoribus* ipsis sub ipso *Castorum* nomine, & alio, ut vidimus, *die*, dicata sunt. Sed alia longe erat *Castorum* arcana *significatio*, & arcana adeo *virtus* à *Mystis* denotata sub nomine *Penatium*, qua nempe non *Sacra* erant tantummodo, verum etiam *Mysteria* à *Samothracum Mysteriis* deducta. Qui ergo Potestatis *Mysticæ* beneficium cupiebat, ei ipsis quidem *Castoribus*, non tamen sub Historico nomine *Castorum*, sed Sacro, *Penatium* Sacra erant peragenda.

Inde contigit, ni fallor, quod *ædem Penatium* ibidem aliam memorent Antiqui *Urbis* descriptores ab *æde Castorum*, etiam in eadem Urbis VIII. Regione. Nec illi modo. Memorant etiam alii Veteres. *Ædem Deorum Penatium in Velia* referunt [1] *Livius* & [2] *Varro*. Olim Palatium fuisse *Tulli Hostilii* testantur [3] *Varro* & [4] *Solinus*. Erant nimirum in his locis omnibus ædes *duplices*. Delubrum *Vestæ* cum *Penatibus* Populi Romani exustum dicit [5] *Tacitus*. Et *συννάως Vestæ* fuisse *Penates* testatur, ubi supra, *Macrobius*. Itaque ad *ædem Vestæ* alia tamen erat *ædes Deorum Penatium*. Sic itaque qui *Vestæ*, qui *Castoribus*, *Historice* intellectis, Sacra faciebant, illi ad ædem *Vestæ* aut *Castorum* Sacrificia mactabant. Qui autem illos, qua *Penates* colere vellent, & sensu *Mystico*, illos oportebat, non ad ædem *Vestæ*, aut *Castorum*, sed ad ædem *Penatium* adjunctam, Sacra admovere. Sic recte forsitan intelligimus, formam illam loquendi in hoc nostro monumento usurpatam, qua Sacra facta legimus ad *Castoris*, *Diis* tamen *Penatibus*. Nempe Sacra *Diis Penatibus* ad *Castoris* facta pro-

1 *Liv. L. XLV.* 16. 2 Varr. *Ling. Lat. L. IV.* 3 Varr. *ap.* Non. *tit. de Doct. indag. Fragm. p.* 58. 4 Solin. *Pol. c.* 1. 5 Tacit. *ubi supra.*

pterea dicuntur, ut ab aliis locis diſtinctio fieret in quibus eoſdem cultos diximus *Penates*. Cultus enim *Deorum Penatium* poterat ad quemvis eorum locorum referri in quibus receptus fuerat eorundem ille cultus. Cum autem adduntur voces *ad Caſtoris*; ita cautum ne *ad Veſtæ* Conſules, aut *Lauri Lavinii* ſacrificaſſe putaremus.

Dicuntur porro hi *Penates* hoc in loco *Dii Publici*. Superius autem *Dii Penates P. R.* ſeu *Populi Romani*. Eodemque redit utrovis nomine appellentur. *Publica* enim omnia à *Populo* appellata eſſe conſtat. Ita *Publica pondera* ea erant quibus *Populus Romanus* uti ſolebat. *Publica Sacra* quæ *publico ſumptu* pro *Populo* fiebant. *Publici Augures* erant qui *P. R. Quiritium in Auguralibus* dicerentur. Hæc enim exempla in *Paulo* occurrunt & *Feſto*. Et *Publii* Prænomen *Græcis* Πόπλιος eſt. Et *Valerius* ille qui à *Populi* cultu *Poplicolæ* nomen reportavit, is idem *Publicola* eſt in antiquis item monumentis. Nec de eo lis ulla eſt, quod quidem ſciam, apud veteres, ſeu *Grammaticos*, ſeu etiam *Juriſconſultos*. Sed *Penates Populi Romani*, pro forma priori, memorat d *Tacitus*. Sed voce *Populi* plerumque Veteres *Cives* complectebantur univerſos, tam ſcilicet *Plebeios* quam etiam *Patricios*. Iſque vocis uſus tum etiam obtinet cum etiam arctior ejus ſignificatio uſurpari videtur. *Poplicolam* diximus appellatum eſſe *Valerium*, quod *Plebeiorum* partes foveret. Inde *Popularis Conſul* appellatus *Livio* L. II. c. 8. Et *Senatui Populus Romanus* opponitur in pleriſque veterum formis. Non tamen *Senatores* excluduntur, cum videtur excludi *Senatus*. *Populi* nomine illi omnes intelliguntur qui locum habebant & ſuffragia in *Comitiis*. Ea autem tam *Patricii* habebant in Comitiis pleriſque quam *Plebeii*, & *Senatores* adeo qua *cenſum* habebant. Sic itaque *Plebeios* includit illa vocis ſignificatio ut tamen interim *Patricios* non excludat. Idque voluit *Popularis Conſul Valerius*, aliique illi qui *Livio Populares* appellantur, non ut Jura aliqua *propria* eſſent *Plebeiorum*, ſed potius ut *Jura Senatorum* communia eſſent cum *Plebeiis*. Sic viceverſa *Populus* nonnunquam *Plebeiis* opponi videtur. Sed eadem illa ratione, non ut *Patricios ſolos*, ſed ut *una* cum illis *Plebeios* includeret. Sic fuit apud Veteres forte perpetuum ut *Populi* nomine univerſi cives intelligerentur, tam *Plebeii* nimirum quam *Patricii*. Sic *Popularia Sacra* ea fuiſſe quæ *omnes Cives* facerent, obſervavit è *Labeone Feſtus*. Sed *Ludos Populares* e *Scaliger* in *Feſto* de *Plebeiis Ludis* interpretatus eſt, *ut ſæpe* (inquit) *Populus pro Plebe dicitur*. Utinam *exempla* dediſſet. Hoc ſane loco ſenſus ille non adeo, quam dicit, *manifeſtus* eſt. Poterant enim, ut *Sacra Popularia Sacris familiarum ſingularum* opponuntur; ſic etiam *Ludi Populares familiarum Ludis* opponi. *Ludos* certe in *Familiarum Sacris Romani* ſæpe memorant Hiſtorici.

d Tacit. *Ann.* XV. 41. e Scalig. *ad* Feſt. *verb.* Romani. *p.* 171.

rici. Memorant hæc ipſa *Acta Urbana*, in quibus *Martiæ Ludos Scænicos* à *filiis* ejus datos legimus. Nec illud certum, *Populares* illi *Ludi* fuerintne *Plebeii* illi ab *Ædilibus Plebeiis* curari ſoliti, tam bene in Hiſtoria *Romana* noti. *Jovis Epulum* fuiſſe *ludorum cauſa* non uno in loco, de *Plebeiis* illis *Ludis* teſtatur [f] *Livius*. Cur ita ſi *Cereri* illi ſacri fuiſſent quod de *Ludis* hiſce *Popularibus* affirmat, non *Feſtus* ipſe, ſed *Paulus Feſti* corruptor. Erat certe *Ceres* cum *magna Dea* eadem cui dicati erant *Ludi Romani Megalenſes*. Et locum habebant in *Ludis Megalenſibus* tam *Plebeii* quam *Senatores* etiam cum *ſedes* haberent à *Plebeiorum ſedibus* diverſas *Senatores*. Itaque non opus erat *Ludis aliis* in honorem *Cereris Plebeiorum* propriis. Sed rara admodum ſunt, ſiqua forte ulla ſint, exempla, in quibus *Populus* aliter accipitur quam diximus. Itaque *Penates* hi *Populi Romani* erant univerſorum communes, tam *Patriciorum* nempe quam *Plebeiorum*. Opus tamen erat ut *Penates Publici* à *Privatarum Penatibus* Familiarum *propriis* ita diſtinguerentur. Præſertim; cum *frequentiſſimus* is eſſet *vocis* uſus quo non *Penates Populi Romani Publicos*, ſed *privatos*, denotare ſolebat.

γ *Inde coegit in Curia Pompae.*] Vix eſt quod dubitemus vocem *Senatum* prætermiſſam eſſe ab eo, quicunque demum is fuerit, qui primus Apographum *Voſſianum* è marmore deſcripſerit. Nec tamen vel *ſpatium* ſaltem, vel *literarum* aliqua *veſtigia* obſervavit quæ per vocem illam ſupplerentur. Ejuſdem negligentiæ exempla in priori hujus monimenti parte docuit Apographum *Pighianum*. Ibi etiam ſimile exemplum habemus coacti à *Conſule* poſt Sacra *Matutina* in *Curia* Hoſtilia *Senatus*. Idque firmat locus ipſe in quo cogebantur. Curiarum enim uſum duplicem duntaxat agnoſcunt Veteres: ut ſcilicet in illis [g] *curarent Sacerdotes res Divinas*, qui inde *Curiones* appellabantur; *utque Senatus res Humanas*. Sed *Curiæ Sacrorum* cauſa conſtitutæ *Veteres* à *Varrone*, à *Feſto Calabræ* appellantur. Inde *Curiales* & *Servi* Sacrorum publici, & Sacrorum *participes* appellabantur. *Tribules* nimirum illi. *Tribubus* enim reſpondebant eodem numero *Curiæ*, quod *Tribuum* Sacra in his peragerentur. Id enim docent [h] *Feſtus* & [i] *Aſconius*, & forte *Verrius Flaccus* apud [k] *Gellium*. Inde *Curiales* Græcis συμφυλέται. Scio refragari doctos, fruſtra tamen, ut opinor, cum tot habeamus in contrarium veterum teſtimonia. Eo ſpectabant *Curiales Flamines*, *Curiales menſæ*, *Curionia Sacra*, *Curionium æs*, etiam *Comitia Curiata* in eo à *Tributis* diſtincta quod *Sacrorum* cauſa cogi ſolerent. In eo etiam quod in Comitiis *Curiatis*, pro *Tribu* ſua ſuffragia haberent etiam *Patricii*; non item in *Tributis*. Sed alia erant ab illis *Curiis* Curiarum illa, de qui-

f Liv. *XXV*. 2. *XXXI*. 4. g Varr. *Ling. Lat. L. IV. p.* 37. *L. V. p.* 53. h Feſt. *voc.* Centumv. & *voc.* Curia. i Aſcon. *in* Varr. 111. k Gell. *L. XVIII. c.* 7.

bus

bus agimus, *Senacula*, non *Divinarum* nempe rerum, ſed *Humanarum*, propria. Hujuſmodi *curiam* primus condidit Rex *Tullus Hoſtilius*, Hoſtiliam. Nec alium in uſum hanc etiam *Curiam* ſtruxit *Pompeius Magnus* prope *theatrum* ſuum in Urbis Regione IX. à ſe *Pompeiam* appellatam. Quam tamen vocem corrupit Auctor Apographi *Voſſiani*.

δ *Syllanus cum accenſis cauſam dixit* &c.] Hic rurſus male Inſcriptionem deſcripſit, ni fallor, Auctor Apographi *Voſſiani*. Erant quidem *Adcenſi* ſeu *Accenſi* (utroque modo vox illa ſcribitur) *Adſcriptitii* ſupra numerum *milites* in locum mortuorum ſufficiendi. Hic vero, de quo agimus, *Accenſus* in miniſterio erat *Conſulis* quem pluſquam unicum *unico Conſuli* nulla memorant Veterum Teſtimonia. Vocis Etymon non unum tradunt veteres. Nunc enim eos ita dictos exiſtimant quod *ad cenſum* adjecti eſſent, quod illis præſertim *militibus accenſis* conveniebat ſupra Legionum *cenſum* addititiis. Ita [l] *Feſtus*. *Conſulis accenſo* magis quadrat origo à [m] *Varrone* tradita, ab *acciendo*. *Præconis* enim officium oſtendit *accenſum* ſuppleviſſe. E formis etiam *Commentariorum Conſularium* antiquiſſimis *Calpurnium* illum appellatum fuiſſe colligimus. Illæ ita ſe habebant: *Qui exercitum imperaturus erit* (inquit ibidem *Varro*) *accenſo dicit hoc*, *Calpurni*, *voca inlicium omneis Quiriteis huc ad me*. *Accenſus dicit ſic*, *Omnes Quirites inlicium viſite huc ad judices* &c. Poterat *Calpurnius* nomen eſſe *officii* ab ejus nomine proprio qui *primus* fuerat in illo ipſo officio. Sic enim virgines *Veſtales* omnes *Amatæ*, cum *caperentur*, appellari ſolebant, quod quæ prima capta fuerat hoc nomine appellatam eſſe à majoribus acceperant. Formam *Varronianæ* ſimilem in captione Virginis *Veſtalis*, qua *Amata* appellabatur, è *Fabio Pictore* Hiſtorico antiquiſſimo retulit [n] *Gellius*, eamque dedit, quam modo aſſignavimus, rationem. Addit præterea, quæ *prima* capta eſt, eam ſub *Numa Rege* captam eſſe. Potuitque ſub *Numa* incepiſſe nomen *Calpurnii*. Gens certe [o] *Calpurnia* à *Calpo Numæ* filio deduci ſolet. Quid ſi ſimiliter primus accenſus fuerit primus ille *Calpurnius*? Etiam ſub *Romulo* in raptu *Sabinarum* cum una ad *Talaſſium* rapta duceretur, eamque ab obviis tutaretur nomen illud *Talaſſii* Populo gratiſſimum; inde factum ut *Sponſi* deinde omnes *Talaſſii* appellarentur. Ita *Numa* ipſo mos ille antiquior eſſe potuit. Erat, fateor, apud poſteros, *vilius* officium accenſi. *Accenſos* enim *Miniſtratores Cato* fuiſſe ſcripſit, teſte [p] *Varrone*. *Varro* ipſe eò ſpectat dum ab [q] *arbitrio* nomen *Accenſi* deducit, quaſi *idem valeret* [r] *cenſere & arbitrari*, penderentque adeo ab ejus *arbitrio* cujus fuiſſent miniſtri. Eodem etiam ſpe-

*l* Feſt. *voc.* Adcenſ. & Adſcript. *m* Varr. *L. V. p.* 62. *n* Gell. *Noct. Attic. L.* I. *c.* 12. *o* Feſt. *voc.* Calpurn. & Lucan. *Paneg. ad* Piſon. *p* Varr. *L. VI. p.* 75. *q* Varr. *ib.* *r* Varr. *ap.* Non. *voc.* cenſere.

ctare potuit quod de illis alibi ſcribit idem Varro, [s] *Accenſos dictos, quod ad neceſſarias res accirentur, velut accenſitos.* Et ſane hoc officium non in *beneficii* loco, ſed in *laboris* ac *muneris* fuiſſe, nec temere niſi *libertis* delatum ait [t] *Cicero*, quibus illi [*Domini* ſcilicet] non multo ſecus ac *ſervis* imperabant. Hunc morem ait etiam fuiſſe majorum. Num vero à *Numa* uſque morem illum acceperint, ex eo ſane non conſtat. Fieri tamen poteſt ut officium illud non dedignati fuerint ſub *Numa* filii familias, dum ſcilicet *in poteſtate* eſſent, nec à *Servis* multum proinde diſcreparent.

Quod porro cum *accenſo* ſolo cauſam egerit *Sext. Ruſcii*, ſine *lictoribus*, Conſul ipſe *Syllanus*, ratio erat quod penes *Murenam* eſſent collegam *faſces* Conſulares. Inde nimirum intelligimus *faſcibus* deſtitutos ne quidem in *Conſulis* ſatellitio fuiſſe *lictores*. Morem deinde, qui fuerat antiquus, poſt triennium revocavit, uti ſupra vidimus, *Cæſar*, ut etiam *ſine faſcibus* Conſulem *lictores* pone ſequerentur, præeunte ſcilicet *accenſo*. Ita itaque intelligendus eſt *Suetonius*.

Egit præterea cauſam *Ruſcii* Conſul *Syllanus*. Ned id ſine aliis temporum illorum exemplis. Habemus enim *Ciceronis* pro privatis Orationes ſimiliter *Conſulares*. *Municipii Larinatis*, unde fuit *Ruſcius* ille, meminit [v] *Cicero*, & quidem ita ut *municipium* appellet. *L.* ille *Torquatus* filius qui *Ruſcium* accuſavit, idem, ni fallor, erat Accuſator *Cornelii Sullæ*. *Juvenem* illum appellat *Cicero*. Utroque enim tam *filii*, quam etiam *juvenis* Epitheto, erat à *Patre* cognomine diſtinguendus· Denique *Q. Cornificio* hujus anni *Prætore* locupletanda eſt Collectio *Pighiana*. *Sors* etiam Præturæ ejus inde colligitur, quod coram eo de *vi privata* actum fuerit. Erat ſane in Senatu [x] *Cornificius* ſine anni *Varroniani* 692. cum *Bonæ Deæ* Sacra inceſtaret *Clodius*. Nec *diu* tamen, quod ſatis apte convenit cum eo quod hujus anni *Prætor* fuerit. Eum *principem* fuiſſe dicit *Cicero* qui mentionem inceſtatorum è *Clodio* Sacrorum in *Senatu* fecerit, *Ne tu forte* (inquit) *aliquem noſtrum putes.* Opponit nimirum *ſui ordinis* Senatoribus, nimirum *Conſularibus*. Inde illum *Prætorium* fuiſſe collegerat *Corradus*. Atqui ne *Prætorium* fuiſſe quidem, ſed in ipſa potius *Prætura*, ex hoc inſigni monimento diſcimus.

[s] *Tumultus in Sacra via inter operas Clodii Pulchri & ſervos T. Annii.*] Præter ultimum illum, in quo periit *Clodius*, cum *Milone* conflictum, in *via Appia*, erant præterea alii multi, idque *Romæ*. *Sæpe* (inquit [y] *Aſconius*) *inter ſe Milo & Clodius cum ſuis factionibus Romæ depugnaverant.* Suffragatur ipſe [z] *Cicero*

ſ Varr *ap.* Non. *voc.* Accenſ. *t* Cicer. *ad* Q. *Fratrem*, *L. I. Ep. I.* *u Orat. pro* A Cluentio. *x* Cicer. *ad* Attic. *L. I. Ep.* 13. *y* Aſcon. Pedian. *in Or.* Cicer. *pro* Milon. *Præf.* *z* Cicer. *Or. pro* Milon.

*cero* qui non ſemel *Milonem*, neque tum *primum*, cum cecidit ipſe *Clodius*, ait à *Clodio* fuiſſe petitum. Imo *domum*, ac *Deos Penates* ſuos *Milonem*, *Clodio* oppugnante, defendiſſe. Hæc de illo ipſo anno Urbis *Varroniano* 702. quo *Conſulatum* petebat *Milo*, pleraque vera fuiſſe non dubito. Nec tamen ab eo demum *anno cœpit Clodii Miloniſque* diſſidium. Inde *ortas* eorum *inimicitias* tradit *Aſconius*, quod & *Milo Ciceronis erat amiciſſimus*, *in reducendoque eo enixe operam Reip. dederat*, & *P. Clodius* reſtituto *Ciceroni* erat infeſtiſſimus. Ita *reditu Ciceronis* ab exilio ſerior eorum non potuit eſſe diſcordia, annoque adeo ejuſdem Æræ *Varronianæ* 697[l]. Sed nec ab illo etiam anno *cœpiſſe* potuit. Tam enim invicem pugnabant *Milo ut* rediret *Cicero*, *Clodius ne* rediret, *ante Ciceronis* reditum, quam *poſtea*, & diverſa adeo partium ſtudia ſequebantur. *Milonem* enim auctorem *reditus* gratus agnoſcit ipſe *Cicero*, & *Clodium exilii* auctorem fuiſſe pariter ex Hiſtoria manifeſtum eſt. Hæ certe eorum lites in ipſum *exilii annum* 696[m]. oportet inciderint. Proximi enim *initio Cicero* revocatus eſt. Adhuc *antiquior* erat *Clodii* in *Ciceronem* inimicitia, & antiquior adeo eſſe *potuit* faventis *Ciceroni Milonis* in *Clodium*. Cum enim de pollutis *Deæ Bonæ* Sacris Actio inſtitueretur in *Clodium*, *Clodius* eo ſe prætextu purgavit, quod ne quidem *Romæ* eſſet cum Sacra illa peragerentur. *Cicero* contra eodem illo die *ſecum* fuiſſe teſtatus eſt. Id cepit ægerrime *Clodius*, quod, non *veritatis cauſa*, verum licet, teſtimonium dixiſſet *Cicero*, ſed ut *Terentiæ* gratificaretur uxori ſorori *Clodii Clodiæ* infenſæ, quod eam *Ciceronis* nuptias ambire ſuſpicaretur. Hinc illa *Clodii* in *Ciceronem* odia. Antea enim *Ciceronis* in re *Catalinaria* fuerat ſtudioſiſſimus. Sunt enim *Plutarchi* verba in hanc ſententiam diſertiſſima: [a] Κικέρων δ᾽ ἦν μὲν αὐτοῦ φίλος, καὶ τῶν περὶ Κατιλίναν πραττομένων ἐχρῆτο προθυμοτάτῳ συνεργῷ καὶ φύλακι τοῦ σώματος. Erant quidem Sacra illius *Deæ*, Kalendis *Maiis* præſtari ſolita, ut ex [b] *Ovidio* conſtat & [c] *Macrobio*. Ita die illo in quo verſamur antiquiora eſſe poterant, III°. Id. *Sextiles*. Sed *Sacra* illa diei hujus propria in Templo erant montis *Aventini* à *Craſſa* vel *Claudia* Veſtali condito, quod vetuſtate collapſum reſtauravit *Livia*, cum ſcriberet *Ovidius*. Ut proinde hoc etiam tempore Sacra illa menſis *Maii* Kalendis fuerint celebrata. *Alia* tamen erant, & *alterius* etiam *temporis*, ni fallor, *Sacra* hæc ejuſdem *Deæ*, de quibus agimus, *Clodiana*. Hæc enim pro ſalute *Populi Romani* univerſi, & *loco* etiam alio, fiebant, nempe in *Conſulis* domo aut *Prætoris*, ſi quidem fides *Plutarcho*, aut etiam fortaſſe *Pontificis Maximi*. Anni certe hujus 692[i]. fine contigerit oportet factum illud *Clodii*. Primam de eo Epiſtolam ſcripſit *Cicero* ad [d] *Atticum* ipſis ſequentis anni 693[i]. Kalendis *Januariis*. Sequebatur Epiſtola [e] alia, VI. Kal. *Febr.*

*a* Plutarch. *vit.* Cic *p.* 875. *b* Ovid. *Faſt.* L. V. *c* Macrob. *Sat.* L I. *d ad* Attic. L. I. Ep. 12. *e* Ep. 13.

in qua ita ſcribit ut de Judicii *Eventu* metuat. Nondum ergo *teſtimonium* illud dixerat *Cicero* quo *Clodium* offendit. Hic autem *primam* legimus *operarum Clodianarum* mentionem. Et quidem ita legimus, ut tum primum *natas* fuiſſe ſuſpicio ſit. *Boni* (inquit) *viri precibus Clodii removentur à cauſſa: Operæ comparantur*. Scripſit deinde aliam ipſis [f] *Februarii* Idibus. Atque hic primam legimus *infenſi* in *Ciceronem Clodii* ſignificationem. Sic enim Cicero: *Clodius conciones miſeras habebat, in quibus Lucullum, Hortenſium, C. Piſonem, Meſſallam Conſulem, laedebat: me tantum comperiſſe omnia Criminabatur*. Hinc facile intelligimus intervallo illo medio inter VI. Kal. & Id. *Febr*. fuiſſe *Clodii Judicium*, ipſiuſque *Ciceronis* illud *teſtimonium*, unde novæ illæ poſtea ſimultates. Itaque neceſſe eſt aliam fuiſſe quam *Ciceronis* cauſam quæ excitarit hos tumultus inter *operas Clodii* & *ſervos Milonis*. Neceſſe erit etiam ut *operas* in tumultu illo *Miloniano comparatas* dimiſerit, cum fuerint de *novo* in hoc *Clodii* Judicio, comparandæ. Utinam de fide conſtaret Auctoris Apographi *Petaviani*, num *hoc loco* in marmore repererit hæc verba; an in *alia tabula* reperta quam ipſa hujus partem credidit, huc ipſe tranſtulerit.

Porro *Operas Clodianas*, ut memorat hic noſter *Actorum Urbanorum* conditor, ſic etiam ſæpe *Cicero*. *Cicero* etiam eoſdem appellat *gladiatores*. Sunt quidem illa nomina plerunque propria *Servorum*. Et quidem illos præcipue *ſervos* denotabat qui fuerant in *Ergaſtulis*. Et illos tamen ſatis commode, quorum *operæ* fuiſſent aliis *mercede* collocatæ. In his ſæpe *Gladiatores*. Sed *Servis Milonis operas* haſce *Clodianas* opponit noſter Auctor. Proinde *liberos* potius homines intellexit ille, *ſervilia* tamen *opera* mercede præſtantes. Nec alios fuiſſe indicant verba illa [g] Ciceronis: *Boni viri precibus Clodii removentur à cauſſæ; operæ comparantur*. Id vult nimirum, *bonos viros*, quos pretia corrumpere non poterant, *precibus* fuiſſe ſolicitatos remotoſque à cognitione cauſæ *Clodianæ*. *Malos* contra *pretio* conductos, *operam* ſuam, pro *ſervorum* more, *venalem* habuiſſe, ne quid durius ſtatueretur in *Clodium*. *Judices* utrobique intellexit, vel *Judicum amicos* qui alii eſſe non poterant quam *liberi*. Idque patuit ex ipſo Judicii *exitu*. Sic enim de eo idem Cicero: [h] *Operæ Clodianæ pontes occupant. Tabellæ miniſtrabantur, ita ut nulla daretur, uti rogas*. *Servis* enim, nec *ſuffragii* Jus habentibus, *aditus* ad *pontes*, ad *tabellas* ſuffragatorias, patere non potuit. Erant itaque, hæ *operæ*, *Clientes*, ut videtur, antiquiſſimæ nobiliſſimæque gentis *Clodianæ*, qui, cum *ſportulas* à *Clodio* acciperent, parati erant illi in omnibus, quà Jure, quà Injuria, gratificari. Recteque tam *mercenario ſerviliqque* animo homines *ſervorum* appellationibus inſigniuntur.

*f Ep.* 14. *g* Cicer. *L. I. ad* Attic. *Ep.* 13. *h ib. Ep.* 14.

ζ *Rixa*

ζ *Rixa PO . . . . . & Q.*] *Rixæ* nomine μάχην & ἔριδα *Græcorum* intelligunt *Glossaria*. Ea tamen est μάχη quæ ultra *verba* procedit. Quanquam & illam quoque *verborum* pugnam *Rixæ* nomine intellexerit fortasse *Comædus*, cum ait: *dedecet viros muliebriter rixari.* Sunt enim illæ *verborum* potius quam *manuum*, *rixæ* Mulierum *propriæ*. Sed Grammatici id potius per verbum *litigare* denotari putant, quam per verbum *rixari*. *Rixari* ergo *pugnare* est, & quidem *manibus*, sed *pugnis* potius quam *armis*. Discrepant tamen invicem, pro mente Grammaticorum, *Rixari* & *Pugnare*, quod *Pugna* proprie sic dicta, majus quidpiam designet quam *Rixa*. Ita Cornelius [i] Fronto: *Rixa sine armis est, & habet defensionem. Pugna legem habet, vel naturalem, vel moralem; aut enim palæstrans exhibet virtutem, vel armis per summa vitæ pericula dimicat.* Id nempe vult, *Rixam* esse cum non *dedita opera*, nec *Pactis conventis*, pugnatur, sed *defensionis* causa ab imminenti impetu Adversarius oppugnatur. In eo quoque discrepare dicuntur, quod *Rixa* paucorum sit, *Pugna* Multitudinum. Nihil tamen video quod obstet quo minus *multitudinum* pugnæ *inconditæ*, nec *lege* aliqua ordinatæ, pro *Rixis* habendæ sint. A *vultus* orisque distortione dicitur. Est enim ea vocis Etymologia longe verisimillima qua à [k] *ringendo* deducitur. Ita vilium parumque honestarum Personarum propriæ erunt *Rixæ*. Nec aliter sane in priori horum Monimentorum parte illa vox accipitur. Ibi enim *Rixa ad Janum infimum* in *Caupona* fuisse dicitur. Et tamen plusquam *verborum* illam fuisse *Rixam* exinde colligitur; quod in ea *Caupo graviter* fuerit *sauciatus*. Itaque Opificum, aut sellariam aliquam artem exercentium *Rixam* illam fuisse non dubito. Priores fuerint fortasse Popinarii. Nisi forte Popinones illos potius, cum [l] *Suetonio*, censeamus appellandos. Nec enim solus est in eo vocis usu *Suetonius*. Reperit etiam Glossarum *Latino-Græcarum* conditor, qui *Popinones* illos appellat, quos *Græci* ἀσώτους. Reperit etiam Nonius: [m] *Popinones* (inquit) *vel hi quos nunc dicimus tabernarios à Popinis, vel luxuriosos, qui se Popinis dedunt.* Inde intelligimus jam *Nonii* ætate illam in desuetudinem abiisse vocem. Usurpavit autem in *Salustium* Historicum *Lenæus Pompeii Magni* libertus, teste ibidem *Suetonio*. Usurpavit etiam *Horatius*. Uterque scilicet à nostri Auctoris tempore non longe dissitus. Eadem nempe *forma*, qua & *ganeones*, & *lurcones*, & *ludiones* legimus. Imo aliam à *Popinarum* nomine formationem nequidem videtur exploratam habuisse *Nonius*. Posteriores in hac *rixa* quinam fuerint, judicent quibus otium est.

η *SC factum ne multa Ærariorum transeat ad hæredes.*] Memoriam hujus *Senatusconsulti* nostris hisce Actis debemus, ni fal-

*i p.* 2202. *Ed.* Putschii. *k* Fest. *voc.* Rictus. *l* Sueton. *de Gram. c.* 15. *m* Non.



lor,

lor, solis. Eoque adeo locupletanda erit Historia *Legum* Antiquarum. Sit autem oportet eo gratior hujus *Legis* memoria, quo est obscurior *mulcta* ipsa *Ærariorum* in proximis à *Livio* Scriptoribus. *Jus* enim mulctæ hujus imponendæ erat penes [n] *Censores*. Ultimi autem *Censores* sub *Augusto* erant, anno Urbis *Varroniano* 732. qui nec ipsi multa gesserunt. Inde memoria illorum paulatim evanuit. Juncta enim Potestas illa *Censoria* est cum potestate *Principum* suprema, qui tamen ut munia reliqua *Censoria* exercuerint; *Tribu* neminem (quod quidem sciam) *movisse*, aut *Ærarium* fecisse, aut in *Cœritum tabulas* retulisse, dicuntur. Inde factum, ut non occurrant *Pœnæ* illæ in *Historia Augusta*. Inde item, ut qui sub *Augustis* scripserunt ne quidem exploratum habuerint è Sæculi sui moribus quid sibi vellent illæ *voces*. *Livium* ipsum vidit, paulo junior, *Ciceronis* interpres *Asconius Pedianus*. Sic tamen scribit ille quasi nihil è *coævis moribus*, nec è *monimentis* multa de his pœnis comperta haberet. Sic enim ille: [o] *Regendis moribus Civitatis Censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus cives sic notabant; Ut, qui Senator esset, ejiceretur Senatu: Qui eques Romanus, equum publicum perderet: Qui plebeius, in Cœritum tabulas referretur, & Ærarius fieret, ac per hoc non esset in albo Centuriæ suæ; sed ad hoc esset Civis tantum, ut pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Notanda verba, *solebant*, *notabant*, plane ad *tempora* suis *antiquiora* referenda. Nec ita verba ejus intelligenda sunt quasi non & *Senatores* & *equites tribu moveri*, & *Ærarii* fieri solerent, aut quasi solorum *Plebeiorum* illæ fuissent *mulctæ*. Erat sane [p] *Mamercus Æmilius* Dictator Senator. Et tamen etiam illum *tribu moverunt*, *ærariumque* fecerunt *Censores* ab eo à *quinquenni* ad *sesqui-annuum* Magistratum redacti. Erant præterea [q] *Livius Salinator* & *Claudius Nero* tam in *Senatu*, quam etiam in *Censura* collegæ, *Senatores* ordine, & *censu* etiam *equestri*. Et tamen invicem collegam alter alterum, *equo publico* multavit, *ærariumque* pronunciavit. Id porro in *Asconii* illo loco suspectum est, quod pro eodem habere videatur, in *tabulas Cœritum* referri, *ærariumque* fieri; idque ita intelligat quasi is qui *mulctam* illam passus esset, ad hoc *civis* esset tantum, ut pro *capite* suo *tributi* nomine *æra* penderet. Hoc ita intelligunt juniores viri eruditi quasi *suffragii* jure omni privatus fuisset, ut nec *dare* candidatis *suffragia* posset, nec accipere ipse *candidatus*. Atqui *tribus omnes*, excepta *Mæcia*, *ærarias* fecit in prædicta *Censura Livius Salinator*. Ideone nulli ex *aliis tribubus Magistratus* erant, aut Magistratibus creandis *suffragatores*? Hoc certe constat fuisse falsissimum. Idem præterea existimant viri eruditi fuisse *tribu moveri ærariumque fieri*. Ideone *tribu motæ* à *Livio Salinatore* tribus aliæ, excepta *Mæcia*, omnes *Ærariæ* erant? In quam deinde *tribum* detrudendæ?

[n] Dio *L. LIV.* [o] Ascon. Pedian. *in Divinat.* Ciceron. [p] Liv. L. *IV. c.* 24. *IX.* [q] Liv. *L. XXIX. c.* 37.

dendæ? *Mœciamne*? Ita mulcta fuisset nulla, in eam accenseri *tribum* quæ sola *mulctam* non perpessa est.

Erant quidem, fateor, *mulctæ* illæ omnes Juris *Censorii*. Non tamen proinde *eædem* invicem, aut reis omnibus *omnes* irrogari solitæ. *Ærarium* fieri, quam viri Docti *mulctam* hactenus crediderunt omnium *gravissimam*, ea viceversa potius videtur fuisse *levissima*. *Censum* enim, non *caput Civis*, spectabat. Censum enim, qua *vectigalia* spectabat, pro *arbitrio* æstimabat *Censor*. Sic tamen ille ut si, plusquam *valeret*, census, à *Censore* æstimaretur; solvendum tamen esset, pro *Censoris æstimatione* vectigal, & *Pœnæ* loco esset ea *æstimatio*. Inde [r] *Varronis* illa: *Censor, ad cujus censionem, id est, arbitrium, censeretur Populus*. Et [s] *Festi* etiam illa: *Censores dicti, quod rem suam quisque tanti æstimare solitus sit, quantum illi censuerint*. Hoc inde licuit, quod *Prætorium Jus* ad *Legem*, & *Censorium Judicium* ad *Æquum*, æstimabatur, ut idem nos docet [t] *Varro*. Ita responderit *Censura Romanorum* Curiæ nostræ *Cancellarii*, quod *mentem* potius *Legumlatorum* attenderit, quam *Legum* ipsa *verba*. Inde factum ut in *æstimando* cujusque *censu* plane *arbitrarius* fuerit ille Magistratus, cum ad *Legum* modum observandum ne quidem tenerentur. Sed vero ad *Tributum* spectabat *census* ille *Tribuum*. Imo Tributi nomen ipsum inde fluxit quod pro tribuum *censu* æstimato responderet solutio illa quæ, *census* nomine, Publico debebatur. Id quoque monet [u] Varro: *Tributum* (inquit) *dictum à Tribubus, quod ea Pecunia quæ à Populo imperata erat, tributim à singuleis pro portione censûs exigebatur*. *Census* autem, pro *facultatum* modo æstimari solebat. Ut proinde qui [x] *minimo ære* censerentur, ii *capite-censi* appellarentur. Quasi nimirum id fere unum haberent cur in *civium censum* referrentur, quod *capita* libera haberent, & *cives* essent ingenui. Horum æstimatio à 1500 æris erat usque ad 380. Itaque quo *census* major minorve à *Censoribus* æstimatus est, eo majus erat minusve *tributum* à censito in *Ærarium* inferendum. Itaque cum multiplex *tributum*, *pœnæ* nomine, *Censores* imponerent, *censum* quoque præ eo qui vere erat, *multiplicem* fuisse fingebant. Ita [y] *octuplicatum Æmilii Mamerci censum* in *Livio* legimus. Alibi *decuplicatum*, alibi *duplicatum*. Pro *census* itaque proportione erat etiam *tributum*. Porro *censu* æstimato à *Censoribus*, cum locanda essent *tributa*, cautum una est de præstanda *tributi* solutione. *Agri* itaque *Reip*. seu *Ærario* obligabantur, ipsi nempe vendendi, ni solutum esset quod fuerat impositum. Alioqui Actiones in illos habebat Resp. *pignoratitias*. Hi *agri censui censendo* appellabantur. Festus: *Censui censendo agri proprie appellantur, qui & emi & venire jure civili possunt*. Inde ipsum *Prædiorum* nomen. Varro: [z] *Prædia dicta, item ut Præ-*

[r] Var. *Ling. Lat.* L. IV. *p.* 22. [s] Fest. *voc.* Censores. [t] Varr. *ib.* L. V. *p.* 58. [u] Varr. *ib.* L. IV. *p.* 42. [x] Gell. *Noct. Attic.* L. XVI. *c.* 10. *vid.* & Fest. *voc.* Tribut. [y] Liv. L. IV. *p.* 24. [z] Varr. L. IV. *p.* 11.

*des, à præstando: quod ea pignori data publice mancupes fidem præstent.* Sic itaque *Ærarius* appellandus fuerit qui *mulctam* subierat, quod *Ærario* obligatus *Ærarii* proinde debitor fuerit. Sed hoc omnium *censitorum* commune erat. Illud non item, quod *census* ita à *Censore* æstimatus tantum in *Ærarii* causa tanti æstimabatur quanti fuerat à Censore æstimatus. Poterat enim *census* ita *multiplicatus* ad *honores* proficere qui ditioribus, *Centuriisque primis* competebant proprio quodam jure eximii. Inde *Comitiis Tributis* potius quam *Centuriatis*, Tribunos suos eligi malebant *Plebeii*, quod Jura *Pauperum* majora essent in his Comitiis quam fuerant in *Centuriatis*. In Comitiis autem *Centuriatis* pro *census* gradu gradus etiam respondebant pariles *honoris*, ut *neque exclusus quisquam* (inquit [a] *Livius*) *Suffragio videretur, & vis omnis penes primores Civitatis esset.* Id quomodo sit factum explicat ibidem *Livius*. In *Ærariis* autem, de quibus agimus, non ad *honores* valuit *census* illa *multiplicatio*, sed ad *onera*. Ita recte *Ærarii* appellari poterant quod in *tributo* duntaxat *Ærario* inferendo tanti *census* ille habebatur. In campo autem *Martio*, & Comitiis *Centuriatis*, in quibus solebat *Census* ratio haberi, nihil valebat *Ærario* Census ad *Pœnam* duntaxat aucti æstimatio. Poterat præterea *Ærarius* appellari, quod sub *Æris* nomine in thesauros publicos inferendi *tributum* denotare solebant veteres. Ita primæ Classis censum centum millium *Æris*, secundæ septuaginta & quinque millium fuisse tradit *Livius*, & reliquarum quoque *Classium*, pro *Æris* modo, eodem exemplo describit. Quorum itaque opera in *Ære* solvendo præcipue exigebatur, satis proinde congrue *Ærarii* erant appellandi. Sed præter hoc onus *numarium* Pœna alia nulla fuisse videtur hoc saltem nomine significata.

Restant jam duæ aliæ Phrases, *tribu moveri*, & *in Cæritum tabulas referri.* Et quidem aliud erat *Tribu moveri*, aliud *Ærarium fieri.* Ita sane videtur intellexisse *Livius*. Sic ille de *Æmilio Mamerco*: [b] *tribu moverunt, octuplicatoque censu Ærarium fecerunt.* De illis qui callida Jurisjurandi interpretatione *Hannibalem* fefellerunt: [c] *tribuque moti Ærarii omnes facti.* Qui quadriennio non militaverant, eorum [d] *nomina in Ærarios relata, tribuque omnes moti. Lucium* etiam *Metellum* iidem *Censores*, propter *conjurationem deserendæ Italiæ ad Cannas factam, tribu moverunt, atque Ærarium fecerunt.* Nec enim est quod unam eandemque rem modis loquendi tam diversis totiesque repetitis designatam arbitremur. Ita *Livius* cum *motos tribu* memorat, nuspiam tamen meminit de *referendis in tabulas Cæritum.* Vice etiam versa *Asconius* quos ait *in tabulas Cæritum* relatos eosdem *tribu motos* nuspiam fuisse dicit. Facile hinc colligimus tantundem valere duos hosce loquendi modos qui nunquam simul adhibentur. Imo

a Liv. L. I. c. 43. b Liv. L. IV. c. 24. c L. XXIV. c. 18. d ib.

tabu-

*tabularum* conficiendarum res illa tota fuiſſe videtur. Qui enim *tribu moti* ſunt, eorum *nomina* è *tabulis tribulium* cenſores eximebant. *Tabulæ* ille eædem *Latinis* quæ *Græcis* δημαρχικὰ γράμματα φυλετῶν. Nec tamen propterea eorum *nomina* Reip. *inutilia* eſſe permittebant, quin in alias *tabulas* transferrentur, quæ non aliæ erant quam *Cæritum*. Sic etiam qui *Ærarii* facti ſunt eorum nomina in *Ærarii tabulas* relata ſunt. Sic enim de prædicta *Livii Salinatoris* & *Claudii* Cenſura *Livius* Hiſtoricus: [e] *Exitu Cenſuræ, quum in Leges juraſſet C. Claudius, & in Ærarium aſcendiſſet, inter nomina eorum, quos ærarios relinquebat, dedit Collegæ nomen. Deinde M. Livius in Ærarium venit, & præter Mœciam tribum, quæ ſe nec condemnaſſet, neque condematum aut Conſulem aut Cenſorem feciſſet; Populum Romanum omnem, quatuor & triginta tribus, Ærarios reliquit.* Sed male Eruditi locum *Plinii* hactenus acceperunt qui *tribuum mutatarum* mulctam eandem fuiſſe crediderunt cum ea quæ in illos conveniebat qui *tribu moti* fuerant. *Tranſlatos* illos, non *tribu motos*, dixit ipſe [f] *Plinius* qui è tribubus *Ruſticis* in *Urbanas* tranſire coacti ſunt. Eorumque *nomina* non è *Tribulium tabulis omnibus*, ſed ex unius duntaxat *Tribus* in alterius *Tribus tabulas* tranſlata ſunt. Qui autem *tribu moti* ſunt, eorum nomina è *Tribuum omnium tabulis* exempta ſunt. Ita certe intelligi ſolet vox illa in cauſis aliis ſimilibus. Ita *movere Ordine Senatorio*, *movere Senatu*, intelligunt Veteres, non ſcilicet de *loco* duntaxat quem quis in *Senatu* tenuerat, amiſſo, ut nempe de *Conſulari Prætorius*, aut de *Prætorio* fieret *Quæſtorius*, ſed ſimpliciter, de amiſſo *Ordine Senatorio* omnium ampliſſimo. Sic vocem illam uſurpant [g] *Suetonius* [h] *Velleius*, [i] *Tacitus*, illorumque temporum alii. Ita *tribulibus tabulis* moti jam *ſuffragia* in *Comitiis Tribuum* dare poterant, nec tamen eorum *ratio* in iiſdem *Comitiis* potuit haberi. Hæc eadem ſunt quæ per *relationem* illam in *tabulas Cæritum* vulgo intelligunt Eruditi. Et tamen *tribu motis* eadem illa damna tribuit *Livius*. *Æmilium Mamercum tribu moverant* Cenſores. Idem tamen poſtea *Dictator* dictus eſt. *Adeo* ([k] inquit) *ſimul fortuna Civitatis virtute vera eguit, nihil Cenſoria animadverſio effecit quo minus regimen rerum ex notata indigne domo peteretur.* Itaque ſi *animadverſio* illa *Cenſoria* valuiſſet, non erat illius *ratio*, in *honoribus*, habenda. Actoribus *Atellanarum* conceſſum teſtatur idem [l] *Livius*, ut nec *tribu moverentur*; & *ſtipendia*, *tanquam expertes artis ludicræ, facerent*. Hoc ita intelligunt eruditi quaſi *tribu* moti *gratis*, nec ullo publico *ſtipendio* militarent. Non tamen id voluit, ut exiſtimo, *Livius*. Dixit ille, *ſtipendia facerent*. Hi autem de *acceptis* illum intelligunt *ſtipendiis*. Non tamen ne-

*e* Liv. L. *XXIX. c.* 37. *f* Plin. *Nat. Hiſt. L. XVIII. c.* 3. *g* Sueto. *Jul. c.* 43. *Domit. c.* 8. *h* Vell. *L. I. c.* 10. *i* Tacit. *Ann. XIV.* 18. *k* Liv. *L. IV. c.* 31. *l* Liv. *L. VII. c.* 2.

gat

gat ille *tribu motos* ſtipendia *accepiſſe*, ſed *feciſſe* tantummodo. Idque voluit, ni fallor, ut ſtipendia *acceperint*, non tamen ſtipendia *feciſſe*, ut ſcilicet prodeſſet illis *ſtipendiorum numerus* legitimus ad *honores* rite capiendos. Hanc enim ob cauſam *tribu moveri* ſolebant qui *artes ludicras* profitebantur, ne ſcilicet *honores* capeſſerent. Eandemque ob cauſam ſtipendia *feciſſe* negabantur, ne ſcilicet finito *ſtipendiorum numero* legitimo, eorum ratio in *honoribus* ambiendis haberetur. Ita ſatis erat ad hoc ne ſtipendia *facerent*, ſi quorum *nomina* è publicis *Tribuum tabulis* eximerentur. Nihil ergo erat in illorum *mulcta* qui *in Cœritum tabulas relati* fuerant, quin idem *tribu motis* convenerit. Imo ne potuit quidem *Cœritum* illo nomine, ab *honoribus* excludi *Æmilius Mamercus*. Necdum enim Jus illud *civium* adepti erant ipſi *Cœrites*, ut Civitatis *Romanæ honorem* quidem caperent, ſed *negotiis* tamen atque *oneribus* vacarent. Ita *Jus* illud expreſſit [m] *Gellius*. Atqui poſt *Æmilii Mamerci* tempora decretus eſt *Cœritibus* honor ille à Senatu ob ſervata *Romanorum Sacra* in *Excidio Urbis* à *Gallis*. Sed *Publici Hoſpitii* Jus illud fuiſſe dicit [n] *Livius*, qui proinde vix potuit *mulctam* illam, de qua agimus *Civium* eodem illo nomine deſignare. Non potuit itaque alio, quam quod *tribu motus* eſſet, nomine ab *honoribus* excludi *Æmilius Mamercus*, jure illo *Cœritum* necdum nato. Plane itaque *mulctam* eandem fuiſſe puto *motionem* è *tribu*, & *Relationem in tabulas Cœritum*. Et tamen, ut in *rebus* nullum fuerit, in uſu *vocum* nonnullum neceſſe eſt fuiſſe diſcrimen. Cum nempe de *Civis ſingularis* pœna ageretur, *moveri* eum *tribu* dixerunt potius, quam in *Cœritum tabulas referri*. Cum de *Coloniis* ageretur *Romæ* adeo propinquis ut *Romæ ſuffragari* poſſent earum aliqua, ſi *Pœnam* illam merita videretur, eam *in tabulas Cœritum referebant*, eodem deinceps *Jure* acturam cum *Cœritibus*, ut ſcilicet de *Colonia* deinceps fieret *municipium*. Jus autem *Municipiis* omnibus commune nomine *Cœritum* propterea deſignabant quod primi *Cœrites* Jus illud *Municipii* fuerant conſecuti. Erant nimirum & *Præmii* loco *Cœritibus* Jus illud *Civitatis*, exceptis *negotiis* & *oneribus*, & *Pœnæ* loco *Colonis Romanis* ſi avitis *negotiorum Urbanorum* Juribus mulctarentur. Ita *Latii* Jus à *Latinis* nomen accepit qui *primi* exemplum erant imminutæ ad modum adeo *ſervilem* libertatis. *Ærarii* autem, qua duntaxat *Ærarius* appellabatur, *mulcta* omnis in *facultatibus* ſita eſt, & re *Numaria*.

Sed vero *Ærarii* mulctam ob factum *civis ſingularis* impoſitam fuiſſe conſtat. Nec erat *Romanis* in more ut *deceſſorum facta* luerent *Poſteri*. Itaque veriſimile non eſt *Hæredum* mentionem ullam unquam fuiſſe in decretis *Cenſorum*. Unde ergo factum ut, præter ſententiam *Cenſorum*, mulcta *Ærariorum* fuerit ad *Poſteros* derivata? Inde, ni fallor, quod *Ærarii* nomen quaſi

m Gell. *Noct. Attic. L. XVI. c.* 13. n Liv. *L. V. c.* 50.

debi-

*debitoris* pro modo *Censûs æstimati* in *Ærarium Publicum* Censores retulissent. Inde enim facile sequebatur, ut *sponsionibus stipulationibusque* publicis quibus fuerat de solutione cautum, obnoxius esset *Hæres*, non qua *multa* decessoris de se spectabat, sed qua *debitum*. Nec enim erat in *Legibus Romanis* dubium quin *stipulationibus* decessorum *Actionibusque pignoratitiis* teneretur *Hæres*. Hoc vero, cum adeo iniquum videretur, mirum fortasse videri potest cur non antiquiori aliquo Senatusconsulto fuerit *hæredi* subventum. Potuit tamen ne quidem *iniquum* videri ut delinquentis *Patrimonium* cum illo *onere* transiret ad *Hæredem*. Nec enim dubium est quin possit sine *Hæredis* aliqua *culpa*, Patrimonium tamen minus esse *lucrosum*, propter *culpam* solius *decessoris*. Nec poterat adeo commode de solutione *Ærario* præstanda caveri nisi per *Actiones* illas, quibus teneretur etiam *Hæres*. Ita remedium vix ullum esse potuit à *Censoribus* ipsis quibus *Leges* jam latæ, receptæque *consuetudines* observandæ erant, ni *Senatus* per novam Legem *Hæredum* indemnitati consuleret. De eo vero ne cogitarent obstare potuit, quod ne quidem ipsum illud incommodum *diutinum* futurum esset. Sequenti enim *lustro* nova expectabatur *æstimatio*, qua jam *hæredis* nomine in *tabulas publicas* referendum esset *Patrimonium*, nullo jam decessoris *onere*, si *ipse* nihil meritus esset. Et quidem illo Sæculo singulis fere *Quinquenniis* nova erant *Lustra*. Utque obstitissent, ne *Lustrum* condi posset, molesta *tempora* Reipublicæ, [o] *Quinquenniis* tamen terminari solebant *locationes Censorum* & *Syngraphæ*. Inde factum ut ne ultra *Quinquennium* Successorem *onerare* posset *multa* decessoris. Sed male audiebat his temporibus *Censorum* omnis illa severitas, ut è [p] *Cicerone* discimus. Proinde huic tam *brevi* etiam hæredum *incommodo* SC. provisum est.

& *Tonuit sub Meridiem. Fulguravit, & Quercus tacta in summo Argileto.*] In *Urbis* Notitia satis notus est locus *Argiletum*; seu ab *Evandri* hospite *Argo* nomen acceperit, seu à *terra* potius *Argillari*. Et *declivem* ejus situm arguit, quod nunc *imum infimumve*, nunc (ut noster Auctor) *summum Argiletum* memorent veteres. Sed *altiora* quæque *fulminibus* magis obnoxia fuisse iidem illi veteres * observaverant. Recte itaque *summo* potius *Argileto* hoc omen attributum legimus. Sic & in *summa Velia*, pariter ut hic, *Quercum tactam* observaverat Auctor in priori editaque parte monumentorum. Utrobique à *Quercu*, sacra nimirum *Jovis* arbore, captata observavit Auguria. Utrobique *diei* etiam *horam* observavit in quam inciderint hæc tonitrua. Ibi à *meridie* contigisse dixerat, hic *sub Meridiem*. Hæc etiam in *fulgurum* σημειώσει (sic enim loquebantur illarum Superstitionum arti-

o Ascon. Pedian. in *Orat.* Cic. *in* Verr. *de Prat. Urb.* p 98. p Cicer. *Divin. in* Verr. * Horat. *Carm. L. II. Od.* 10. Senec. *Nat. Quæst. L. II. c.* 58.

fices)

fices) obſervanda pro veteri *Hetruſcorum* diſciplina. Eo magis ad *ſignificationem* illam faciebat ſi *Sacræ* illæ fuiſſent *Quercus*, ſeu *Jovis* ſeu *Nympharum*. Nec ſane alias fuiſſe, de quibus in his agitur monumentis, veriſimillimum eſt. *Lucos* legimus *monteſque ſacros* tam in Sacris quam in prophanis etiam monumentis. Nec fere alibi *lucos* illos quam in *montibus* lociſve *Editioribus*. Multoſque iſtiuſmodi fuiſſe conſtat *lucos* in hac ipſa Urbe *Roma*. Ita ſatis *congrue*, pro *Sacra* illa priſcorum *diſciplina*, omnis illa proceſſit obſervatio.

*t M. Tullius cauſam dixit pro Corn. Sylla.*] De *anno* hujus Actionis conſtabat antea. Proximum nimirum fuiſſe *Conſulatui* ipſius *Ciceronis*. Anni *menſem*, menſiſque *diem*, ex hoc diſcimus egregio monimento. Sic tamen ut ſatis apte conveniant quæ hic traduntur cum *Scriptorum* optimorum teſtimoniis. *Catilinam* à *C. Antonio Ciceronis* collega, non *Conſule*, ſed *Proconſule*, profligatum eſſe conſtat. Depoſuerat ergo *Romæ* Conſulatum *Antonius* antea quam *Catilinam* aggrederetur. Ita hujus anni *initio Catilina* cæſus eſt. Et anni ſtatim *initio* cæſum eſſe teſtatur *Dio*. Poſt cædem ejus, *Catilinæ* in Urbe *ſocii*, *Vettio* Equite *Romano* deferente, accuſati damnatique ſunt. Tenuit per aliquot *menſes* illa *Accuſatio* tot reorum, teſte ipſo [q] *Cicerone*. Comperendinationum illæ ampliationumque, pro formis Accuſandi Romanis, videntur fuiſſe *moræ*. Puniti tamen antea omnes quam *Sullam Torquatus* accuſaret, ut è *Cicerone* conſtat. Inde factum ut ex *Autronii rebus* Argumentum duxerit *Torquatus*, nec tamen ullo diſerto *Teſtimonio*. Hæc ſane *magnam* anni *partem* elapſam indicant cum cauſam illam *Sullæ* ageret *Cicero*. Nec tamen in anni *finem* defenſio illa conferenda eſt. Cum [r] *reus* eſſet *Sulla*, ut *domum* emeret in Palatio, *mutua ſeſtertia vicies tacita accepit à reo Cicero*. Res tamen, priuſquam emeret, prodita eſt. Objectumque eſt quod Pecuniam, *domus emendæ cauſa*, à reo accepiſſet. Tum *Cicero*, inopinata opprobratione permotus, accepiſſe ſe negavit: *atque adeo*, inquit, *verum ſit, accepiſſe me Pecuniam ſi domum emero*. Poſtea cum *emiſſet*, objectumque ei eſſet ab inimicis hoc ipſum in Senatu *mendacium*, faceta *cavillatione* eluſit, ſe nempe quod *emere vellet*, emturum negaſſe, *propter competitores emtionis*. Facile inde intelligimus, & *pendente cauſa*, negaſſe ſe accepiſſe *Ciceronem*; & poſt cauſæ *eventum* ita fuiſſe cavillatum, ne cauſæ ipſi noceret. Et tamen ante *anni finem* hanc ipſam *domum emit*. Sequentis anni initio *Meſſala Conſul* domum *Autronii* de *Catilinæ* conjuratione damnati emit. De quo ita ad *Atticum* ipſe Cicero: [ſ] *Quid id ad me, inquies? Tantum quod ea emtione & nos bene emiſſe judica-*

q Cicer. *Orat. pro* Corn. Sull. *fin.* r Gell. *Noct. Att.* L. XII. c. 12. ſ Cicer. *ad* Attic. *L.* I. *Ep.* 13.

*ti ſumus.* Hæc ſcripſit ille VI. Kal. *Februarias.* Itaque menſe *Januario* emit *Meſſala* Conſul. Et tamen *ante* illum ita *Cicero* ut ſuam emtionem *Attico* in *memoriam* duntaxat revocet. *Pretium* enim ſuum quaſi *notum* aliunde ſupponit, non utique facturus ſi fuiſſet illo ipſo *menſe* ſolutum. Imo *anni ſuperioris* fine *emtam* illam à *Cicerone* domum ex ipſo colligimus, & quidem *menſe* anni *ultimo*, ni fallor, *Decembri.* Mentionem enim illius facit Epiſtola ad [t] *Seſtium* collegæ ſui *Antonii* Proqueſtorem, eodem tempore ſcripta quo *Atticum* ipſum *Italia* diſcedentem commendat *Antonio.* Verba ejus illa: [u] *Omnino res tota in menſem Januarium rejecta erat*, nec *adhuc* menſem *Januarium* fuiſſe ſignificant, nec *longe* tamen *abfuiſſe.* Itaque menſe *Decembri* illa ſcripſerit. Sed ad annum potius 693. epiſtolam illam retulit *Paulus Manutius*, propterea quod *Fuſii Caleni* jam *Tribuni Plebis* meminerit *Cicero*, cujus *Tribunatus* cum ſequentis anni *Conſulibus* concurrebat. Ita non diſceſſiſſet ex *Italia Atticus* ante anni 693. finem, quod ex aliis Epiſtolis multis conſtat eſſe falſiſſimum. Ita nec ante ejuſdem anni 693. finem, *domum* illam emerit *Cicero*, quod locus ejuſdem alius modo prolatus falſum eſſe convincit. Fefellit virum maximum quod *Tribuni* non menſe *Januario*, ſed *Decembri*, Magiſtratum inierint. Ita vel ex illa *Fuſii* mentione colligemus illam à *Cicerone* ſcriptam eſſe Epiſtolam anni 692. fine, cum jam *Tribunus* eſſet menſe *Decembri Fuſius.* Sed gratulatus fuerat de *emtione* illa pridem *Atticus*, emiſſe tamen ſe aliquanto *poſt* gratulationem fatetur ipſe *Cicero.* Erat ergo ante illius anni finem *conſilium* ſaltem *emtionis* aliquantiſper manifeſtum, nec tamen manifeſtum fuiſſe veriſimile eſt ante illius *Orationis* eventum. Sic accurate convenit tempus à noſtris *Actis* deſignatum cum optimis coævorum teſtimoniis.

x *Trib. Aerar. condemnarunt.*] Legendum *Tribuni Aerarii.* Sic enim ſolent appellari *tertii* illi præter Senatores Equiteſque *Judices.* Qui *Tribunos Æris* appellavit, unus, ni fallor, ſoluſque [x] *Plinius* eſt, ſi tamen verba ejus, pro more ſuo, non corruperint Librarii. Recte & hæc, pro veræ Chronologiæ rationibus. Non opus eſt ut pugnas de *Judiciis* altius repetamus. *Equites* illo Jure privavit *Sulla* Dictator, deditque *Senatui.* Hæc ille anno Urbis *Varroniano* circiter 674°. Rurſus poſt Decennium, Jus illud non quidem *Senatoribus* ademit, ſed effecit tamen ut *commune* eſſet cum *Equitibus*, *L. Cotta*, anno ejuſdem Epochæ 684°. *Senatorum*, fateor, *Equitumque* in hac cauſa ſolorum meminere [y] *Livius* & [z] *Velleius.* Non tamen eſt quod dubitemus quin *Senatoribus Equitibuſque* additi fuerint *Tribuni* hi de quibus agimus *Ærarii*, & additi hoc eodem *tempore*, eodemque *Legis* rogatore *L. Cotta.*

t Cicer. *Famil. L. V. Ep.* 6. u *ib. Ep.* 5. x Plin. *Nat. Hiſt. L. XXXIII. c.* 2.
y Liv. *Epitom. L. XCVII.* z Vell. *L. II. c.* 32.

Diſerta

Diſerta ſunt in hanc ſententiam teſtimonia Veterum, *Ciceronis*, *Aſconii*, *Plinii*. Hoc etiam certum ultra hunc, in quo verſamur, annum tenuiſſe. Primus illos abrogavit *Cæſar*, poſt Bellum *Africanum*, poſt menſem quo rediit *Sextilem*, teſtibus [a] *Suetonio* atque [b] *Dione*. Hic annus erat Epochæ *Varronianæ* 708. *Tribunos* certe *Ærarios* Judices in Judiciis quæ hoc anno paulo antiquiora erant, memorat *Aſconius*. In *Scauri* Judicio illos legimus, anno *Varroniano* 700. In Judicio item *Milonis*, anno 702. Etiam anno 690. in cauſa *Catilinæ*. Recte itaque illos in hoc noſtro *Judicio* legimus, anno nimirum medio inter *inſtitutionem* eorum *abrogationemque*.

Et quidem ex illis quæ habemus *Judiciis* conſtat *ſeorſim* Senatores, *ſeorſim* Equites, *ſeorſim* denique Ærarios illos ſuffragia tuliſſe Tribunos. Inde *genus* Judicum *tertium* appellat [c] *Suetonius*. Eoſdem *decuriam* tertiam feciſſe veriſimile eſt pro cenſu *juniorum*. Niſi forte *tertiam* illam *Decuriam* fecerint non *reſtaurati* (damnato *Antonio*) *Tribuni*, ſed *ſuffecti* ab eodem in eorum locum *Centuriones Militeſque* legionis *Alaudæ*, quod illi exprobrat [d] *Cicero*. Facit omnino cur ita fuiſſe ſuſpicemur, quod nec *decuriam* ullam *Judicum*, quod quidem ſciam, legamus ante *abrogatos* à *Cæſare Tribunos Ærarios*; nec poſtea, cum *decurias* legimus, *Tribunos*. Utcunque tamen gradum certe tertium fecerunt *Ærarii* hi *Tribuni*, alii nimirum ipſi tam à *Senatoribus* quam etiam *Equitibus*. Tamque, ni fallor, recte nova *Decuria* haberi ipſi poterant, quam aliæ, quæ poſtea *Decuriæ* appellabantur, *Senatorum*, *Equitumque*. Nec *Equites* illos, nec *Senatores* fuiſſe, oſtendit *Dio* qui ſublatos à *Cæſare Tribunos* ἐξ ὁμίλȣ fuiſſe teſtatur, qua nempe *infimum Plebeiorum ordinem* vox illa denotat qui ab honeſtiori *Equitum*, qui etiam ipſi *Plebeii* erant, *ordine* dtſtinguebatur. Ὅμιλος ille *Dionianus* idem erat cum *Plebe* [e] *Aſconii*, quæ etiam ipſa *Equitibus* opponitur. Secundo enim Belli *Italici* anno COSS. *Cn. Pompeio Strabone*, *L. Portio Catone*, qui annus erat *Varronianus* 665. legem tuliſſe teſtatur *M. Plautium Silanum* Tribunum Plebis, ut *Senatores* eſſent in numero *Judicum*, & *quidam* (inquit) *etiam ex ipſa Plebe*. *Equeſtrem* tamen *Ordinem* tum in *Judiciis* dominatum fuiſſe teſtatur. Inde facile colligimus alios fuiſſe illos è *Plebe* Judices ab *Equitibus*. Inde exemplum, ni fallor, habuit poſtea *Cotta Senatoribus* præter *Equites* tertios hoſce Judices addendi *Tribunos Ærarios*. Nec video cur non recte *decuriam* novam facere poſſent *Tribuni* illi *Ærarii*. *Decuriis* enim diſtributi ſunt, non *Equites* modo, verumetiam *Pedites*. In illis etiam *Decuriones Optioneſque* Decurionibus reſpondentes legimus. Quod ergo *Decuriones* illos appellatos fuiſſe dicit [f] *Feſtus* qui *denis equitibus præeſſent*, quod *Equitum decurias* memorat, cum aliis, *Suetonius*;

*a* Suet. *Jul. c.* 41. *b* Dion. *L. XLIII.* *c* Sueton. *Jul. c.* 41. *d* *Philipp. I.* *k* Aſcon. *in Orat.* Ciceron. *pro* C. Cornel. *p.* 140. *f* Feſt. *voc.* Decurion.

*tonius*; non ita tamen intelligendum eſt quaſi *ſolorum Equitum* fuiſſent *Decuriones*. Tam longe abeſt ut hoc verum fuerit, ut etiam illorum *Judicum* fuerint *Decuriæ*, qui ne quidem *cenſu* fuiſſent *Equeſtri*. Conſtat noſtros hoſce *Tribunos Equitibus* inferiores fuiſſe. Et tamen illis ipſis aliæ poſtea additæ ſunt *Judicum Decuriæ*, 4ª. ab [g] *Auguſto*, 5ª. à [h] *Caligula*, qui & *minoribus cauſis* præficiebantur, & *cenſu* etiam fuerint *inferiori*. Et ne ſexta adderetur, per [i] *Galbam* ſtetit, Judicibus aliis hoc ipſum obnixe rogantibus. Quartam porro illam *Decuriam* ex *inferiori cenſu* quæ *ducenariorum* vocaretur, aſſerit diſerte *Suetonius*. Erat autem profecto neceſſarium ut *cenſus* ratio in conſtituendis *Judicibus* haberetur, & ne ſummæ majores inferioribus Judicibus crederentur, quod *Pœna* corruptorum *Judiciorum* à *Judicibus* ipſis exigenda erat, qui ſolvendo futuri non eſſent ni *cenſus* ſui proportio habita fuiſſet ad cauſas à ſe judicandas. Erant tamen in *Equitatu Romano* alii ab *Equitibus* proprie ſic dictis, & rurſus viciſſim alii ab *ima Plebe* quæ *Equitatui* ſolebat opponi. *Equites* proprie ſic dicti erant qui Jus *aurei anuli* habebant, & qui *cenſum Equeſtrem* explebant, cccc. HS. & qui *equo publico* merebant, quibuſque locus eſſet in *quatuordecim ordinibus* in *theatro*. Sic *ferreis* duntaxat *anulis* ornati; ſic *ducenarii* illi, non autem (pro modo *cenſus Equeſtris*) *quadringenarii*, ſic *equo privato* militantes, nec locum habentes in *theatro* Equitum, ſic *cenſum* etiam *Equeſtrem* poſſidentes, non autem *ingenui* ipſi autem aut *avitum* illum *cenſum* habentes, & *Plebe* proprie ſic dicta *majores* erant, & *Equitibus* tamen proprie ſic dictis *inferiores*. Sic erant Equites *nongenti ſelecti*, erant *Tribuni*, erant etiam *Judices*. Selectos *cenſus in album* [Judicum] *& Equeſtris hæreditas miſit*, inquit *Seneca*, de Benef. L. III. c. 7. Inde intelligimus *primarii* Equitum *Ordinis* illos fuiſſe *Selectos*, qui erant iidem è *nongentis*. Ita *ſecundus* Equitum *ordo*, tertia autem *Judicum* Decuria *Tribunorum* fuerit; tertius autem & 4ª· *Auguſti* Decuria *Judicum* proprie dictorum. Imo has *Judicum decurias* omnes inferiores *Equitum* fuiſſe ſignificat ſatis aperte Plinius. [k] *Divo* (inquit) *Auguſto decurias ordinante, major pars Judicum in ferreo anulo fuit: iique non Equites, ſed Judices, vocabantur. Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum publicorum. Major* illa *pars* omnino intelligenda eſt de *Judicibus Equeſtribus*. Alioqui *duæ* primæ *decuriæ* Senatorum Equitumque proprie dictorum *majorem* Judicum *partem*, ſi fuiſſent invicem addendi, confeciſſent. Sed cum præter *Senatorum* decuriam primam, tres aliæ omnes *Equitum* fuiſſent, ſic recte *Judicum* majorem partem conſtituebant poſtremæ, duæ decuriæ ſcilicet *Equeſtrium*. Ita nullus fuerit in *Tribunis Ærariis* aut *quartæ decuriæ* Judicibus uſus *anuli aurei*, ſecundæ decuriæ proprius. Et tamen

g Suet. *Aug. c.* 32. h Sueton. *Calig. c.* 16. i Suet. *Galb. c.* 14. k Plin. *L. XXXIII. c.* 1. *vid. etiam. c.* 2.

cum

cum illos non *Equites*, sed *Judices*, vocatos, observat *Plinius*; illud una innuit, fuisse alioqui cur *recte* Equites *possent* appellari. Ita recte conciliabuntur invicem Auctorum loca in speciem, non revera, diversa. Alii *duos* duntaxat agnoscunt *Judicum* ordines *Senatorum Equitumque*. Recte nimirum illi si *Equitum* vox paulo *laxius* intelligatur. Sic enim prima decuria excepta reliquæ omnes erant *Equestres*. Alii *Equitibus* opponunt *postremas* illas *decurias*. Recte & illi, si *Equitum* significatio *arctior* intelligatur.

Nec vero est quod dubitemus præcipuæ notæ in suo quemque ordine fuisse hos *Decuriarum* Judices. Id postulabat vel *Pœnæ* illa *Cautionisque* ratio quam dedimus. Itaque non alios quam *Decuriarum* suarum *Principes* sive *Præsides*, quos *Decuriones* appellabant, in *Judicum* numeros accenseri solitos existimo. Ita quidem ut *Judices* ne quidem proximi *Decurionibus* fuerint *Optiones*. Id mihi videor è [l] *Plinio* colligere, qui singula sub *Augusto millia* in *Decuriis ab eo institutis* fuisse docet, nondum *Provinciis* ad hoc munus admissis. Facile enim numerum illum conficere poterant Decuriarum Equestrium *Decuriones*, trium nimirum illorum, quos dixi, *Ordinum*. Hoc vero postea, cum, *aucto Judicum* numero, *dignitas* proinde eorundem *censusque* minueretur. Cum nostri essent, præter *Senatores* & *primarii* census *Equites*, duntaxat *Tribuni*, ne quidem *Decurionibus* loci *infimi* locum fuisse verisimile est in illo *Judicum* consessu. Id inde colligo quod *tertiam* illam Judicum *Decuriam* soli fecerint *Tribuni*. In illa enim *Civium* distributione ut *deni* cives *decuriam* conflabant sub Præside *Decurione*; Sic *denis* etiam cum suis Decurionibus *Decuriis* constabat *Centuria* cui præerat *Centurio*, idem ipse *decimæ* Decuriæ *Decurio*. Sic *duabus* centuriis constabat *ordo* sub *Ordinis ductore*, qui ut superioris Centuriæ *Centurio* erat, sic *Decuriæ* ordinis supremæ *Decurio*. Illud è *Spurii Ligustini* apud *Livium* Oratione discimus. Cum enim [m] *decumum ordinem hastatum* illi assignasset *T. Quintius Flamininus*, tum *primus* factus est *hastatorum Centurio*. Cum postea *primum hastatum* prioris Centuriæ assignaret *Cato* major, tum *primus* erat inter hastatos *Ordinum ductor*. Cum *primum principem* prioris centuriæ eidem crederet *Manius Acilius Glabrio*, tum etiam *Principum primum* duxit *ordinem*. Cum denique sub *Graccho primum pilum* duxit, tum demum inter *Triarios primi erat Ordinis ductor*. Hæc è disciplina *Militiæ Romanæ* docet *Lipsius*. Sic fuerint hi *Decuriones* proprie sic dicti *Decuriis* seu *singulis*, seu *denis* præfecti. *Supremi* in *Militia* duces erant *Tribum*, sic quidem ut *legatus Legionis*, ut exercitus *universi* Imperator, qua scilicet è *Tribubus* conscribebantur, ipsi etiam *Tribuni* fuerint. *Supremi* certe *Magistratus* in *tribubus* erant *Tribuni Plebis*, & *Tribuni Militares Consulari Pote-*

l Plin *N.H. ubi supra. c.* 1. m Liv. *L. XLII. c.* 34.

*state*

*state* prædti, ad eam tamen dignitatem delecti è *Militiæ Tribunis*. Sed vero illos χιλιάρχυς appellant Scriptores *Græci*. Nec tamen *justis* semper præfectos *millenariis*. Raro admodum *Legiones* ipsæ è *justis* constabant *Millenariis*, ut possent *singulis* militum *millenariis singuli* præesse *Tribuni*. Imo *Tribunus Celerum trecentis* duntaxat *Equitibus* præfectus est, regnante *Romulo*. Nec *millenarium* numerum unquam conficiebant *Equites Legionarii*. Morem ergo *Militiæ* suæ imitati sunt *Græci* qui χιλιάρχυς illos appellant, quod proxima apud illos *Centuriæ decuria* esset *millenariorum*. Sed legimus quidem apud *Romanos Decurias* & *Centurias*. Quæ *Centuriarum decuriam* designet apud illos ne quidem vocem legimus. Tam longe aberat ab illorum moribus *corpus* aliquod hominum *millenarium*. Recte ergo *Decuria* hæc appellabitur, cum aliud nomen, quo proprie appelletur, non habeat, utque minus fuerit *millenaria*, æquis tamen constabat certe *Decuriis*. Recte etiam *Centuriæ Decuriæ* erant, quod *denæ Centuriam* quamque constituerent *Decuriæ*, nec alius fuerit *Centuriæ Centurio* quam *primariæ Decuriæ* inter denas *Decurio*. Imo commodissime omnes *Decuriæ*, quod communem omnium vocem aliam nullam habeamus. Ut tamen omnes *Decuriæ* fuerint, non tamen est quod dubitemus quin eo fuerit nobilior quisque *Decurio* quo *pluribus* præfectus fuerit *Decuriis*. Itaque cum *Decurionum* omnium *primi* fuerint *Tribuni*; inde constat quam congrue illi fuerint in *Judices* adhibendi. *Censu* quidem erant *Equestri*, proprie sic dicto, *inferiores*. Sic tamen illi ut fuerint nihilominus, *laxiori* sensu, *Equites*, & *Plebe* alia omni *superiores*. *Tribunorum* autem *Ærariorum* nomen inde acceperunt quod *æris* militibus solvendi curam haberent. Ab *Aere* nimirum fortasse, non ab *Aerario*. Ut proinde fortasse ne quidem lectio *Pliniana* illa sit absurda qua *Tribuni æris* appellantur. Nec enim opus erat ut *Aes* illud in *Aerarium* inferretur quod procurabant hi *Tribuni*. Erat enim *æs* illud [n] *adtributum*. Quod scilicet *tributum* esset, à singulis, *tributim*, pro *census* portione collatum. Recte ergo ad *Tribunorum* curam spectabat *Tribuum* communis illa Pecunia, cum ipsi à *Tribubus* nomen officii sui acceperint, *Tribuumque* adeo communi publicoque nomine procurarint. Erat præterea hoc *æs* Tribunis *adtributum*, quod hoc ipso fine *Tribunis* creditum fuerit ut militi cederet in *stipendium*. Sic enim Varro: *Ab eo quibus adtributa erat Pecunia, ut militi reddant*, Tribuni *Ærarii dicti*. Inde *adsignatam* eandem *Pecuniam* appellatam scribit idem *Varro*, quod nempe *certo usui* fuisset *adsignata*. Sic *adsignatos agros*, pro eadem forma, legimus in Scriptoribus de *Coloniis*, & [o] *Suetonio*. Sic *sedes Germanis adsignatas in* [p] *Suetonio*. Sic denique etiam in theatro *ordinem* legimus & *cuneum assignatum* in eodem [q] *Suetonio*.

*n* Varr. *L. IV. Ling. Lat. p.* 42. *o* Suet. *Cæs. c.* 38. *p* Suet. *Aug. c.* 44. *q* Sueton. *Tib. c.* 9.

Verius itaque ex Ærario *expromebant* æra quam *recondebant Ærarii* hi *Tribuni*. Sic enim *variæ* ex Ærario *expensæ* penes *varios* erant Magistratus, *Censores*, *Ædiles*, *Quæstores*. Nostri autem *Tribuni æs* procurabant duntaxat *adsignatum*.

Aliud autem erat hoc *æs adtributum*, seu *adsignatum*, à reliquorum *Equitum* stipendiis qui *Equo publico* militabant. *Equitibus* illis *primariis* non *æs* hoc *adtributum* a *Tribuum tributis*, sed *viduas adtributas* testatur [r] *Livius*, quæ *bina millia æris in annos singulos pendebant*. Hæc erant illis *stipendia* quibus *Equos* alerent. De illis ergo *viduarum* stipendiis consentaneum est *Equites* illos alios *Judices* judicasse primarios. De *sui ordinis* inferiorumque *militum* stipendiis ex *ære adtributo* solvendis statuebant nostri hi, ni fallor, *Equestres Tribuni*. Rem enim *numariam* præcipue videntur hi procurasse *Judices*. Id inde colligo quod rationem illam *Decuriæ* novæ ab *Augusto* institutæ proferat *Suetonius*, ut scilicet de *levioribus summis* judicaret. Habebant ergo singulæ *Judicum Decuriæ* singula etiam *Tribunalia*, vel potius, pro veterum *Romanorum* usu, *subsellia*. Illud enim discrimen ponit *Asconius* inter *Tribunalia* & *subsellia*, quod *Tribunalia* propria essent *Curulium Magistratuum*; aliorum non *Tribunalia* appellari solerent, sed tantummodo *subsellia*, in quibus & nostros recenset Tribunos. [s] *Sunt enim* (inquit) *subsellia Tribunorum, Triumvirorum, Quæstorum, & hujuscemodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec Tribunalibus, sed in Subselliis considebant*. Erat quidem in causis *Centumviralibus Tribunal*, sed proprium, ut videtur, *Prætoris* qui *curulem* gessit *Magistratum*, & *Centumviris* præfuit. Et in *Tribunali* ipso videntur postea locum habuisse *Judices*. Id innuunt verba illa Plinii [t] junioris: *Proxime cum dicturus apud Centumviros essem, adeundi mihi locus nisi à Tribunali, nisi per ipsos Judices, non fuit*. Sed recentior erat mos ille temporibus *Asconii*. Olim, ut *subsellia*, sic *causas* etiam habebant invicem diversas. Inde factum ut, quo *plures* essent *Judicum Decuriæ*, eo *singularum* Decuriarum *labor* esset *levior*. Inde *quintam Decuriam* addidit *Caligula*, ut *levior judicantibus labor fieret*, inquit [v] *Suetonius*. Inde rogatus *Galba*, ut *sextam* adderet, [x] *Judicibus*, inquit, *precantibus*. Quod tamen levamen nullum prorsus fuisset si causis omnibus omnes adfuissent. Verum nimirum hoc in Judiciis *privatis*. Sic in nostris hisce Fragmentis: *Sex. Ruscius* de *vi privata accusatus absolutus est sententiis* 40. *damnatus* 20. *Unicum* hic fuisse constat *Judicum* genus, ut & in *aliis* legimus illorum temporum Judiciis de *causis privatis*. In causis *Publicis* (qualis illa erat *Conjurationis*, de qua hoc *Actorum* nostrorum loco agitur) aderant è *Decuriis*

r Liv. L. I. c. 43. vid. XXIV. 18. s Ascon. in Cicer. Div. in Verr. t Plin. L. IV. Ep. 16. u Suet. Cal. c. 16. x Suet. Galb. c. 14.

omnibus

*omnibus* selecti *Judices*, ut multis supra exemplis confirmavimus.

Modum porro quo in publicis hisce processerunt Judiciis, docuit y *Asconius*. *Sortito* delecti sunt è *Decuriis* omnibus Judices LXXXI. *Senatores* XXVIII. *Equites* XXVII. *Tribuni* XXVI. Sequebatur *Judicum rejectio*, qua permissum *Accusatori* ut *quinos* è singulis Ordinibus ipse, totidemque *reus* rejiceret. Ita redacti sunt ad LI. XVIII. viz. *Senatores*, XVII. *Equites* XVI. *Tribunos*, qui de causa sententiam ferrent. Sed non erat Regula illa perpetua. In *Scauri* enim causa sententias tulerunt *Senatores* XXII. *Equites* XXIII. *Tribuni* XXV. eodem teste *Asconio*. Interim inde constat non propterea *Decurias* appellatas quod è *denariis* hominum numeris constarent sed quod è *Decurionibus*, qui scilicet ipsi *Decuriis* præfuerant *proprie* sic dictis. Tales erant certe, ut modo ostendimus, *Tribuni*. Tales fuisse necesse est *Decuriarum* omnium *principes* qui *soli* in Judicum *Decurias* eligebantur. Suffragia autem *seorsim* tulerunt, pro *sua* nimirum quisque *Decuria*. Sic illi scilicet, ut *Decuriæ* ea sententia haberetur quæ *majori* Decuriæ *parti* placuerat; ea tamen sententia tandem obtineret, non quæ *pluribus Judicibus*, sed quæ *pluribus* arriserat *Decuriis*. Sic enim in *Comitiis* omnibus quæ è pluribus hominum constabant ordinibus, ea sententia rata erat quæ plurium erat *Corporum*, *Centuriarum* nimirum, seu *Tribuum*, seu *Curiarum*. Sed in hujusmodi causis odiosis *reo* favebatur. *Itaque *absolutus* est, si vel una *Decuria* eum absolvisset, damnatus non est nisi *Decuriarum omnium* consensu. Hoc etiam ex *Asconio* discimus. *M. Saufeius* de cæde *Clodii*, una cum *Milone*, accusatus est. Eo eventu, ut *damnaverint* illum *Senatores* X. absolverint VIII. *damnaverint Equites* Romani IX, absolverint VIII. *damnaverint Tribuni* VI. absolverint X. Sola reum absolvit *Decuria Tribunorum*, & tamen eum *absolutum* esse *una sententia* pronunciat *Asconius*. Satis ergo erat vel *una* illa *sententia* ad *absolutionem*, quæ tamen *postremæ* erat ignobilissimæque *Decuriæ*. Sed potiori ratione *Syllam absolutum* fuisse colligemus quem *soli* damnaverint *Tribuni*.

*Quinque sententiis obtinuit*: de *Sylla* hic accusato inquit *Actorum* nostrorum *Urbanorum* conditor, si descriptori credimus *Petavio*. Dubito tamen num ita scriptum repererit in marmore. Potest quidem sententia dupliciter intelligi. Aliquando enim *Decuriæ* integræ sententiam denotat. Sic ait *Saufeium* z *Asconius una sententia* fuisse absolutum, *Tribunorum* scilicet, cum eum damnassent tam *Senatores* quam *Equites*. Idem alibi *urnas* appellat quæ *Decuriarum* universarum sententias complexæ fuerint. a *Liberatus est*, inquit, *Catilina*, *sed ita ut eum Senatorum urna damnaret*, *Equitum & Tribunorum absolverent*. Fieri

y Ascon. *Argum. in Or. pro* Milon. * *Vid. Cicer. ad Q. Fratr. II.* 15. z Ascon. *in Orat. pro.* Milon. *p.* 205. *a* Asc. *in Orat. cont.* C. Anton *p.* 149.

ergo poteſt ut II. SENTENTIIS. ipſe legerit in Marmore, & notam numeralem errore ſatis facili, & quem ipſe frequentem obſervavi, pro V acceperit, tum deinde literis continuis deſignarit. Sic *duas* illas ſententias *Senatorum Equitumque* Auctor intellexerit Fieri tamen rurſus poteſt ut *ſententiarum* nomine *ſuffragiorum ſingulorum* numerum denotarit quibus adverſarium vicerit in ambabus illis *Senatorum Equitumque* Decuriis. Sic enim de poſteriori *Saufeii* Judicio idem Aſconius: *Abſolutus eſt Sententiis plenius quam prius. Graves habuit XIX. abſolutorias II. & XXX.* Hic *omnium Decuriarum* ſuffragia tam *ſecunda*, quam *adverſa*, ſingulis numeris complexus eſt. De *Sexti* item *Clodii* Judicio idem ita: *magno conſenſu damnatus eſt, ſententiis VI. & XL. Abſolutorias V. omnino habuit, duas Senatorum, tres Equitum.* Hic etiam *communia* duarum Decuriarum ſuffragia *unis* iiſdemque *numeris* deſignavit. Si illius hoc exemplum noſter imitatus eſſet, ſubjunxiſſet etiam ipſe ex illis V ſuffragiis quot *Senatorum* fuiſſent, quot *Equitum*; & quo etiam *numero* Syllam damnaverant *Tribuni*. Sed ut *Tribunitiæ Decuriæ* ſententiam nullo ſingulorum ſuffragiorum *numero* notavit; ita plane metuo ne ab ipſo fuerit *aliarum Decuriarum* ille, qui videtur, *numerus*.

λ *Trib. Pleb. interceſſerunt*, &c] Anno Urbis *Varroniano* 689. *Pompeius* per *Gabinium* legatum *Syriam Tigrani* eripuerat. In ea *Laodicea* quam *liberam* fuiſſe teſtatur [b] *Plinius*. Diſceſſit *Syria Pompeius* anno 691. Poſt ejus diſceſſum Civitates *Syriæ* in certos quoſdam *Conventus* quibus parerent, diſtribuit fortaſſe *Gabinius*: Fecit certe in *Palæſtinæ* Civitatibus, teſte *Joſepho*. *Conventus* hi in *præcipuis* quibuſdam *Urbibus* habendi erant, ſed è *ditione* earum univerſa. Tum demum *libera* facta eſt, ni fallor, ab eodem *Gabinio*, *Laodicea*. Tum proculdubio *tributum* conſtitutum eſt. Itaque opportune incidit in *annum* hunc, in quo verſamur, *ſequentem*, ut de *tributis Laodicenorum* ageretur. Voluit autem *Senatus* ut *prædibus* datis caverent de tributorum ſolutione *Laodiceni*. Hoc *libertati* eorum jam pactæ contrarium credebant fortaſſe *Tribuni*. Inde eorum illa, ni fallor, *interceſſio*. Ita non *civium* duntaxat *Romanorum* tutelam ſuſcipiebant *Tribuni Plebis*, ſed *Civium ingenuorum* omnium, in *Romana ditione*, Urbium. Poterantque hoc eo *Jure* ſibi vendicare quod *Provinciæ* omnes, Provinciarumque *Civitates*, non *Senatus* ſolius eſſent, ſed *Populi* etiam *Romani*. *Populi* autem *ſuffragia* in *Comitiis* dari ſolebant, præcipue *Tributis*, quibus illi præerant, pro *Tribuum* jure *Tribuni*. Et quidem rerum *exterarum* cura jam *olim* ad *Comitia* illa *Popularia* & *Plebeia* pertinebat, antequam conſtituerentur illi *Plebis Tribuni*, ſub ipſis etiam *Regibus*. Inde etiam manaſſe videtur exemplum ut ad *Provincias*, ut ad *liberas* omnes in Provin-

b Plin. *Nat. Hiſt.* V. 20.

ciis

ciis *Civitates* atque *Cives*, pariter ac *Colonias* & *Municipia*, extenderentur *Tribunitiæ* Principum *Poteſtates*, ut jam ſupra probavimus. *Poterant* ſane hoc *Jure* uti *Tribuni*, modo *vellent*. Jam etiam, cur *vellent*, ſuppetebant *rationes*. Revixerant jam antiquæ illæ in *Patricios* æmulationes. *Tribunatum Plebis* nuper *Sulla* plus æquo depreſſerat atque exarmaverat. Inde factum ut Tribuni viceverſa *Patriciis*, eorumque *Juribus* deprimendis invigilarent, captarentque omnes, quibus voti compotes fierent, occaſiones. Inde *Accuſatio* illa *Rabirii* de cæde *Saturnini* Tribuni Plebis in Seditione *Gracchana* recentiori, non adeo propter amorem *Saturnini* ante annos XXXVI. cæſi, quam odio *Patriciorum*, & vindicandis *Tribunorum* juribus. Hæc anno *ſuperiori*, ipſo *Cicerone*, qui *Rabirium* defendit, *Conſule*. Etiam hoc ipſo Conſulatu *Ciceronem* ipſum, *Catonem*, *Senatum omnem*, laceſſivit *Metellus Nepos* de cæde *Lentuli* reliquorumque *Catilinæ* in *conjuratione* ſociorum. Ne hoc quidem *odio*, ſeu *Senatus*, ſeu *Catonis*, ſeu *Ciceronis*, aut ſtudio *Catilinæ*; ſed quo *Plebis* Poteſtatem ampliorem aſſereret. Id enim præ ſe ferebat *Metellus* iſte, ne quidem *Senatum* ipſum, de *capite Civis*, inconſulta *Plebe*, aliquid ſtatuere poſſe. *Plebeios* hoc, *Plebeiorumque ſtudioſos*, male habuit in illa *Lentuli* cauſa. Idque ambiebant ne ſimile quidpiam *Senatui* deinceps, ſine *Plebe*, liceret. Itaque cum vigeret illa, gliſceretque indies, æmulatio; *Tribunis* viſum *Jurium* ſuorum exempla edere ampliſſima. Præſertim *favente*, qui tum plurimum poterat, *Pompeio*. Opportuna præterea viſa eſt hujus Senatuſconſulti duritia. Dum enim oppreſſis à *Senatu* ſubditis auxiliabantur, ut *Juribus* ſuis *gratiam*, ita *odium Senatui* conciliabant; & viam adeo ad majora poſtea audenda ſtruebant. Quod porro *Laodiciam* ſcribit noſter potius quam *Laodiceam*, id fortaſſe leviculum eſt. Habet tamen, quibus ſe tueatur, alia veterum monimentorum exempla. Nec id fortaſſe, pro Linguæ *Latinæ* genio abſurde. *Græce* concipitur Λαοδίκεια. Apud *Latinos*, fateor, longe frequentius, *Laodicea*. Sed diphthongum ει ſæpe per I ſimplicem reddunt etiam *Latini*. *Græcis* Ἄρειος & Δαρεῖος, iidem *Latinis Arius* audiunt & *Darius*.

μ *Prætor Urb.* &c.] Vocem hic deeſſe manifeſtum eſt. Nec tamen *ſpatii* veſtigium apparet in Apographo *Voſſiano*. Sed *lineas*, quales in marmore fuerant, confudit Apographi deſcriptor. Deerat itaque fortaſſe in ſententiæ *initio* ſpatium in quo vocem illam vel deleverat, vel obſcuram fecerat, antiquitas. Legendumque: *Cum Prætor*, &c.

ν *C. Caeſar in Hiſpaniam ulteriorem* &c.] *Hiſpania* illa *ulterior* tam *Luſitaniam* complectebatur quam *Bœticam*, ut ex illorum temporum Hiſtoriis conſtat, ipſiuſque *Cæſaris* rebus geſtis. Opponebatur ergo *Taraconenſi* quæ *citerior* erat *Hiſpaniæ* Provincia, ex

*Italia* venientibus. Et quidem *Cæsaris Præturam* hoc anno gestam esse, id vero certum est. *Prætorem* creatum esse cum de *Catilinæ* conjuratione ageretur, *Ciceronis Consulatu* exeunte, & *Silano Consule designato*, testatur [c] *Suetonius*. Sed *creationem* illam de *designatione* intellexit in *Comitiis Prætoriis* quæ jam *olim* præterierant. Postea enim *primo Præturæ die Catulum* de refectione Capitolii ad disquisitionem Populi vocatum à *Cæsare* scribit idem [d] *Suetonius*, quod tamen *sequentibus COSS.* factum ait *Dio*, anni nimirum *Varroniani* 692. Imo his ipsis in quibus jam versamur, COSS. *Syllano* & *Murena*, quibus *Tribunatum* gessit *Plebis Metellus Nepos Ciceroni* infensus; iisdem *Prætorem* fuisse *Cæsarem* asserit *Dio* verbis expressissimis. Cum enim *Nepotem* SC^m. perterrefactum dixerat, *ne quid Resp. detrimenti caperet*, inde *Cæsarem* à rebus novandis abstinuisse dicit, qui tum *Prætor* fuerit, ἐστρατήγει γὰρ. Quomodo ergo in *Provinciam* concedere potuit *Cæsar* hoc ipso *anno* quo *Prætor* erat, cum *legati* Provinciarum non *Consules* aut *Prætores* essent, sed *Consulares* potius & *Prætorii*? Cum certe inter Provincias *Prætorum* non esset *Hispania*? Annus certe quo Provinciam administrabat, erat Epochæ *Varronianæ* 693. Inde *Romam* reversus est initio anni 694. antequam *Successorem* in *Provincia* accepisset, ad *triumphum* petendum. Sed cum *Consulatum* etiam ambiret, nec tamen *ratio* ejus haberi posset in *Comitiis Consularibus*, nisi demissis *fascibus*, Urbem privatus ingrederetur; *Triumphum* remisit, *Consulatum* potius expetendum censuit. Itaque, diu ante *Comitia* illius anni *Consularia*, Urbem appulerit necesse est ut possit *illo* anno *Consul* designari in annum *sequentem*. Inde manifesto constabit annum *Provinciæ* fuisse 693. *Præturæ* autem 692. Sic *Consulatum* anni 695. justo *triennio* præcesserit *Cæsaris Prætura* anno 692. Ut *Consulatum* etiam *Ciceronis* præcessit etiam ejusdem *Prætura Ciceronis*. *COS.* is erat anno 691. [e] *Prætor* anno 688. teste *Asconio*. *Ciceronem* enim honores omnes gessisse certum est *temporibus*, pro lege *Villia* Annali, *legitimis*. Sed verba Auctoris nostri, *ex Prætore*, non ita intelligenda sunt ut vulgo postea intelligi solebant, cum quis *ex Consule* vel *ex Præfecto* diceretur. Tunc enim illum designabant, non qui *jam* Consul fuisset, aut Præfectus, sed qui gesta illa munera jam *exuerat*. Hic contra *Cæsarem* significant *nondum* deposita *Prætura* in *Provinciam* concessisse. Et quidem vere erat *Cæsar* adhuc *Prætor* cum in *Provinciam* proficisceretur. Hoc enim anno tam ipsum quam *Metellum Tribunum* ab administratione Reip. summotos fatetur [f] *Suetonius*. Ea autem administratio, *Romæ* gesta cum *Tribunatu Metelli*, alia esse non potuit quam *Præturæ*. Postea cum tumultuantem sui gratia multitudinem compescuisset, *à Patribus gratiæ actæ*, *accitusque in*

*c* Sueton. *Cæs.* c 14. *d* Suet. *Cæs.* c. 15. e Ascon. *Arg. in Orat. pro* C. Cornel. p. 125. *f* Suet. *Cæs.* c. 16, 17.

*Curiam*

*Curiam* (inquit *Suetonius*) & *amplissimis verbis collaudatus, in integrum restitutus est, inducto priore decreto.* Nempe restitutus *Præturæ.* Tum inter socios *Catilinæ* delatus. Eo nimirum tempore quo de eadem *Catilinæ* conjuratione causam egit, ut vidimus, *Cicero Cornelii Syllæ.* Adhuc ergo *Prætor.* Causam ejus cum recepisset *Novius* Quæstor, deferente *L. Vettio* Judice, ambos conjecit in carcerem. *Vettium* eo præsertim *elogio*, quod compellari apud se *Majorem Potestatem* passus esset. Quomodo *major* ipse *Quæstore Potestas* si *Præturam* deposuisset. Imo *præproperam* ejus fuisse in Provinciam profectionem indicat *Suetonius. Neque more*, inquit, *neque Jure, antequam Provinciæ ornarentur, profectus est. More* itaque solito *maturior* erat illa profectio. Ne quidem *Jure*, cum nondum accepisset *Legem Curiatam* qua *Jus Gladii* demandandum erat. Eodem *Senatusconsulto* ornandæ erant *Provinciæ*, seu *lege Curiata.* Sic enim loquitur [g] *Cicero* pro *lege Manilia.* Ad eundem *ornatum* spectabant *Apparitores, scribæ, librarii* &c. Nondum itaque Potestate illa Provinciali *Expraetoria* insignitus, quod scilicet nondum *Præturam* abdicasset. *Incertum* fuisse ait [h] *Suetonius, metune Judicii, quod privato parabatur, an quo maturius sociis implorantibus subveniret*, in Provinciam properarit. Hinc sane palam est *nondum* fuisse *privatum*, & solito maturius in Provinciam discessisse. Plane adhuc *Prætorem*, necdum accepto *Præturæ Successore.* Hæc *Suetonius*, qui tamen nostri *Actorum* conditoris adhibuit ipsa etiam verba: *Ex Prætura ulteriorem sortitus Hispaniam* &c. *profectus est.* Ferre ergo eam sententiam possunt verba *ex Prætura*, ut adhuc fuerit *in Prætura* Cæsar. Imo *Acta* nostra ita videtur intellexisse *Suetonius* ab eo sæpe in testimonium advocata.

Porro animadvertenda illa sunt *Suetonii* verba: *sortitus Hispaniam.* Inde enim colligimus mox illum à *sortitione* Provinciæ in illam fuisse profectum. Hinc intelligimus profectionis *tempus.* Nec enim de illa loquitur *sortitione* qua inter se *Præturas* varias partiri solebant *collegæ Prætores.* Hæc enim *sortitio* Comitia ipsa Prætoria excipere solebat à *Prætoribus designatis*, antequam *Præturas* ipsas *inirent.* Sed *exeunte* Præturæ *anno* annum alium in *Provincia Prætoria* agere solebant, & *Provincias* etiam ipsas, ut antea *Præturas, sorte* partiri. Utque superiori anno quam *Præturas inibant* Præturas *sortiebantur* mox à *Comitiis Prætoriis, Prætores* ipsi duntaxat *designati*, nondum *inito* Præturæ Magistratu; ita *Provincias* etiam *Prætorias sortiebantur* in *Provincias* mittendi mox à *Comitiis Prætoriis proximis*, cum proximi anni Prætores designarentur, ipsi adhuc in *officio*, necdum *ejurato* Magistratu. Anni *tempus* docuit *Asconius*, nostris hisce hypothesibus satis congruum. [i] *Comitia* (inquit) *Consularia fuerunt VI. Kal.*

g Cicer. *Or. II. in Rull.* h Suet. *Cæs. c.* 18. i Ascon. *in Prooem. Act. in Verr. p.* 50.

 *Augusti*

*Augusti. Nec multo post sortitio Prætorum fuit, celebratis eorundem Comitiis.* Itaque *exeunte Julio* mense Provinciam *Hispaniam* sortitus *Cæsar*, mox se ad *iter* in Provinciam accinxit. *Diu* tamen *retardatus à Creditoribus*, ut, cum Auctore nostro, agnoscunt *Suetonius* & *Plutarchus*. Inde factum ut ante v. Kal. *Septembres* proficisci non potuerit. Et breve illud spatium videri posset pro juniorum exemplis. Erat tamen *diutinum*, si pro genio *Cæsaris* æstimaretur properantissimo. Recte autem ex *Prætura* in *Provinciam* profectus dicitur. Ut enim à *Comitiis* hujus anni *Prætoriis* cœpit *Jus* ejus ad *Provinciam*, ita etiam cœpit *Jus Successoris* ad *Præturam* ipsam. Et sane multa Magistratuum *Jura* habebant *Magistratus* etiam *designati*. *Primus* inter *Consulares* sententiam rogari solebat *Consul designatus*. Et *primi* pariter inter *Prætorios Prætores designati*. Ita minus *necessaria* erat ejus opera Reip. *designato Successore*. Nec *moram* ejus in Urbe pati videbantur necessitates *Provincialium*.

ξ *Q. Tertinio Prætori Jus dicenti* &c.] Hoc etiam hujus anni *Prætore* locupletandus erit ex hoc nostro Fragmento *Pighius*. Et *sors* ejus inde manifesta est quod coram eo causa *Copponii* acta fuerit, accusati de *Veneficio*.

ο *Rixa ad fornicem Fabii* &c.] *Fornicem* illum *Fabianum* memorat *Cicero* in *Verrina* II. Ad quam ita scribit Asconius: [k] *Fornix Fabianus arcus est juxta Regiam, in Sacra via, à Fabio Censore constructus, qui à devictis Allobrogibus, Allobrox cognominatus est, ibique statua ejus posita propterea est.* Fabius ille de *Allobrogibus* triumphavit anno *Varroniano* 634. *Lustrum* fecisse credunt Fastorum conditores anno ejusdem Epochæ 646. Sic inciderit *Censura* ejus in *Quinquennium* illud quod ab anno fluxit 645°. ad 650. Sic *fornicem* illum struxerit illo ipso *Quinquennio*. Sed vero è verbis illis *Asconii* facile colligimus medio illo temporis intervallo, quod à *Cicerone* fluxit ad *Asconium*, nomen fuisse mutatum, ut quem *fornicem Fabii* appellaverit *Cicero* is idem *arcus Fabianus* vulgo appellatus fuerit ætate *Asconii*. Et quidem *arcum Fabianum* appellant juniores *Urbis Romanæ* descriptores, *Rufus* & *Victor*. *Arcum* illis antiquior *Trebellius* [l] *Pollio*. Arcum proximus *Asconii* temporibus [m] *L. Annæus Seneca*. Et quidem ponunt juniores illi in eadem VIII. Regione *Fori Romani* in qua *arcum Fabianum Asconius*, & *Seneca*. Nec enim alibi erant *Regia* & *Sacra via* quas cum *arcu Fabiano* conjunxit *Asconius*. Nec alibi quam in *Foro* ipso *Romano Rostra* injuriis in *Catonem* celebria apud *Senecam*. Satis vel inde constat, *præmansis ab Asconio*, aut à *juniorum* aliquo, uti non potuisse nostrum, ut voluit *Rei-*

k Ascon. *in Prooem. Act. in* Verrem *p.* 49. l Poll. *in* Salonin. *c.* m Senec. *de const. Sap. c.* 1.

*nesius.*

*nesius*. Id si verum esset, eorum, à quibus acceperat, usus esset proculdubio *sermone*. Sed nomen *arcus* idem dedit, non quod *juniores*, sed quod *coævus* his ipsis temporibus *Cicero*. Quis inde non colligat *coævum* etiam fuisse nostrum quoque Actorum conditorem?

*π Funus Metellae Piae Vestae Virginis* &c.] Hanc *filiam* fuisse puto *Metelli Pii* qui primus cognomen *Pii* in familiam intulit. Erat *Metellus Pius* filius *Cæcilii Metelli* qui à victo *Jugurtha Numidicus* cognominatus. *L. Apuleium Saturninum* Censor *Metellus* notaverat. Is, ut *Metelli* notam ulcisceretur, *Tribunatum Plebis* ambit & consequitur. Tum Legem *Agrariam* rogat, quæ fere *Tribunitiarum* seditionum causam dedit. Ea cum à Populo sciscеretur, *Metello* obnitenti, nec in eam juranti, diem dixit. *Metellum* contra, cum boni cives multi defenderent, is tamen, ne eorum cœdes fieret, ultro in exilium ivit. Hæc anno Urbis 654. Sequenti anno revocatus est ab exilio, *Q. Calidio Nepote* Tribuno Pleb. rogante, opera vero ac precibus lachrymisque *filii* qui inde *Pii* cognomen hæreditarium reportavit. Hæc Auctor de Viris Illustribus, *Aurelius Victor*, *Velleius*, *Valerius Maximus*, *Appianus*. Inde *Numi* in honorem ejus percussi *ciconiam* habent *Pietatis* in *Parentes* Symbolum. Ab anno revocati *Metelli* 655°. ad hunc in quo versamur 692. intervallum est annorum duntaxat XXXVII. Imo eum ait *Salustius* tunc annum egisse XX^m^. cum Pater ejus Bellum gereret *Numidicum* anno Urbis 646. Ita ipse hoc anno annum egisset ætatis LXVI^m^. Potuit ergo hæc *Metella* tam *filia* ejus fuisse quam *neptis*, capta nimirum *Septenni* major, & *decenni* minor, si nondum XXX annos in *Vestæ* cultu explevisset. Sed *filiam* fuisse verisimilius est. Si enim è *filia* in aliam *familiam* nupta *neptis* fuisset, nomen familiæ *Gentilitium* aliud habuisset. Quo minus autem *neptis* credatur è *filio*, illud obstat, quod filium *Scipionem* adoptaverit, nulla nimirum suppetente prole *mascula*. Nisi forte ante mortem ipsius *Metelli*, filius ejus obierit. Sed ne quidem, qui decesserit, *filium* ejus ullum memorant Auctores. *Metellus Pius* ipse *Pontifex Maximus* superiori anno 691°. decesserat. Et in *Pontificatum* ejus successerat *Cæsar*, nondum *Prætor*, teste [n] *Dione*. Inde ejus nulla mentio in hoc, seu filiæ, seu neptis, funere.

*ρ Censores locaverunt reficiendum tectum* &c.] Hujus Dei initium narrat *Livius*, vocem nimirum à [o] *M. Caedicio* Tribunis illius anni renunciatam. Dixit enim se in *nova Via*, ubi postea *Sacellum* erat, supra ædem *Vestæ*, vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quæ Magistratibus dici juberet, *Gallos* adventare. Hæc anno ante Urbem captam, qui vulgo *Varronianus*

*n* Dio *L. XXXVII.* *o* Liv. *L. V. c.* 32.

nume-

numeratur 364. Eſt autem vere *Varronianus* duntaxat 363. Inde ſequenti anno Senatuſconſultum, ut [p] *Templum nova Via Aio Locutio* fieret. Ab *aiendo* ſcilicet & *loquendo*. Ut ab infantum *vagitu* Deus *Vaticanus*, à *Junonis Monitione Juno Moneta*. A *voce* enim fuiſſe *nomen* teſtatur etiam ex *Varrone* [q] *Gellius*. Ibidemque locus hujus, ſeu *Sacelli*, ſeu *Templi*, ponitur etiam à junioribus *Rufo* & *Victore*, prope *viam novam*, ædemque *Veſtæ*, in Regione Urbis x. *Fori Romani*, ſeu *Palatii*. *Via nova* unde nomen traxerit, expoſuit [r] *Varro*, quod ibidem olim fuiſſent *paludes*. Inde *Velabri* nomen à *Velatura*. Poſtea *paludibus exiccatis* Via erat, ſed *nova*. Antiqua tamen, & longe prior hujus *Dei* origine. Sed *Locutium* illum, nec fere aliter, appellant Veteres plerique, quos habemus, hodierni. Ita *Livius*, & à *Livio* deinceps, ut opinor, omnes. Aliter coævus Auctori noſtro Cicero; [ſ] *Ara* (inquit) *Aio Loquenti, quam ſeptam videmus, exadverſus eum locum conſecrata eſt*. Hinc etiam conſtat non è præmanſis *Livii* aut *Aſconii*, aut recentiorum noſtra emanaſſe, *antiquiorum coævorumque* concepta ſermone. Non eſt autem quod miremur ſi fuerit in *tecto* vitium poſt annos tandem fere CCCXXX.

Sed *ædium Sacrarum* cura erat penes *Ædiles* qui ab ea *Ædium* publicarum omnium cura nomen habebant. Ita *Varro*, *Feſtus*, aliique veteres. Sic equidem, ſi *ædes* fuiſſent *Veteres* ſartæ tectæque duntaxat conſervandæ. Si *novæ* eſſent à fundamentis conſtruendæ, *proprii* erant *Magiſtratus*, ſeu *Duumviri*, ſeu *Triumviri*. Hi etiam conſtruendas *locabant*. Sed alia erat certe *Ædilium* cura à *locatione ſartorum tectorumque*, etiam in *ædibus publicis*. Locabant enim *reficiendas*, ſiqui fuiſſent in munere, ipſi *Cenſores*. Si autem collegarum, altero mortuo, alter abdicare coactus eſſet (is enim mos erat à tempore hujus *Templi* captæque à *Gallis* Urbis) vacavit deinde Magiſtratus *Cenſorum* uſque ad nova *Comitia Cenſoria*. Interea *Cenſoria munera* obibant *Conſules*, ſiqua viſa eſſent, pro eo intervallo, neceſſaria. Recte nimirum, cum ad *muneris Conſularis* partem delecti eſſent primi *Cenſores*. Ergo *locationes* interim neceſſarias obibant *Conſules*, non *Ædiles*. *Publicorum* jus *privatorumque locorum* ſub illorum ditione fuiſſe teſtatur [t] *Livius*. Et à *Locorum* jure nomen ipſum traxere *locationes*. *Locationes* autem *Cenſorii* Juris fere proprias fuiſſe conſtat. Illas nimirum, inquies, unde *reditus* ſperari licuit *in* publicum *Ærarium* inferendos. Imo illas etiam in quas erogandæ erant *ex Ærario* neceſſariæ impenſæ. Imo has ipſas *Ædium Sacrarum* tuendarum *locationes* à quibus in *Ærarii inopia* abſtinebant, *muneribus* tamen *Cenſoriis* accenſet [u] *Livius*. Idem Auctor eſt ædem Matris magnæ in Palatio etiam faciendam locaviſſe [x] Cenſores *M.*

p Liv *ib. c.* 50. 52. q Gell. *Noct. Att. XVI.* 17. r Varr. *Ling. Lat. L. IV. p.* 14. ſ Cicer. *L. I. de Div. c.* 45. t Liv. *L. IV. c.* 8. u Liv. *L. XXIV. c.* 18. x Liv. *L. XXIX. c.* 37.

*Livium*

*Livium Salinatorem* & *C. Claudium Neronem.* Etiam *Jovis* ædem *Piſauri* & *Fundis* locavit Cenſor *Fulvius*, eodem teſte y *Livio.* His ſcilicet *locatio* illa incumbebat ex *officio.* Exigebant tamen, cum aut nulli eſſent qui exigerent à redemptoribus *Cenſores*, aut Conſulibus exigere non liceret; vel *Prætor Urbanus*, vel *Ædiles.* Non autem ex *officio*, ſed è *Senatuſconſulto.*

σ *Q. Hortenſius ſub veſperum Orationem habuit pro Roſtris de Cenſura,*] Cur de *Cenſura* ageretur, eam ego rationem fuiſſe puto, quod impediti fuerint hactenus *illius Luſtri* Cenſores quo minus officii muneribus fungerentur. Initium *Luſtri* erat annus Urbis *Varronianus* 690. quo novi Cenſores officium inibant. Eo anno ne quicquam agerent, interceſſerunt illius anni *Tribuni*, metuentes nimirum ne ab illis *Senatu* ipſi moverentur. Tandem anno 693°. luſtrum conditum è *Dione* colligunt & *Cicerone* Analium *Romanorum* conditores. Inde etiam inferunt *novos* eodem illo 693°. officium iniiſſe *Cenſores.* Sed non fuit *annus* ille *Cenſuræ* ineundæ *legitimus. Quinquennis* ille *Magiſtratus* erat, ſingulorumque *luſtrorum.* Et quidem ſingulis Epochæ *Varronianæ Quinquenniis* reſpondent *Luſtra* eorum temporum accuratiſſime. Anni autem *tempus* quo *cœperit* Luſtrum *Autumnum* fuiſſe, menſemque *Septembrem*, veriſimillimum eſt. Inde enim cœpiſſe è *Luſtris* iſtiuſmodi ternis oriundas conſtat *Indictiones.* Ergo anni 690ⁱ. *Autumno* cœperint illi de quorum egit *Hortenſius* Cenſura *Cenſores.* Menſe autem *Decembri* Magiſtratum exuere oportebat illius anni *Tribunos.* Ita manifeſtum erat, per *annum integrum* obſtare *Cenſoribus* non potuiſſe illius anni *Tribunos.* Itaque de *Tribunis deſignatis* verba illa *Dionis* intelligo, qui ſcilicet *Decembri* ſequenti *Tribunatum* inituri erant. *Jura* enim aliqua officii permiſſa fuiſſe certum eſt *Magiſtratibus* etiam *deſignatis. Abſolvere* certe *Senatus* illam, quam metuebant *Tribuni*, lectionem non poterant *Cenſores*, antequam eſſent in officio *Tribuni.* Nec *inchoare* illos voluiſſe veriſimile eſt *Tribunorum interceſſione* in medio abrumpendam. Ita diſtulerint *lectionem* illam *Tribuni* ad menſem uſque *Decembrem* anni 691. Tum vero turbulenta erant *Romæ* omnia detecta *Catilinæ* conjuratione, juſſiſque *Conſulibus* cavere *ne quid detrimenti Reſpublica caperet.* Nec vero fere unquam *luſtra condita* legimus, niſi temporibus aliquatenus *pacatis.* Inde multi erant *Cenſores* quorum nulla tamen unquam *luſtra* fuerint. Duravere autem turbæ illæ *Catilinariæ* uſque ad hunc, in quo verſamur, *annum*; uſque ad hanc, in qua verſamur, anni *partem.* Anni *initio* pugnavit ceciditque ipſe *Catilina.* Poſtea ſecutæ *Catilinariorum* accuſationes ante aliquot *menſes* quam cauſam diceret pro *Cornelio Sylla Cicero.* Tandem compoſitis illis tumultibus, de munere, quod incumbebat, peragendo cogita-

y Liv. *L. XLI. c.* 27.

bant

bant opportune *Cenſores*. Recte autem, & pro more, à *locationibus* incipiunt hoc ipſo *die* in quo *tectum Aii Locutii* locatum legimus. Majoris erat momenti *cenſus* ipſe, *luſtrumque*, nec, ſine publico conſilio, tentanda. Huc itaque ſpectabat illa *Hortenſii*, ni fallor, Oratio. Non tamen in *Senatu*, ſed pro *Roſtris*. *Populi* enim proculdubio cauſam venditabant, potius quam *Senatus*, *Plebis* illi *Tribuni*.

Sed anno *ſequenti* cenſum Luſtrumque tribuunt *Dio* atque *Cicero*. Ne quidem id incommode, pro noſtrorum *Actorum* rationibus. Nec enim *cenſum* ipſum *Luſtrumve* ſpectant hujus anni *Acta*, ſed id potius, fueritne cenſitio jam ſaltem *peragenda*, aut Luſtrum *condendum*. Eo pertinuiſſe videntur illæ generis, quod *deliberativum* appellant Rhetores, Orationes. Non tamen adeo, quam putant Viri Maximi, certum eſt, ſub ſequentibus demum Conſulibus, *inchoatum* eſſe *cenſum*. *Fuiſſe* cenſum, *expectatumque* Luſtrum *Cicero*, lectoſque *Senatores* teſtatur *Dio*. Neuter *cœpiſſe* innuit. Nec ut *cœperit*, exigunt munerum ipſorum *mores*, ſeu *Conſularis*, ſeu *Cenſorii*. Ne quidem *annis Luſtrorum* quibus Magiſtratum *inibant*, concurrebant tamen initia *Conſulum* atque *Cenſorum*. Aliis invicem diverſiſque temporibus *Comitia Conſularia* atque *Cenſoria* ponit *Livius*. Tam nimirum cum *Quinquennes* eſſent, quam etiam cum *Seſquiannuæ*, Cenſuræ. *Initum* autem Magiſtratum, cum *continuum* gererent, nihil deinde neceſſe erat cur ad *Conſulum initia* res à ſe gerendas exigerent. Et tamen, cum rerum omnium *publicarum* tempora per *Conſules* denotarent, ita erunt intelligendæ illæ *temporum deſignationes*, non ut res geſtæ ſub illis, quibus leguntur geſtæ *Conſulibus*, cœptæ, geſtæ, finitæ intelligantur; ſed ut earum *pars* ſaltem *maxima* ſub illis geſta fuerit, quibus attribuuntur, *Conſulibus*. Sic itaque *Cenſuram* hoc anno cœptam ſequentibus potius *Conſulibus* attribuerint Veteres, quod in illum incurrerit, *maxima* ſaltem ex *parte*, Conſulatum. *Moram* enim Magnam poſtulabat tot *Civium* deſcriptio, in *Urbe*, in *Italia*, in *Provinciis*, in *Municipiis*, in *Coloniis*, in *Exercitibus*, & quæ ne *uno* quidem *anno* abſolvi poſſet. His præſertim temporibus quibus tot *novæ* acceſſerant *Provinciæ*, totque adeo fuerint emittendæ *Coloniæ*. Non eſt itaque ut, quo anno cenſum *factum*, Luſtrumve *conditum* legimus, eodem *cœptum* etiam *conſummatumque* fuiſſe exiſtimemus.

Sed novos *Cenſores* anno 693. factos exiſtimant Annalium conditores, *Sigonius*, *Onuphrius*, *Pighius*, qui nempe *cenſum* facerent, *luſtrumque* conderent eo anno memoratum. Sed nullo prorſus Veterum teſtimonio. Obliti fuiſſe videntur, in *Quinquennium* creari ſolitos *Cenſores*; & *unicum* fuiſſe *annum* quo illos obſtitiſſe teſtatur *Dio Tribunos* quo minus *cenſum* facerent. Exutis officio *illius* anni *Tribunis*, jam nihil vetabat quo minus Cenſuram *peragerent* iidem illi *Cenſores*. Nec ſane ullus Veterum eſt qui dicat, ſeu Magiſtratum *abdicaſſe* Cenſores illos quibus repugnabant illius anni *Tribuni*;

*Tribuni*; seu *novos* alios post tertium demum annum in eorum locum *suffectos*. Imo *abdicare* Censores non solebant, ni *vitio* creatos illos pronunciassent *Augures*, vel saltem nisi *Collega* alter in *Magistratu mortuus* esset. Ab anno quo *Urbs capta* est à *Gallis* 365. ne quidem fas putabant ut *Censor* alius in *mortui* locum sufficeretur. Inde factum ut *Censor* superstes *abdicare* coactus fuerit. Sed de *singulis* duntaxat *Censoribus* illam fateor fuisse Legem. Nova Censorum paria in locum utriusque vacantem suffecta fuisse concedo. Sed anno 375. cum propter mortem *alterius* Collegæ alter *abdicasset*, novi Collegæ *vitio* creati Magistratum non gesserunt. *Tertios creari* (inquit [z] *Livius*) *velut Diis non accipientibus in eum annum Censuram, Religiosum fuit*. Inde, ni fallor, ne unquam sufficerentur invicem *Censorum* etiam *paria*, fecit eadem Ratiocinatio. Si enim *vitio* creatis Censoribus *Deos* colligebant *nolle* ut alii *succederent*, quod ab iis fuissent *mala* illa, quibus vitio creati pronunciabantur, *Auguria*; hæc certe eadem ratio in illis etiam procedebat qui Magistratum alterius collegæ *morte* deposuissent. Tam enim numini *mortem* illam tribuendam existimabant, quam *Auguria*. Et cavebant diligentissime *adversa* in Censura *omina* quod ad *Remp.* illa referenda viderentur. Eo enim spectabat, quod *captam* Urbem à *Gallis* credebant propter *suffectum* Censoris *mortui* loco Collegam. Fateor ita loqui *Livium* quasi ad annum *unicum* pertinuerit ea *Religio*. Sed ad *Censuræ* tempus *universum* spectare credebatur *Censuræ omen*. *Biennio* ante *captam* Urbem *suffectus* ille erat in *mortui* locum *Censor*, unde manavit postea ad posteros *sufficiendi* collegæ Religio. Imo cum *Lustrum integrum* tenerent *Censores*, in *Lustri* omen interpretabantur si quod fuisset sinistrum *omen* in *Censura*. Id nos docuit ipse [a] *Livius*: *C. Julius Censor decessit: in ejus locum M. Cornelius suffectus. Quæ res postea Religioni fuit, quia eo lustro Roma est capta. Nec deinde unquam in demortui locum Censor sufficitur*. Inde, ni fallor, postea colligebant etiam *duorum* collegarum *suffectionem* numinibus ingratam fuisse, quod *primum* ejus exemplum esset *vitiosum*. Ex illis certe *Livii* verbis apparet *Lustri universi* omen fuisse, cum scilicet per *lustrum* Censores ipsi tenerent *universum*, ut tenuisse certum est, nostris hisce, de quibus agimus, temporibus. Nec sane ulla deinde habemus *diserta* Veterum testimonia vel de *binis* Censorum *collegis* in aliorum *Collegarum* locum *suffectis*. Legimus, fateor, in Fastis *Capitolinis Censores* anni, pro Auctoris calculo, 522. qui *vitio facti abdicarent*. Et rursus alios qui anno sequenti 523. *lustrum fecerint*. Sed *suffectos* illos in locum priorum ne quidem testatur illorum conditor. Et fieri potest ut non eodem anno *lustrum* ab illis *factum* intellexerit Auctor; sed *factos* potius eodem anno *Censores*, qui tamen non, ut priores, *abdicarint*; sed *postea* lu-

z Liv. L. VI. c. 27. a Liv. L. V. c. 31.

ſtrum fecerint. Fieri rurſus ſatis commode poteſt, ut *tunc* factos illos obſervarit, non quidem, cum officium *inirent*; ſed cum ad officium *deſignarentur*. Obtinebat enim plerunque ille mos, ut *priori*, quam *inirent*, anno *Comitia* Magiſtratuum haberentur quibus *ſequentis* anni Magiſtratus erant *deſignandi*. Fateor equidem *ſuperiori* ejuſdem anni duntaxat *parte Comitia* fuiſſe *Cenſoria*. Pendebat tamen id à *Senatus* arbitrio, quod quale fuerit, proinde minus exploratum eſt, quod deſint nobis horum temporum *Annales*. Porro de *Cenſoribus* anni Faſtorum *Capitolinorum* 644. obſervavit Auctor Collegam *alterum* in *Magiſtratu* fuiſſe *mortuum*. Ait *Sigonius* Quinquennale annorum intervallum poſtulare ut in annum *priorem* conjicerentur. Sed fefellit calculus hoc in loco maximum Hiſtoriæ *Romanæ* locupletatorem. Eſt enim annus *Capitolinus* 644. *Varronianus* 645. & vere *Quinquennalis*. Sed proximo tamen anno *Capitolino* 645. *Varroniano* 646. *luſtrum* aſſignat Auctor monumenti *Capitolini*. Sed facile invicem conciliari poſſunt, ſine *ſuffectione*, *bina* illa Cenſorum *paria*. Erat enim annus *Varronianus* 645. *medius* inter *duo* Luſtra. Ita nimirum ut *prior* ejus *pars* ad Luſtrum *ſuperius* attinuerit, in quo Cenſorum alter *mortuus* fuerit, alter *abdicarit*; poſterior autem ad Luſtrum *poſterius* cujus *Cenſores* eo *ipſo* anno Magiſtratu ſuſcepto, ſequenti anno *luſtrum* fecerint. *Annum* itaque intellexit *Livius* non *medium* aliquem *Luſtri*, ſed *quintum*, quo ſolebant, pro Luſtri *Quinquennalis* ratione, Cenſores *deſignari*.

τ *Et Bello Allobrogum.*] *Bellum* hoc *Allobrogum* excitaverat *Catilina*, ut ex indiciis conſtabat in eum à *Cicerone* productis. Itaque dedit operam in Prælio *Piſtorienſi* ut in *Galliam* evaderet; *Romani* contra ne evaderet. Cæſo illo *hujus*, uti vidimus, Conſulatus *initio*, ſequebantur eorum qui *partes* ejus fovebant *Accuſationes*. Horum ultimus *Sulla* erat *Superiore* hujus menſis *die* à *Cicerone* defenſus. Ita protracta cauſa eſt *Belli Allobrogici*, ne de illo agi poſſet. Tandem, poſt *Provinciarum ſortitiones*, menſe, ut videtur, *Auguſto* in quo verſamur, ſequi oportebat *Leges* de Præfectorum Imperio *Curiatas*, deque neceſſariis ad profectionem quæ *Romani* Provinciarum [b] *ornatum* appellabant. In illis proculdubio *ornamentis* erant etiam de *Provinciarum adminiſtratione* conſilia, in quibus opportuna hæc *Hortenſii* erat Oratio. Et quidem ſi recte hæc ad *apparatum* itineris in Provinciam retulerimus, hoc ipſo *die* cœperit oportet is *apparatus*, is Provinciæ futuræ *ornatus*. Superiori enim *die* quo *diſceſſit* in Provinciam *Cæſar*, *nondum ornatam* ejus fuiſſe Provinciam teſtis eſt *Suetonius*. Hinc ergo diſcimus, ſub *anni ſuperioris*, quam Provinciam adminiſtratu i erant, ad minimum, *finem* in *Provincias* migrare ſolitos illius Sæculi Provinciarum *Præfectos*. Id ſaltem diſcimus vix ci-

*b* Suet. *Caſ. c.* 18. *ubi* Torrentius *videndus*.

tius

*tius* migrare potuiſſe. Imo *Februario* menſe diſceſſiſſe veriſimillimum eſt. *Hic enim eſt* (inquit [c] *Aſconius*) *menſis, quo frequens Senatus poſtulatis Provinciarum, & Legationibus audiendis datur.* Eo nimirum ſpectabant, ni fallor, *concilia* illa *Senatus*, ut de *deceſſore* intelligerent reverſuro, qua Subditorum *fama* Provinciam adminiſtraſſet, & *Succeſſori* mandarent quæ ab eo eſſent fugienda. *Serius* poſtea ſub *Imperatoribus*, nec uno certo tempore, in Provincias diſcedebant. Erat autem *Galliæ Tranſalpinæ* ſeu *Comatæ* Legatus *pro Prætore C. Pontinius Ciceroni*; *Pomptinus Dioni*. *Bellum* tamen ipſum *ſequenti anno* geſſit confecitque, ut nos docet *Dio*.

*υ Reliquiae conjuratorum cum L. Sergio tumultuantur in Hetruria.*] *L.* iſte *Sergius* ipſe *Catilina* eſt, qui quanquam ipſe initio hujus anni, cum maxima conjuratorum parte in prælio *Piſtorienſi* ceciderit; ſupererant tamen aliquæ hucuſque *reliquiæ*. Sic tamen paucæ facileque contemnendæ, ut *tumultuantium*, verius quam *rebellantium*, ſpeciem referrent. Porro *tumultus* illos libentius ad *ſermones* de Rep. *ſeditioſos*, & novarum rerum *conatus*, quam ad apertam *vim*, atque *arma*, retulerim. Recte denique in *Hetruria*. Hic enim *caſtra Manliana*, exercitus nimirum *C. Manlii* opera *Catilinæ* paratus. *Eo* itaque conceſſerat ſuperiori etiam anno pulſus urbe *Catilina*.

*φ Caupo ad tres Tabernas occiſus à Thracibus ebriis &c.*] *Thraces* illi *Gladiatores* erant, *Thraces* fortaſſe ab *origine*, & pro *more Thracum* armati. Nunc tamen, quacunque demum è gente, *Thracum* tamen *nomine* veniebant. *Factionem* nimirum alteram *Gladiatorum Retiariorum* conſtituebant, *Mirmallonibus* qui Secutores appellantur, opponi ſoliti, quæ *Factio* erat *Thracibus* adverſa. Nec magis invicem committere ſolebant *Factionum partiumque* ſtudioſos *Principes Aurigariorum colores*, quam *Gladiatorum* illa nomina. *Thracibus* favebant *Caligula* & *Titus*; contra *Domitianus*. Sic quidem *Caligula* ut *Germanis* corporis cuſtodibus *Thracas* præfecerit. *Mirmallones Hoplomachi* erant, ut è verbis illis [d] *Suetonii* colligimus: *Thraci & mox Hoplomacho comparavit*. Habebantque, ni fallor, à *gente* etiam nomen, ut *Factio* illis adverſa *Thracum*. *Syros* enim ab origine fuiſſe, verbis illis innuit [e] *Horatius*:

> *Threx eſt Gallina Syro par.*

Et quidem *Threcas* vel *Trecas* Scriptura vetuſtiſſima appellatos obſervarunt viri eruditiſſimi, *Torrentius* & *Caſaubonus* ad *Suetonium*. Nec præſtare audeo recte ne marmoreæ tabulæ *lectionem* deſcripſerit *Petavius*.

[c] Aſcon. Pedian. *in Or. in* Verr. *de Prat. Urb. p.* 94. *Vid.* Ciceron. *L. I. Fam. Ep.* 4.
[d] Suet. *Calig. c.* 35. [e] Horat. *Serm. L. II. VI.* vid Senec. *Præf. L. IV. Nat. Quæſt.*

*χ COSS.*

*x COSS. in Galliam profecti ad C. Caesarem.*] Congressum hunc *Triumvirorum* nulli, quod quidem sciam, memorant Historici. Nedum *mensem* congressus, mensisque *diem*. Ne quidem ipse *Cæsar* in suis de *Bello Gallico* Commentariis. Nec tamen est quod propterea de nostri monumenti fide dubitemus. Gesta enim in *hibernis* Cæsar, aut cum *Urbe* commercium, non refert, quoties illa nihil ad *Provinciam* pertinerent. Sed nihil est quod pugnet quo minus etiam illa vera sint quæ in nostro hoc Auctore legimus. Constitutum jam antea *Triumviratum* novis in *Cæsarem* officiis hoc ipso anno stabiliebant reliqui *duo* in *Urbe* Triumviri. Aderant enim Cæsaris *amici*, cum de *Provinciis* ageretur, qui ejus causam agerent, quibus etiam satisfactum testatur *Dio*. Itaque secundum *Quinquennium* ei decretum legimus, cum alioqui *sequenti anno* Successorem in Provinciis fuisset accepturus. Male *triennium* habet *Dio*. Tum deinde consultum comparatumque de *Provinciis*. *Pompeio* visum ut ipse in *Italia* subsisteret, *Hispanias* sibi decretas per *Legatos* administraret. *Crassus* Bellum meditabatur, in quo postea periit, *Parthicum*. Antea tamen, quam *discederet*, consilia proculdubio *arcana* cum suis in *Triumviratu* collegis, necessaria visa sunt, Hinc illa ad *Cæsarem* profectio. Satis commode, quod *hiberna* semper in *Gallia* illa, de qua loquitur noster *Togata* seu *Cispadana*, ageret ipse *Cæsar*; Provinciam aliam *Galliam Comatam* per *Legatum* regeret. Sic anni 696[f]. fine in [f] *citeriorem Galliam* profectum ipse testis est. Ea *Gallia Italia* est, & *recte*, in *Græco* Interprete *Pœanio*. Sic enim etiam *ipse* loquitur de *hibernis* anni 697[f]. Imo hunc sibi morem fuisse, agnoscit ipse postea anno 700. [g] *Lucio* (inquit) *Domitio*, *Ap. Claudio COSS. discedens ab hibernis Cæsar in Italiam, ut quotannis facere instituerat* &c. Hinc facile colligimus, & *medio* quoque hoc anno 699. in iisdem *Galliæ Italicæ* hibernis *Cæsarem* à *Pompeio* conveniri *Crassoque* potuisse.

Sed *maturius* Cæsar, hoc anno, [h] *quam consueverat, ad exercitum profectus est*. Verba ejus ipsa repræsentavimus. Non tamen *ita mature* quin post Kalendas *Maias* potuerit in Provincia *Italica* deprehendi. Est nempe illa *maturitas* à temporis *superioris* more judicanda. Anno 697°. *inita* demum [i] *æstate legatum Pedium in Galliam interiorem misit, ipse quamprimum pabuli copia esse inciperet, ad exercitum venit*. Utique *æstate* jam *affecta*. Anno quidem sequenti 698. [k] *quamprimum per anni tempus potuit, ad exercitum contendit*. Sed è loco superiori, ni fallor, intelligendus est, eo demum tempore illum ad exercitum *potuisse* contendere, quo *pabuli copia* esse inciperet, quæ nec ipsa esse cœperit ante *Æstatem* jam aliquatenus affectam. *Æstatem* vero *Cæsar*, ut & alias quoque anni tempestates, pro *Mathematicorum* more,

f Cæsar *Com. de Bell.* Gall. *L. I. fin. L. II. init. L. II. fin. & III. init.* g *ib. L. V. init.*
h Cæs. *ib. L. IV. c. 6.* i *Ib. B. Gall. II. 2.* k *Ib. B. G. III. 9.*

per

per *Zodiaci* puncta videtur distribuisse *Cardinalia*. Nec enim poterant in anno, qui tunc receptus est, *Lunari*, certas habere sedes, propter menses *intercalares*. In re certe *Rustica*, negotiisque *maritimis*, quæ erant pro *Solaris* anni modo ordinanda, *Stellarum* in *Zodiaco* ortus & occasus observabant. Sed vero *ortus* illos & *occasus* per *puncta* illa designant utplurimum *Cardinalia*; per *dierum* nempe *numerum* quo *Æquinoctia* aut *Solstitia* præcederent aut sequerentur. Sic legimus in *Varrone*, *Columella*, *Plinio*, aliisque id genus etiam antiquissimis Auctoribus. Itaque in anni *Naturalis* serie designanda puncta illa *Cardinalia* oportet fuisse notissima, in anni etiam *Civilis* forma utcunque *varia*. Commode etiam designandis anni *quadrantibus* inserviebant quæ *Zodiacum* ipsum in *quadrantes* partiebantur. Hoc ipso anno, de quo agimus, U. C. *Varroniano* 699. *Cæsar Britannia* discessurus [l] *propinqua die Æquinoctii* dicit *se infirmis navibus hiemi navigationem subjiciendam non existimasse*. Sic & in proximo anno rursus *Britannia* nostra discessurus ait: [m] *Cæsar quum statuisset hiemem in continente propter repentinos Galliæ motus agere, neque multum æstatis superesset, atque id facile extrahi posse intelligeret, obsides imperat* &c. Nec multis interpositis ita: *ne anni tempore navigatione excluderetur, quod Æquinoctium suberat, necessario angustius milites collocavit.* Utrobique manifestum est *hiemem* illi ab *Æquinoctio Autumnali* initium accepisse. Sic à *Solstitio Æstivo* cœperit *Autumnus*, ab *Æquinoctio Verno Æstas* proprie sic dicta, qua scilicet à *Vere Autumnoque* distinguitur. Sed *Æstatem* ille cum *Hiemi* opponit, *semestrem* proinde, non *trimestrem*, pro more *Veterum* intellexerit, qua scilicet *Autumnum* complectebatur. Alibi opponit [n] *Autumno*. *Æstatem* ergo rebus *Militiæ* gerendis opportunam *Cæsar* ab *Æquinoctio Verno* cœperit oportet, aut non diu certe *ultra* initium ejus protraxerit. Quod quidem *Æquinoctium* ipse VIII. Kal. *April.* assignavit, seu *Martii Juliani* diei XXV. Sic mense *Aprili* initam *Æstatem* dixerit, *Maio* affectam, *Junio* absolutam. Quomodo ergo ad Kalendas *Maias* deprehendi potuit in *Italica Gallia Cæsar*, si & *maturius* solito fuerit profectus ad exercitum: & post *initam Æstatem* ad *exercitum* se annis etiam superioribus conferre consueverit?

Dixit ille quidem post *initam Æstatem* se illis superioribus annis ad *exercitum* concessisse. *Mox* tamen, cum fuisset *inita*, concessisse, ne quidem ipse dixit. Id potius innuit, *affectam* jàm fuisse, cum ipse *iter* esset aggressus. *Pedium* enim *legatum inita Æstate* in *Galliam* interiorem misit. Ipse non antea se *ad exercitum venisse* testatus est quam *pabuli copia esse inciperet*. Certe aliquantisper *post* discessum *legati*, *initamque* adeo quam dixit *Æstatem*. Nec sane *pabuli copiam* illam ante *Junium* ineuntem re-

*l* Cæs. *Bell.* Gall. *L. IV. c.* 36. *m* Cæs. *Bell.* Gall. *L. V. c.* 22. 23. *n Bell.* Gall. *L. VII. c.* 35.

periunt exercitus. Ita potuerit & *Maio* exeunte in *Galliam Comatam* proficisci, & *maturius* tamen proficisci *quam consueverat*. Nec ita intelligendi sunt qui quatuor anni tempestates per puncta *Zodiaci* Cardinalia distinguunt. Non solent ita distinguere quibus liberum erat *dies* tempestatum initiales in Kalendario *Juliano* designare. Nec ab ipsis repetunt *Cardinibus*, sed à *mediis* potius inter Cardines *diebus*, & quidem *post* ipsos Cardines. Ita [o] *Varro* Æstatis *initium* repetit, non ab *Ariete*, in quo erat *Æquinoctium*; sed à *Tauro*, & quidem *die* illius *Signi* XXIII°. multis sane *post* Æquinoctium *diebus*. Hunc *Solis* locum componit ille cum VII. Id. *Maii*, cum *die* nimirum mensis illius IX°. in Anni forma, quæ tunc recepta erat, *Juliana*. Erat autem ille coævus illis ipsis *temporibus* de quibus nostrum agit monimentum, coævus ipsis Epochæ *Julianæ* initiis. Ut nemo proinde alius fortasse sit in hac causa, qua de *Cæsaris* sententia agitur, magis audiendus Itaque cum ab *Æquinoctio* Autumnali *Cæsar hiemis initium* repetit, non ita tamen intelligendus est quasi ab *Æquinoctio* commisso *mox* hiemem cœpisse senserit, sed quod fuerit saltem in *propinquo*, sed quod *hibernæ* tempestatis *procellæ* navigantibus incommodæ, non *longe* saltem abfuerint ab *Æquinoctio*. Id quod verum fuisse, pro mente Veterum, è *Plinio* constat & *Vegetio*. Ipsos certe *Solstitiorum Æquinoctiorumque* dies non raro aliquos tempestatum *significatus* habere docet è Veterum disciplina [p] *Plinius*. Et *securam navigationem* ad XVIII^m^. Kal. *Octobres* censet [q] *Vegetius*. Inde ad III. Id. *Novembris incertam* judicat, & *discrimini propiorem*. Pericula illius intervalli recenset *Vegetius*. Imprimus ortum *Arcturi sideris vehementissimi*, XI. ante *Æquinoctium* diebus, ut docet [r] *Plinius*, qui satis recte quadrabit in XVIII. Kal. *Octobres* pro mente *Vegetii*, si terminum utrumque complectamur. Tum deinde octavo Kalendas *Octobris Æquinoctialis* evenit acerba tempestas, inquit cum *Plinio Vegetius*. Nonis præterea *Octobris* hædos pluviales, quinto Idus ejusdem Taurum, *Novembris* autem initio Virgiliarum hyemalem occasum Navigantibus adversum recenset idem *Vegetius*. Sic itaque *procellosam* anni tempestatem, quæ *hyems* sæpe appellatur, *hyemis* nomine designarit *Cæsar*, potius quam *quadrantem* anni quam nos *hyemis* nomine hoc in loco intelligimus. *Hyems* autem nostro vocis significatu à IV. Id. *Novembris* incipit pro ejusdem sententia *Varronis*, ab illo nimirum *Virgiliarum occasu* hyemali quem *Novembris* initio assignavit *Vegetius*. Sic etiam *Æstatem* à *Virgiliarum ortu* matutino inchoabant Veteres. Hunc *Maii* IX. assignavit *Varro*, X. autem [s] *Plinius*. Uterque multis à *Verno Æquinoctio* diebus. *Varro* quidem dies numerat ab *Æquinoctio* XLIV. Sed numeris posterioribus inversis pro XLVI. Tot enim intersunt dies à *Mar-*

o Varr. *R. Rust. L. I. c.* 28. p Plin. *N. H. XVIII.* 25. q Veget *L. V. c.* 9. r Plin. *N. H. II.* 47. s Plin. *N. H. II.* 47. *XVIII.* 25. 26 29.

*tii* die XXV. ad diem *Maii* IX[m]. [t] *Plinius* dies ab *Æquinoctio* ad *Æstatis* initium repræsentat XLVIII. cum tamen uno plures sint ad diem *Maii*, pro illius sententia, X[m]. Utrobique satis laxum est spatium ut potuerit *Cæsar* in *Provinciam* venire *maturius quam consueverat*, post illud tamen cum *Consulibus* colloquium. Ita certe si *celeritatem* ejus ob oculos habeamus quam in eo tantopere deprædicant miranturque [u] Veteres. *Cæsar* ipse celeritatem suam sæpe [x] *memorat*. Imo *celeritatis* [y] *commoda*, non uno in loco, observavit. Ne quis *fortuitam* illam, & *raram*, nec certi *consilii* fuisse suspicetur. Potuit ergo post *colloquium* cum *COSS.* è Provincia *Cispadana*, *Maio affecto*, discedere; cum *Roma* ipsi COSS. ad *Cæsarem* in ea Provincia agentem, *Maio ineunte*, discederent. *Initio* certe anni Colloquium illud fuerit oportet. Nec enim post *discessum* ante anni *finem*, in illam *Provinciam* est *reversus*.

Sic equidem conciliari nostra poterant cum coævis illorum temporum monimentis si vel *eundem* habuissent *menses* Romani *situm* quem *postea* habebant, quem *hodieque* retinent, in anno Cæsaris *Juliano*. Atqui certum est *situm* eorum *alium* fuisse, & ab *hodierno* longe diversum. Certum est *maturiores* fuisse illius, qui tunc obtinebat, anni *menses* nostris hisce *Julianis*. Sic etiam *maturiores*, ut anno *confusionis*, qui Æræ *Varronianæ* 708[us]. erat, *tribus* integris *mensibus intercalaribus*, ad situm in Zodiaco *Julianum* fuerint revocandi. Sic, inquam, ut integris anni quadrantibus *feriæ* fuerint à *vero* suo *situ* dissitæ; neque *messium* feriæ *Æstati*, neque *vindemiarum Autumno* competiverint teste *Suetonio* Jul. c. 40. Sic denique ut *menses qui fuerant hyeme transacti*, *modo in Æstivum*, *modo in Autumnale tempus inciderent*, si *Solinus* audiendus sit. Convenit, quod mensi, qui tunc habebatur, *Maio Æquinoctium* assignet *Cicero*. Sic enim ille: [z] *Nunc quidem Æquinoctium nos moratur, quod valde perturbatum erat. Id scilicet cras erit.* Ita legit *Corradus*. Quæ quidem Lectio si vera sit, jam *diem* ipsum tenebimus quo contigerit illius anni Æquinoctium. Scripsit enim illa *Cicero* anno, quo cœpit *Civile* illud Bellum, *Varroniano* 705 xvii. Kal. *Junias*, ut ex Epistolæ ipsius fine constat. Sic xvi. Kal. *Jun.* fuerit ipsum *Æquinoctium*, *Maii* nimirum die 17. Quod enim nonnulli pro *Jun. Jan.* legant, vitiosum ostendunt Epistolæ antecedentes pariter ac consequentes, è quibus omnibus abunde constat de alio *mense* quam *Maio*, neutiquam fuisse sermonem. Sed vero *Æquinoctium* viii. Kal. *April.* seu *Martii Juliani* diei 25. affixum est, post Quadriennium, anno nimirum *Juliano* 1°. qui *Varronianus* erat 709. Cum scilicet ad *antiquam* in *Zodiaco* sedem *Civilis* anni dies fuissent revocati. Ita eundem diem designarint illius anni *Maii* dies 17[us]. cum *Martii Juliani* die 25. Et *Martii* adeo *initio* contigerit ille congres-

t Plin. *N. H. XVIII.* 25. u Suet. *Cæs. c.* 57. Plutarch. *Cæs.* Cic. *ad Attic. VII.* 22. *VIII.* Dio *L. XLII.* x *Bell.* Gall *L.* 7. 13. V. 48. y *Bell.* Gall. V. 29. 48. VII. 45. z Cicer. *ad* Attic. L. X. *Ep.* 17.

ſus. Erat enim & *noſter* annus, ut fuit ille, *communis*, non *intercalaris*. Sic nihil erit cur dubitemus, qui menſe *Martio* vel *exeunte*, fuerit profectus ad exercitum *Cæſar*; *maturius* tamen illum, quam *conſueverat*, fuiſſe profectum. *Maturius*, inquam, quam cum *pabuli copiam* expectaret, quam illum annis ſuperioribus expectaſſe vidimus. Sunt quidem, fateor, aliæ, in hoc *Ciceronis* loco, Lectiones, quæ *ſenſum* etiam alium faciunt. *Corradus*, pro *ſcilicet*, alibi *ſi* legi obſervavit, idque ita interpretatur ut ſuſpendat ſententiam, nectatque cum ſequentibus, in illum nempe ſenſum: *Si cras erit perturbatus Antonius, utinam ſaltem maneat Hortenſius in ſententia.* Sed violenta illa ſunt omnia. *Violentum*, quod ad *Antonium* illa retulerit quæ erant ad *Æquinoctium* referenda. *Violentum* quod *figurate* Æquinoctium intellexerit ut ad *Antonium* referret, quod ſenſum nullum incommodum exhibebit, ſi ad *literam* intelligatur. *Violentum* denique, quod ſententiam *ſuſpenderit*. Quid enim *Hortenſio* cum *Æquinoctio*? Plane nihil, niſi etiam *vim* in voce *Æquinoctii* feciſſet. Mihi etiam & illud ſuſpectum, vocemne *ſi* integris apicibus conceptam in ullis repererit Codicibus MSS. Poterat errori occaſionem dare nota *ſ.* pro *ſcilicet*, ut in Editione legimus *Aldina*. Aliter legit Bozius: *Id ſi* ἀκραὴς *erit, utinam idem maneat Hortenſius.* Sed *nexum* illum jam refutavimus. Et *Græcæ* vocis veſtigium nullum in Codicibus *MSS.* reperit vel ipſe *Bozius*. Imo *acras* etiam ille in ſuo,quo uſus eſt, Codice agnoſcit. Inde vocem illam ἀκραὴς elicuit? Suſpicatus eſt nimirum pro *cras* ſcriptum fuiſſe olim *acras*. Suſpicatus iterum *decurtati* Codicis illam fuiſſe *ſcripturam* pro *Græca*, quam repoſuit, voce ἀκραὴς. Ita nimirum à *conjecturis* illa nata eſt Lectio, nullis prorſus idoneis freta *teſtimoniis*. Imo inde nata, quod *vulgatam* Lectionem pro *mendoſa* habuerit. Inde nimirum quod non viderit quo pacto committi poſſet *Æquinoctium* cum Kalendis *Juniis*. Noſtram ſane lectionem præferunt non *Editiones* modo paſſim receptæ, ſed ad fidem MSS. diligentiſſime caſtigatæ; *Aldina* quoque illa atque *Lambini*.

Videamus tamen ut anno *Varroniano* 705. concurrere invicem potuerit dies *Maii* XVII$^{us}$. pro forma *veteri* cum *Martii* XXV$^{o}$. pro forma anni *Juliani*. A die *Maii* 17$^{o}$. (qui dies erat anni *veteris* 134$^{us}$.) deſunt ad finem illius anni 221. Dies enim in anno (qualis hic noſter erat) cummuni 355. duntaxat numerabant Veteres. Qui ſequebatur annus 706$^{us}$. intercalaris fuerit oportet, cum fuerit 702. *intercalaris*, ut ex *Aſconio* conſtat in Argumento *Milonianæ*; & annus ipſe *confuſionis* 708. *intercalaris* fuerit, *ex conſuetudine*, teſte [a] *Suetonio*. *Alternis* enim in veteri forma anni *communes* erant atque *Intercalares*. Sed & in *annis* Intercalaribus *menſes* Intercalares *Merkedonii alternis* erant, nunc dierum XXII. nunc XXIII. Quis fuerit in hoc anno mox oſtendemus. Demus interim dierum fuiſſe ad minimum XXII. Addendi deinde dies anni 707$^{i}$. Com-

[a] Suet. *Jul.* c. 40.

munis

munis, anni deinde 708[i]. qui annus erat Confusionis, anni denique 709. usque ad Martii XXV[m]. His additis, ita stabit calculus:

| | |
|---|---|
| Dies reliqui à Maii 17 ad finem anni 705. in forma Veteri | 221. |
| anni 706. *Intercalaris* - - - - - - - - - - - - - | 377. |
| 707. *communis* - - - - - - - - - - - - - | 355. |
| 708. *confusionis*, pro calculo accuratiss. *Censorini*, dierum | 445. |
| 709. *Juliani* I[i]. cum Bissexto ad Mart. 25. | 85. |
| In universum - - - - - - - | 1483. |

In forma *Juliana* facilior est supputatio.

| | |
|---|---|
| anni 705. à *Martii* 25. ad anni finem, qui *Bissextilis* erat, | 281. |
| 706. - - - - - - - - - - - - - - - - | 365. |
| 707. - - - - - - - - - - - - - - - - | 365. |
| 708. - - - - - - - - - - - - - - - - | 365. |
| 709. si cum *Bissexto*, ad *Martii* 25[m]. numeretur, dies | 85. |
| In universum - - - - - - - | 1461. |

Superesse hic videmus justum, & quidem *minoris* formæ *Merkedonium*, tollendum utique, ut fiat Æquatio. Et quidem *talem* fuisse oportere illius anni *Merkedonium* exinde colligitur, quod anno deinde alterno 708. qui confusionis erat, intercalarem dierum XXIII. inseruerint emendatores. *Majorem* illum dierum Intercalarium XXIII. *Merkedonium* agnoscit verbis disertissimis Auctor accuratissimus *Censorinus*; modumque anni *Confusionis* dierum 445. qui nisi mense illo intercalari majori non conficitur. Non est itaque audiendus *Scaliger* qui *minorem* illum *Merkedonium* fuisse censet, annumque adeo illum dierum fuisse 444. Atqui *parem* in anno illo dierum numerum nemo facile crediderit, cui Veterum de numero *impari* Superstitio fuerit explorata. *Imparem* certe numerum habent tam *Solinus* quam *Macrobius*. *Solinus* in anno Confusionis dies numerat 343. *Macrobius* 443. Sed *duorum* dierum illud est in *Macrobio* discrimen, quod certe nullum esse poterat in *Merkedonio*. Nec debuit sane Vir alioqui summus, (ubi de Factis agitur) sua opponere *Ratiocinia* nullo Veteri *teste* suffulta, expressis Veterum *Testimoniis*. Hinc discimus annos *Intercalares* in *paribus* numeris fuisse Epochæ *Varronianæ*. Et quidem ita ut *secundus* quisque illius *Epochæ* annus *Merkedonium* habuerit dierum XXII. *quartus* autem *Merkedonium* majorem dierum XXIII. Sed quod mensem illum quem dixi *Intercalarem* anni 706. omiserint in eo certe non *Cycli* sui Regulam observasse, sed urgentibus Reip. in Bello Civili turbis vel odio in Magistratus vel favori, obsecutos existimo. Erat quidem illis Cyclus annorum XXIV. è *triplici* nimirum annorum *Ogdoade* conflatus, ut è *Livio* constat & *Macrobio*. [b] *Livius* à *Numa* annum, *intercalaribus mensibus interponendis ita dispensatum* dicit, *ut IV. & XX. anno ad metam eandem Solis unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis, dies*

b Liv. L. I. c. 19.

congruerent. Modum autem quo id factum fuerit, explicat [c] *Macrobius*. Solaris anni *excessus* supra *Lunarem* singulis annis dierum XI. *Octennio* integro dies erant LXXXVIII. Additis *Octennii Bissextis* duobus, dies erant in universum XC. Illum numerum æquabant *Romanorum* menses *intercalares* in *Octennio* quatuor, duo dierum XXII. duo XXIII. Ita singulis *Octenniis* æquati fuissent invicem anni *Lunares* atque *Solares*, si verum *Lunaris* anni modum æquasset annus ille *Romanorum* Civilis. Atqui dies complectebatur 355. annus *communis* cum *Lunarem* annum absolverent dies 354. pro mente Veterum. Numeri enim *imparis* Religionem, potius quam verum illum quem credebant *Lunaris* cursus modum, in eo Veteres observabant. Ita factum ut Cyclo annorum XXIV. dies etiam totidem in annis *Civilibus Lunæ* rationibus accrescerent, tollendi omnino à *Civilis* anni rationibus. Itaque *tertio Octennio*, non dies ut antea XC. sed duntaxat LXVI. intercalabant, *tribus* nimirum mensibus *intercalaribus* dierum duntaxat XXII. mense quarto intercalari penitus omisso dierum XXIII. & die *uno* anni quarti, cujus Merkedonius, pro superiorum Ogdoadum more, debuit etiam complecti dies XXIII. Universa illa *intercalandi* methodus è subjecto diagrammate intelligetur.

*Ogdoadis* 1ª. 1. I.
2. II. mensis *intercalaris* dierum XXII.
3. III.
4. IV. mens. *interc.* dier. XXIII.
5. V.
6. VI. *interc.* dier. XXII.
7. VII.
8. VIII. *interc.* dier. XXIII.

*Ogdoadis* 2ª. 1. IX.
2. X. *interc.* dier. XXII.
3. XI.
4. XII. *interc.* dier. XXIII.
5. XIII.
6. XIV. *interc.* dier. XXII.
7. XV.
8. XVI. *interc.* dier. XXIII.

*Ogdoadis* 3ª. 1. XVII.
2. XVIII. *interc.* dier. XXII.
3. XIX.
4. XX. *interc.* dier XXII. non XXIII.
5. XXI.
6. XXII. *interc.* dier. XXII.
7. XXIII.
8. XXIV. *interc.* dier. XXIII. plane *prætermittendus*.

c Macrob. *Saturn.* I. 13.

Ita

Ita XXIV°. quoque anno pariter incipiet annus Romanorum *antiquus* atque *Julianus*. Id tamen ultra diſquirendum quomodo ſint cum annis Epochæ *Varronianæ* Cycli illi committendi. Et quidem ſi pro *lege Cycli* omiſſus fuiſſet menſis ille, quem *omiſſum* anno 706°. probavimus, *intercalaris*; ſic annus *Urbis* 706$^{us}$. fuiſſet *Cycli* 24$^{us}$. Alium enim nullum in toto *Cyclo* annum fuiſſe conſtat in quo penitus *prætermittendus* fuerit *Merkedonius*, quam 24$^{m}$. Sed loco plane *alieno*, non *legitimo*, menſis ille à Pontificibus prætermiſſus eſt, eodemque officii *neglectu*, quo Kalendarium univerſum depravaverant. Eſt enim hic, ut vidimus, *Merkedonius minor*, cum *major* ille fuerit anni 24$^{i}$. pro *Cycli* lege omittendus. Nec etiam redibant *menſes* poſt annum illum 706. ad eundem in *Zodiaco* ſitum, quem initio habuerant, ut erant, poſt Cycli *exitum* redituri. Adhuc enim manet *ſeſquimeſtre* intervallum inter *Æquinoctium* comiſſum pro lege anni *Juliani* die *Martii* XXV°. & *Maii* XVII$^{m}$. quo commiſſum probavimus pro lege *Cycli veteris*. Alius itaque quærendus eſt *annus*, in quo omiſſo *Merkedonio majori*, concurrant deinde, non quidem *menſium*, ſed tamen *anni* dies, tam in veteris anni forma, quam etiam in Juliana.

Hoc autem noſtris, pro virili, conficiemus ratiociniis. Eſt itaque imprimis certum non in *ultima* hujus Cycli *Ogdoade* locum habere potuiſſe annum *Confuſionis* Epochæ *Varronianæ* 708$^{m}$. in quo *intercalatum* jam probavimus *Merkedonium majorem*, & quidem pro *Lege Cycli*. Nec enim eſt in ea *Ogdoade Merkedonius major* ullus qui debeat *intercalari*. Inde colligimus locum ejus in duabus prioribus *Ogdoadibus* eſſe oportere. Tum deinde & illud advertimus, *menſes* illos duos dierum 67 poſt *Novembrem* additos, ut modo *menſium* juſtorum nulli reſpondent, ſeu *Lunarium*, ſeu *Solarium*; ita intercalarium menſium *Merkedoniorum* menſuram accurate ſervaſſe. Sic tamen ut è *tribus* conſtiterint *Merkedoniis*, quorum unus *major*, reliqui *minores* fuerint. Hinc etiam colligimus è legitimorum *Merkedoniorum* neglectu, omnem illam fuiſſe, quæ tunc apparuerit, *Anomaliam*. Erant quidem nonnunquam non *menſes* modo, ſed *dies* etiam ut docet *Macrobius*, intercalares. *Eximebant* nimirum aliquando *dies* ne *Nundinæ* in *Kalendas Januarias* aut *Nonas* menſium inciderent. Sed *diei* illius defectum ſupplebant in proximo *Merkedonio*, Quoties enim dies *exemptus* eſſet, *Merkedonius* non *poſtridie Terminalium* ſequebatur, ut ſolebat, ſed poſt diem *tertium*. Exemplum habet [d] *Livius* in anno Urbis *Varroniano* 584. Sed mutationem nullam in ſummis univerſis fecit *exemptus* ille *reſarcituſque* dies. Hic ſane nullus in noſtris, de quibus agimus, numeris apparet. Itaque ſi *Merkedonios* illos deſignare liceat, quibus *omiſſis* paulatim fuerit à priſtino menſium in *Zodiaco* ſitu aberratum; ſic variationis *fontem*

d Liv. L. XLIII. 11.

 ipſum

ipsum detexerimus; sic ad *initium Cycli*, quo convenerint utræque, tam *veteres*, quam *Julianæ* etiam, rationes, progressus fecerimus non utique spernendos. Et quidem horum *Merkedoniorum* unum jam tenemus, *minorem* scilicet illum quem anno Urbis *Varroniano* 706°. neglectum probavimus, cum esset, pro *Cycli* norma intercalandus. Proximus ante illum *Merkedonius major* erat, & in annum conveniebat 704. Hunc autem intercalatum fuisse discimus è *Cicerone*; venit enim ille in Provinciam anno 703. Prid. Kal. *Sextil.* Hoc opus non est ut probem, cum sit apud Eruditos in confesso. Ægre autem tulit suam à *Roma* absentiam, idque egit ut *mora* ejus esset in Provincia brevissima. Inde ejus illa ad *Atticum* verba. [e] *Primum illud præfulci atque præmuni, quæso, ut simus annui; ne intercaletur quidem.* Itaque in illum ipsum *unicum*, quem sperabat, annum *mensis* incurrebat, pro *Cycli* serie, *intercalaris*. Is autem alibi esse non potuit quam post *Terminalia* anni 704. Jam enim diu *antea* præterierant *Terminalia* anni 703. cum *Cicero* in Provinciam appelleret. Nec *omissum* illum *Merkedonium* à Pontificibus ex eodem *Cicerone* colligimus, & frustra adeo conatum ejus illum fuisse, *ne intercalaretur*. Literas ille memorat *Attici* scriptas [f] *ante diem quintum Terminalia*, quas ipse *Laodiceæ* in Provincia acceperat. Hæ sane anni alterius esse non poterant quam quo *Intercalatus* fuerit *Merkedonius*. Aliter enim dies *Februarii* reliquæ post *Idus* non certe *Kalendæ* [g] *Terminalia*, sed *Kalendæ Martiæ* solebant appellari. Sed in anno Intercalari *inferiores quinque dies duodecimo mense*, qui *Februarius* erat, *demi* solitos testis est [h] *Varro*. Qui tamen ita intelligendus non est quasi *anno* demti fuissent, sed quasi *duodecimo* duntaxat *mensi*. Post *mensem* enim *Intercalarem* additi, *mensi* proinde *Intercalari* accenseri solebant, ut è multis veterum formis docet [i] *Scaliger*, quibus Kalendæ *Martiæ* omnes præter primam *Merkedonio* tribuebantur. Inde *Merkedonius major* dierum 28. censebatur propter reliquos illos quinque *Februarii* dies *addititios*. Nec sane recte poterant *Kalendæ* illæ quæ Idus *Februarias* sequebantur, *intercalares* appellari. Nec enim inchoari solebat *Merkedonius* antea quam jam acta essent *Terminalia*. Ergo nec *Martiæ* vocatæ *Kalendæ* illæ à mense *Martio* nimium *remotæ*; nec *Intercalares*, cum ad annum *veterem* spectarent, non ad *partem* ejus *novam* qua factus est per *Intercalationem* auctior. Sed mos erat veterum ut *Kalendæ* omnes ab eo *die* denominationem acciperent qui proxime illos excepisset. Ita pro *norma* factum ut non à *mense* aliquo *Kalendæ* hæ, sed à *Terminalibus*, denominarentur. Firmat præterea idem & in illis quoque verbis Cicero: *Quinto togam puram Liberalibus cogitabam dare. Mandavit enim Pater. Ea sic observabo, quasi intercalatum non sit.* Supponit nimirum

[e] *Ad* Attic. *V. Ep.* 13. [f] *Ad* Attic. *VI. Ep.* 1. [g] *Vid. Tab. I.* [h] Varr. *Ling. Lat. L. V. p.* 46. [i] Scalig. *L. II. Em. Temp.*

jam

jam *fuisse intercalatum*, cum, *quasi intercalatum non esset*, se tamen *Liberalia* observaturum esse testatur. Sed tempus jam, ut videtur, antea [k] constituerat, se ubi *Laodiceam* ab Expeditione redierat, togam *Quinto* filio daturum. Et *Morem* in Provincia fuisse verisimile est *Romana Kalendaria* ita observandi, quod *sero* tandem innotescere solerent *Pontificum intercalationes*. Præsertim in *festis* propinquioribus, remotioribusque, qualis erat *Cilicia*, *Provinciis*. Obstare tamen id fortasse videbitur quod in hujus etiam Epistolæ fine *Atticum* roget, *faceret* se *in quem diem Romana inciderent Mysteria certiorem*. Ea enim *incerta* fecisse ipsa videtur *Intercalatio*. Eo spectant in superioris Libri fine illa: [l] *Cum scies Romæ intercalatum sit necne, velim ad me scribas certum, quo die Mysteria futura sint*. Quomodo ergo adhuc de *Mysteriorum die* incertus est *Cicero* si jam ex illa *Attici* forma factus esset de *Intercalatione* certior? Poterat id exinde contingere quod aliæ nonnunquam essent *arcanæ*, præter *Intercalationem*, rationes cur essent *Mysteriorum* dies transferendæ. Illa præsertim ne in dies, pro illarum Religionum sensu, *infaustos* inciderent. Certe propter *Sacrificia* similem *translationem* memorat [m] *Dio*. Obstare etiam videbuntur verba illa de *Curione* ad [n] *Ciceronem Cœlii*, in quibus illum dicit *de Intercalando non obtinuisse*. Scio tamen esse qui inde colligant quod nos volumus, *fuisse* nimirum hoc anno *Intercalatum*. Quasi scilicet id voluisset *Curio*, *ne Intercalaretur*. Atqui contrarium ostendit *Dio*, datam operam à *Curione*, ut per mensem illum intercalarem *produceretur* Cæsaris *Imperium*. *Augebant* enim, pariter ac *subtrahebant*, per menses *Intercalares*, Magistratuum tempora *Pontifices*, testibus [o] *Solino*, & [p] *Macrobio*, atque [q] *Ammiano Marcellino*, quo scilicet *quis Magistratu citius abiret*, *diutiusve fungeretur*, ut loquitur [r] *Censorinus*. Sed de *alio* videtur egisse anno Intercalari *Curio*, de *alio Cicero*. De eo egit *Cicero* qui anno *debebatur*, de eo nimirum quo Magistratu *citius*, quam alioqui oportebat, erat abiturus. De eo *Curio*, quo Magistratus erat Cæsari supra tempus legitimum *prorogandus*. Dedita enim, ni fallor, opera *omissos* olim *Merkedonios* non suppleverant *Pontifices*, ut ne deessent *menses* quibus Magistratibus possent gratificari, nec tamen longius à forma Anni legitima discederent. Poterant itaque æmuli *Ciceronis* obtinere *ut intercalaretur* Merkedonius *legitimus*; nec tamen obtinere *Curio*, ut, ex *omissis* olim *Merkedoniis*, unus saltem hoc anno restauraretur. Talem fuisse, de quo egit *Curio*, *Merkedonium*, verba ipsa *Dionis* ostendunt: Ἠξίε (inquit) μῆνα ἄλλον, πρὸς τὰς αὐτῶν δὲ νομοθεσίας, ἐπεμβληθῆναι. Itaque alius ab eo qui debebatur κατὰ τὰς νομοθεσίας. Ait præterea, id quoque, quod petebat *Curio*, fieri solitum ὁσάκις γε καὶ καθῆκον ἦν, *quo-*

k *Vid. L. V. Ep.* 20. l *ad* Att. *L. V. Ep.* 21. m Dio *Hist. L. LX.* n *Ep. Fam. L. VIII. Ep.* 6 o Solin. *Polyhist. c.* 2. p Macrob. *Sat. I.* 14. q Amm. *L. XXVI.* r Censorin. *c.* 20.

*tiescunque id res exigebat*: Tum vero rem non exegisse, ne quidem *Curionem*, qui *Pontifex* erat, latere potuisse. Plane hæc de *Merkedonio addendo*, non *eximendo*, intelligenda sunt. Scripsit enim illa *Cicero* sub novorum *Consulum initium* qui *adhuc Senatusconsultum nisi de Feriis Latinis nullum facere potuerunt*. Id ergo vult, ni fallor, *Dio*, jam *novo Anno cœpto*, elapsum esse *tempus* intercalandi *Merkedonios addititios*. In Anno enim *Confusionis* solum, qui anno *debebatur*, Merkedonium post *Terminalia* intercalatum legimus. Reliquos videmus *post Novembrem* additos, loco, ut videtur, intercalandorum *Merkedoniorum addititiorum* legitimo. Hoc est quod innuit *Dio*, fuisse παρὰ τὸ καθῆκον, ut scilicet post *Merkedonium*, qui in *Februarii fine* intercalari solebat, *Merkedonius alius* olim debitus, quique adeo ad Anni justum modum deerat, nec tamen alibi quam in *Novembris* fine addi solebat, jam novo prorsus exemplo post *Februarium* intercalaretur *addititius*. Hoc est, ni fallor, quod ait *Curionem* minime latere potuisse. Ipsum nempe *Pontificem*, nec adeo *Pontificii Juris* ignarum. Ita recte sese poterant, etiam apud ipsum *Cæsarem* purgare, si nec *alienum*, nec *loco alieno*, *Merkedonium*, in ejus gratiam intercalassent. Ita *testem* advocare ipsum *Curionem*, de violandis, si id fieret, Juris Pontificii *legibus*. Non tamen ea processisset excusatio, si & *legitimum* ei *Merkedonium* negassent, & *loco* etiam *legitimo* intercalandum. Alieni hoc à *Cæsare* animi manifestum fuisset Argumentum, alieni etiam à *Curione*, nec ulla prorsus ad *Curionem* ipsum *provocatione* diluendum. Rogaverat, fateor, etiam à Curione * Cicero *ne pateretur sibi quicquam ad Provincialem molestiam temporis prorogari*. Sed ne plusquam *annua* Provincia esset, non autem ne Annus *intercalaretur*.

Ergo anno 704. *intercalatum* fuisse certum est. Sed & anno etiam 702. *intercalatum* testis est, uti vidimus, *Asconius*. Ita fiet ut ad annum saltem 700^m. pertigerit hic *Cyclus*, octavusque adeo, vel 12^us. vel 16^us. fuerit annus *Confusionis*, Urbis nimirum *Varronianus* 708. Medius enim inter illos annus esse nec potuit qui *majorem* habebat *Merkedonium*. Ego 8^m. fuisse censeo. Jam supra vidimus anno 705°. eundem fuisse diem *Martii Juliani* XXV^m. cum *Maii veteris* die XVII°. *Martii* ille *Juliani* dies in anno *Bissextilis*, in quo versamur, erat anni 85. *Maii* XVII^us. in anno *veteri* erat 134. Intervallum est dierum 49. qui deerant *veteris* anni rationibus. Horum dierum 45. *Merkedoniis* duobus *majori* & *minori* deberi jam ostendimus, prætermissis nimirum à *Pontificibus*. Inde enim factum ut ad ulteriores in anno dies pertigerint calculi illi in *veteri* anno *Lunari*. Supersunt dies 4. *Epactis* anni *Solaris* debiti quibus annus Solaris Lunarem superabat ducto utriusque calculo à Cycli annorum XXIV. integri initio. Hic certe aut 5^us. Cycli fuerit oportet, si annus *Confusionis* ejusdem *Cycli* fu-

* Cicer. *Fam. II. Ep.* 7. 8.

isset

iſſet 8$^{us}$, aut 9$^{us}$, ſi annus *Confuſionis* ipſe fuiſſet XII$^{us}$. Aut 13$^{us}$. ſi annus *Confuſionis* fuiſſet 16$^{us}$. Sed vero in anno *Cycli* 12°. qui 13$^{m}$. proxime anteceſſit, dies *Cycli Solaris* ad anni finem numerantur [s] 4689. *Lunaris* autem ad finem itidem numerantur 4693. Ut ſit proinde quatriduo Cyclus *Lunaris* hoc in loco *Solari* major, cum *minor* tamen fuerit in anno de quo quærimus. In anno item Cycli 8°. nullæ ſunt utrobivis *Epactæ*. Utræque enim dies 3228. conficiunt, tam *Solares* videlicet, quam *Lunares* etiam, rationes. Sed in anno *Cycli* 4°. conveniunt accuratiſſime cum anni noſtri charactere *dierum* numeri. Sunt enim dies Solares 1767. Lunares duntaxat 1763. Ita neceſſe erat ut anno ſequenti, *Cycli* 5°. diebus illis *quatuor Solares Julianique* calculi *veteres Lunareſque* antecederent. Plane ut in anno noſtro *Varroniano* 705. anteceſſiſſe illos obſervavimus. Itaque *Cycli* novi 5$^{us}$. is annus fuerit oportet, qui adeo *Cyclus* ab anno Urbis *Varroniano* 700 inceperit.

Poteſt præterea ſupputandi ratio illa ita ſtabilita multis ex Hiſtoria petitis exemplis confirmari. E quibus illud una conſtabit *binorum Merkedoniorum* illum, quem diximus, neglectum, per aliquot fortaſſe *Sæcula*, certe *Cyclos*, jam olim fuiſſe receptum. Et quidem *Faſtos jam pridem*, ante Cæſarem, *fuiſſe turbatos*, teſtis eſt *Suetonius*, Jul. c. 40. Pauca quædam, hiſque, de quibus agimus, temporibus propiora proponemus. Obſervavit [t] *Macrobius* id caviſſe veteres ne unquam *Nundinæ* in *Kalendas Januarias* inciderent. Id enim *quoties contigiſſet*, *omnem illum annum* obſervaverant *infauſtis caſibus fuiſſe luctuoſum. Maximeque Lepidiano tumultu opinionem iſtam* dicit *fuiſſe firmatam.* Inde conſtat anno quo *Lepidus* Conſul erat, qui Urbis erat *Varronianus* 677. *Nundinales* fuiſſe Kalendas *Januarias*. Alioqui nulla illa fuiſſet obſervatio. Is annus erat *Cycli* 1$^{us}$. Superiores erant, ut è noſtra conſtat *Tabula*, rationes *Julianæ* in ſuperioris anni fine diebus 8. Ita Kalendæ *Januariæ* anni pro forma *veteri* 677. in diem incurriſſent *Decembris* 24. qui adeo anno 676. accenſendus erat pro forma *Juliana*. *Nundinas* deinde alias ponit *Cicero* in XI. Kalend. *Decembr*. anni, quo ipſe in patriam reſtitutus eſt, 697. Sic enim legendum, non ut in Editione legitur *Græviana*, in qua ita legitur: [u] *Ante diem X. Kal.* [Decembr. ut è ſuperioribus conſtat] *Nundinæ. Concio biduo nulla. Ante diem VIII. Kal. hæc ego ſcribebam hora noctis nona.* Sed in poſterioribus verbis pro *VIII. Kal.* potius *VII. Kal.* reponendum fuiſſe jam olim cenſuit *Corradus*. Recte quidem ille, ſi de prioris numeri ſinceritate conſtaret. De eo enim diſertum habemus teſtem ipſum *Ciceronem* à *X.* illo, qui legitur, *Kalendas* jam fluxiſſe *biduum*. Id quoque certum, ad *tertium* ab eo *diem* ſpectaſſe horam *noctis nonam* qua ſcripſit illa *Cicero*, quæ ſe *VIII. Kal.* ſcripſiſſe teſtatur. Nec ta-

[s] *Vid.* Tab. *IV. infra.* [t] Macrob. *Sat. I.* 13. [u] Cicer. *ad* Attic. *IV. Ep.* 3.

men

men ulli memorantur ſeu Codices *MSS* ſeu *Editiones* quæ hunc ultimum numerum aliter, quam vidimus, repræſentent. Ne quidem præfert ipſe *Corradus*. Atqui ea lectio ſi vera ſit; jam neceſſario ſequetur *XI*ᵐ. *Kal.* fuiſſe *Nundinas* illas quas tamen *X*ᵒ. tribuit Textus *Grævianus*; Nec ille modo, ſed *Editiones* aliæ pleræque, quas vidimus, tam *veteres* quam etiam *recentiores*. Illud ſaltem ſequetur jam eſſe merito cur ſuſpicemur in numerorum altero mendam eſſe, cum verus eſſe uterque non poſſit. Facit præterea cur de *priori* potius quam de *poſteriori* numero dubitemus, quod in *Balliol. Helmſt.* multiſque *MSS.* & *Editionibus*, ita legi teſtetur Grævius: *Ante diem XII. in Comitium* &c. *Balliolenſem* Codicem ipſe conſului & diem XII. in eo, non XI. reperi. Quæ quidem lectio ſi in verbis paulo ſuperioribus obtineat; neceſſe erit *XI*ᵐ. fuiſſe *Kalendas* in quem *Nundinæ* inciderint. Sed *XII. Kal.* mentio in ſuperioribus occurrit. Occurrit ſane, idque recte. Nec enim alius ille dies erat ab eo quem Nos *XII. Kalendas* fuiſſe contendimus. Eſt enim in verbis *Ciceronis* ſuperioribus illa, ut videtur, ſeries. *Conciones* (inquit) *turbulentæ Metelli, temerariæ Appii, furioſiſſimæ Publii. Hæc tamen ſumma; niſi Milo in campum obnunciaſſet, comitia futura ante diem XII. Kal. Decembres.* Ita enim ſententia conſtituenda eſt, non autem diſtinctionis nota inſerenda poſt vocem *futura* quaſi verba ſequentia ad ſententiam ſequentem ſpectarent. Inde colligitur *XII. Kal. Dec.* fuiſſe diem *Comitiis* conſtitutum. Sequitur: *Milo media nocte magna manu in campum venit*, in quem nimirum ipſe obnunciaverat. *Clodius, cum haberet fugitivorum delectas copias, in campum ire non eſt auſus. Milo permanſit ad meridiem mirifica hominum laetitia, ſumma cum gloria. Contentio fratrum trium turpis, fracta vis, contemptus furor. Metellus tamen poſtulat ut ſibi poſtero die in foro obnuncietur: nihil eſſe quod in campum nocte veniretur, ſe hora prima in Comitio fore.* Hic certe *unicam* habemus *noctem*, diem *Comitialem unicum*, qui alius profecto eſſe vix potuit quam ipſe ille *XII. Kal.* Aliter fuiſſet, alia neceſſaria fuiſſet *obnunciatio*; quam tamen nullam *Cicero* vel memorat, vel ſaltem innuit. Itaque ſequentia non ad *alium* à *meridie* illo diem, ſed ad illa ipſa *nocturna jurgia*, quæ *Comitiorum* diem ipſum præceſſere, referenda ſunt. Id tantum obiter obſervaverat, quanquam de nocte convenerat in Campum *Martium* cum ſuis *Milo*; non tamen antea diſceſſiſſe quam *tempus* elapſum eſſet *Comitiis* legitimum, quæ nulla poſt *Meridiem* haberi ſolebant. Ita optime cohærebunt ſequentia: *Itaque ante diem* [non ut vulgo legitur, *XI.* ſed] *XII. Kal. in Comitium Milo de nocte venit. Metellus cum prima luce furtim in campum itineribus prope deviis currebat. Aſſequitur inter lucos hominem Milo; obnunciat. Ille ſe recepit, magno & turpi Q. Flacci convicio.* Redeuntis eſt ad ea quæ ſupra dixerat, vox illa *Itaque*. Nec alius memoratur *Metelli* in *Comitium* adventus quam hic ipſe, cum tamen non in diem XI. ſed XIIᵐ. Kal. Comi-

tia

tia obnunciata sint. Ita recte sequetur. *Ante diem* [non *X.* sed] *XI. Nundinæ.* De die enim diei *Comitiali* proximo, qui dies *Comitialis* plusquam *unicus* non fuerat, agi manifestum est. Recte itaque, &, pro mente *Ciceronis*, nostra illa procedit interpretatio.

Et quidem ita satis accurate procedent calculi. Kalendæ illæ *Januariæ*, quibus Consulatum inivit *Lepidus*, anni U.C. 677. in diem incurrunt *Cycli* 299. XI$^{us}$. autem Kal. *Decembres* anni 697. quo *Nundinas* fuisse testatur ex nostra Interpretatione *Cicero*, in diem convenit ejusdem *Cycli* 7939. Detrahe ex hoc numero dies 299 reliqui erunt dies 7640. Hos divide per 8, nec quicquam supererit. Itaque 8$^{us}$. ille dies est à *Lepidi* Kalendis *Januariis*, adeoque recte *Nundinalis*. Atque hinc præterea sequitur 2$^{m}$. *tertiæ* Ogdoadis *Merkedonium*, qui (pro nostris hypothesibus) anno conveniebat 696. recte à nobis minoris formæ dierumque duntaxat 22. non autem 23. fuisse constitutum. Firmat præterea quæ diximus, quod Kalendæ etiam *Januariæ* anni U.C. 714. fuerint, ni cavissent Pontifices, in *Nundinas*, pro supputationis recepta lege, incursuræ. Ita futurum testem habemus fide dignum *Dionem*. Idque etiam erit, pro nostris hypothesibus verissimum. Illud ita colligimus.

| | |
|---|---|
| Demtis 7939. diebus è *Cyclo integro* dierum 8766, supererunt | 827. |
| A *Cycli novi* initio ad *finem* anni 7$^{i}$. - - - - - - - | 2850. |
| In anno *Confusionis* dies - - - - - - - - - - - | 445. |
| Anno Urbis *Varroniano* 709. *Bissextili* - - - - - | 366. |
| Anno *Varroniano* 710. - - - - - - - - - - - - - | 365. |
| Anno *Varroniano* 711. - - - - - - - - - - - - | 365. |
| Anno *Varroniano* 712. - - - - - - - - - - - - - | 365. |
| Anno *Varron.* 713. *Bissex.* accensito sequentis an. Kal. *Jan.* | 367. |
| in universum | 5950. |
| Demto *Merkedonio* minori an. 706. quem omissum probavimus | 22. |
| Reliqui erunt dies - - - - - - - - - - - - - | 5928. |

Hos etiam si per 8 dividamus, nihil supererit. Itaque & ille 8$^{us}$. est atque *Nundinalis*. Ita hæc conveniunt ad amussim, ut quæ jam probavimus, vera esse inde constet omnia. Inde constat recte nos annos *Cycli* cum *Urbis Conditæ* Epocha *Varroniana* commisisse. Inde *Anomaliam* omnem, quæ in magnis supputationibus apparet, justorum fuisse *Merkedoniorum*. Inde *Merkedonium* illum quem anno 706. *præter* legem *Cycli* omissum diximus, recte etiam à nobis fuisse in supputationibus prætermissum; & vere illum *minoris formæ* fuisse *Merkedonium*. Inde reliquos etiam duos *Merkedonios*, *majorem* alterum, alterum *minorem*, ad *Cycli* saltem illius initium qui cœpit anno *Varroniano* 676. fuisse similiter omissos. Ego diu *antea* omissos ostendi, vellemque libenter *loca* ipsa omissionum

ſionum indagare, ſi eſſet otium. Inde *majorem* fuiſſe in anno *Confuſionis Merkedonium*, & numerum illum dierum ejus, quem dedit *Cenſorinus*, juſtum fuiſſe, contra ſententiam Maximi *Scaligeri*. Inde annum *Julianum* primum, U.C. *Varronianum* 709. *Biſſextilem* fuiſſe, cum tamen *Biſſexti* locum in anno *veteri* Lunari *major* ſuppleverit *Merkedonius*, quem anno præcedente *Varroniano* 708. intercalatum fuiſſe diximus. Hoc equidem aliquando miratus ſum. Et tamen ex hac ſupputatione colligitur fuiſſe de Facto veriſſimum. Fecit hoc fortaſſe pro ſecundis cogitationibus *Soſigenes*, quem *Plinius* varium fuiſſe teſtatur. Obſtare tamen videbitur, quod Anni *Varroniani* 702. Kalendis *Januariis Nundinas* ponat [x] *Dio*. Fortuito quidem illud contigiſſe teſtatur, propter magnos Reip. tumultus, & tamen Prodigii malique ominis loco habitum. Non autem *hujus* anni Kalendis *Januariis Nundinæ* reſpondent, ſed *ſuperioris* anni diei ultimo. Sed propterea non eſt Regulis à nobis conſtitutis fides deroganda, tot aliis temporum præcedentium ſequentiumque exemplis confirmata. Crediderim potius id inde contigiſſe, quod *ſuperioris* anni *Decembris Nonis Nundinæ* futuræ eſſent niſi à Pontificibus proviſum eſſet, id ne contingeret. Erat enim *dies* illius Cycli 629. octavus à *Nundinis* jam prædictis. Id ergo ut caverent, *diem* aliquem *ante* Nonas *eximendum* ἐξαιρέσιμον decreverant Pontifices, in *fine* anni menſis annique, ni obſtitiſſent tumultus, ſupplendum. Illi cum intervenirent obſtarentque, ita factum ut uno die *citius* quam oportuit, evenirent Kalendæ *Januariæ*, atque ita in *Nundinas* inciderent. Erat enim ea Pontificum in Faſtis diſciplina, ut dies *exemptiles* undequaque tollerent, *addititios* non alibi quam in *menſium* aut *anni* fine intercalarent. Id certe obſervavit in Kalendarii Reformatione *Cæſar* ut dies omnes *novos* in menſium *fine* ſubjunxerit. Dies autem ἐξαιρεσίμους *Græci*, ubicunque viſum eſſet, eximebant. Certe 63^m. quemque in Periodo [y] *Calippi*. Ab illis autem *Romani* anni diſciplinam omnem manaſſe veriſimile eſt. Et quidem ita cautum teſtatur [z] *Dio* ne *Nundinæ* in anni *Varroniani* 714. Kalendas *Januarias* inciderent. *Intercalatum* ait primum præter conſuetudinem diem unum, anni proinde *ſuperioris* fine, unde factum ut *Nundinæ* in ſuperioris anni jam facti auctioris diem *ultimum* transferrentur. Tum poſtea dies *exemptus*, ut tempus ad *Julii Cæſaris ordinationem competeret*. Ex anno *novo*, nec in menſis *fine*, diem *exemtum* fuiſſe oportuit, pro Regulis jam dictis, ad amuſſim.

Jamque fortaſſe has etiam *dierum* intercalandorum, quæ videri poterunt, *Anomalias* ad *Regulas* redigemus, ut etiam illos habeamus, in Chronologia noſtra exploratos. Tribus enim potiſſimum de cauſis dierum illas ſingularium *intercalationes exemtioneſque* decrevere Pontifices quæ *Nundinarum* cauſa conſtitutæ ſunt: ne ſci-

x Dio. *L. XL. p.* 142. *Ed.* Hannov. y Gemin. z Dio *L. XLVIII. p.* 377.

licet

licet *Nundinæ* in *Kalendas Januarias*, aut menfis *cujufque Nonas*, aut *Sacra Publica* incurrerent. Itaque ubi nulla harum caufarum occurrit, ibi *legitimas* Nundinarum fedes obfervatas fuiffe verifimile eft Ubi occurrit, facile id è *Cycli* noftri *lege* difcemus, cum & certa in *Cyclo* noftro intervalla occupent *Nundinæ*; & certos item in anno veteri *dies* non illæ modo *Kalendæ* atque *Nonæ*, fed & *Sacra* etiam *pleraque* publica, fimiliter obtineant. Erant enim, fateor, nonnulla *conceptiva* & à Magiftratuum *arbitrio* pendentia. Sed nullam illa *Kalendario* novitatem facile inferre poterant. Cur enim Magiftratus Sacra illa *Nundinis indicerent*, quæ, fi in *Nundinas incidiffent*, effent *proinde* transferenda? Id quoque jam tenemus, ne quidem longe Nos à *dierum fede* aberrare poffe, tam fcilicet illorum qui *eximerentur*, quam etiam eorum qui effent *intercalandi*. Si enim de *Nundinis* metus effet, *eximendi* erant dies *ante* illos à quibus transferendæ erant *Nundinæ*, poftea deinde alii in illorum locum intercalandi. Sed *diei Intercalaris* fedem *in medio Terminaliorum vel menfis Intercalaris* ponit [a] *Macrobius*. Sed pro *vel* omnino reponendum *&*. *Medius* enim erat inter Terminalia & menfem Intercalarem *dies* ille *Intercalaris*. Inde *tertio die poft Terminalia Kalendas Intercalares* apud [b] *Livium* legimus. Unde & illud colligimus, fuiffe illo anno diem aliquem propter iftiufmodi Religiones *exemtilem* qui fuerit ita fupplendus. Ita quidem quoties dies ille exemptus, ut Nundinas ab uno die fufpecto removebat, ita non in alium rejiceret fimiliter fufpectum. Hæc ipfa caufa eft de qua modo agebamus. Quæ enim diei exemtio caufa erat ne *Nonæ Decembres* effent *Nundinales*, fecit eadem ut in *Nundinas* inciderent *Kalendæ Januariæ*. Hæc ergo caufa quoties eveniret; non poterant jam expectari *Terminalia*, fed alio aliquo in loco *medio* inter dies illos *fufpectos* primum fecundumque, inferendus erat qui Anni formæ juftæ per *exemtionem* deerat, dies *Intercalaris*. Idque innuit alio illo in loco, ni fallor, [c] *Livius* in quo fcribit *poftridie Terminalia intercalares* fuiffe. Nihil fane fingulare habebat dignumque obfervatione, quod *poftridie Terminalium* Kalendæ fuerint *Intercalares*, cum is fuerit locus earum ufitatiffimus. Id tamen *fingulare* erat fi ita eveniret in anno in quo præceffiffent dies *exemtiles*, quales in illo fupponebat anno feu *Livius* ipfe, feu *Auctor* quem fecutus eft. Hinc ergo colligimus metum illum de *duobus* diebus Religiofis non *exemtione duplici*, fed *Intercalatione* ante *Terminalia* fuiffe fublatum. Sic & in illis etiam annis manifeftus erit locus *Intercalationis*. Non tamen explicat *Macrobius* quis fuerit veterum *Romanorum* mos in illis annis quibus nulli, pro *Cycli* lege, debebantur *Intercalares*. Innuit forte non ante annum fequentem fuiffe *Intercalatum*. De eo autem ut minus conftet, non erit tamen plufquam *unius diei* quæ inde orietur Anomalia.

a Macrob. *Sat. I.* 13. b Liv. *L. XLIII. c.* 11. c Liv. *L. XLV. c.* 44.

Sed

Sed vero *duos* illos *Merkedonios* jam *pridem* prætermiſſos obſervavimus è *Suetonio*. Ego ante annum *Varronianum* 586. prætermiſſos exiſtimo. Illo certe anno *Eclipſin* Lunæ *Junii Juliani* proleptici die XXI. fuiſſe docent tabulæ *Aſtronomicæ*. Eadem illa fuerit oportet quæ Prælium *Æmilii Pauli* cum *Perſeo* præceſſit, quamque prædixit *Sulpicius Gallus*. Sed viros doctos hactenus fefellit, ni fallor, lectio *Livii* mendoſa. Ait enim ille [d] *nocte quam pridie Nonas Septembres inſecuta eſt dies*, *Lunæ* illum *defectum* contigiſſe. Sed nec *æquis* conſtat *Merkedoniis* ſpatium illud inter *Junii Juliani* diem XXI. & *Septembris diem* III^m^. in forma veteri; nec *Epactis* in anni ſuperioris fine relictis reſpondet diſcrimen in forma *veteri* atque *Juliana*. Scripſit, ut exiſtimo, *Livius Sext.* Inde fecere Librarii, errore facillimo, primo *Sept.* tum *Septembres*. Ita certe ſi legamus, reſpondebunt ad amuſſim omnia. Annus ille *Cycli* VI^us^. eſt. Numerantur in forma *veteri* ad finem anni *ſuperioris* dies 2118. Annus deinde VI^us^. *intercalaris* eſt *Merkedonio minori*. Sic itaque dies *Sextilis* 3^us^. erit illius anni 233. Hi additi numero præcedenti dies efficient in univerſum 2351. Hinc demto numero dierum qui in anni ſuperioris fine ſupererant, pro forma *Juliana* 2133. reliqui erunt dies 218. quo die anni *Juliani* fuiſſet veteris formæ *Sextilis* 3. ſi nulli defuiſſent *Merkedonii*. Sed quia deſunt, quos diximus, rurſus detrahendi utriuſque *Merkedonii* dies in univerſum 45. Sic reſpondebit *Sext.* 3. ſeu dies *veteris* formæ 233. diei 173. In forma *Juliana* videtur quidem *dies* ille in *diem* incidere *Junii Juliani* XXII. pro noſtro anni *Juliani* communis Kalendario. Nec aliter tamen quam oportebat. Abſolvebatur enim *Junii* XXI^us^. *meridie* præcedenti pro forma jam recepta apud juniores *Aſtronomos*; vel à *nocte media* pro more *Romano*. Ita horæ illæ quæ ſuperſunt ad diem ſpectabunt labentem XXII^m^. Subtrahamus itaque 173 è 233. reliqui erunt *dies* 60. quibus antecedet calculus *Solaris Julianus* calculum *veterem Lunarem*. Horum 45. deficiunt propter omiſſos *Merkedonios*; 15. autem propter reliquas (ut è *Tabula* noſtra IV. conſtat) anni ſuperioris *Epactas*. Adeo hæc accurate conveniunt ut fieri vix poſſit quin vera fuerint quæ per noſtra illa Ratiocinia collegimus.

Et tamen fateor contra eſſe in Livio notas Chronologicas alias quæ receptæ Lectioni faveant. Ait ille [e] *ante diem decimum Calendas Octobres Ludorum Romanorum ſecundo die C. Licinio Conſuli ad quadrigas mittendas* [Romæ] *eſcendenti, tabellarium, qui ſe ex Macedonia veniſſe diceret, laureatas literas* tradidiſſe. Et de hoc ipſo die poſtea ita ſcribit: *Tertius decimus dies erat ab eo quo in Macedonia pugnatum eſt.* Et quidem de *Calendis*, non *Septembribus*, ſed (ut in eo ipſo loco legebatur) *Octobribus*, intelligendum ſequentia videntur oſtendere. *Legatos* ipſos Æmilii Conſulis, [f] *à quibus præmiſſus fuerat iſte tabularius, ante diem ſextum*

[d] Liv. l. XLIV. c. 37. [e] Liv. l. XLV. c. 1. [f] ib. c. 2.

Calend.

*Calend. Octobris, hora fere secunda, urbem ingressos* fuisse docet. Eodem nempe mense quo etiam appulerat Tabularius. Et cum *Supplicationes* Senatus *ob rem egregie gestam ab L. Æmilio Consule in quinque dies* decrevisset, hos etiam dies intervallo satis commodo posuit, sed mense eodem pariter Octobri. *Supplicatio* (inquit) *pro concione Populi indicta est ex ante diem quintum Idus Octob. cum eo die in quinque dies.* Mensi etiam *Septembri Ludos Romanos* tribuunt vetera Kalendaria. Sic in Kalendario *Gruteriano* ad prid. Non. *Sept.* legimus: [g] LVDI. ROMANI. Pariter LVDI per omnes ejusdem mensis dies usque ad Idus, qui tamen iidemne fuerint, non constat. Sequitur ibidem 2°. die post Idus (nec enim numerantur sequentis mensis Kalendæ) LVD. ROM. IN. CIRC. Iterumque per quatuor deinceps dies IN. CIRC. Sic etiam in Kalendario *Constantii* (sed *prid. Id.*) LVDI. ROMANORVM. Nec tamen propterea *Livium* ab erroris suspicione libero. Fuerint fortasse apud *juniores Romanos* Ludi, *Septembri* etiam mense, *Romani.* Sed Ludos Romanos *unicos* agnovit certe *Livius Consualium.* Ludos *opulentius instructiusque quam priores Reges, fecit Tarquinius Priscus,* eodem teste [h] *Livio.* Eosdem scilicet qui à prioribus Regibus fuerant observati. De his ita postea: *Solennes deinde annui mansere Ludi, ROMANI magnique varie appellati.* De Ludis loquitur *Circensibus* in quorum usum *Circum Maximum* struxit *Tarquinius Priscus.* Et sane in *Circo* ipsos illos fuisse *Consualium* ludos, quibus virgines *Sabinæ* raptæ sunt, verba habemus diserta Varronis: [i] *Consualia dicta à Conso, quod tum feriæ publicæ ei Deo, & in Circo ad aram ejus ab Sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus virgines Sabinæ raptæ. Consum,* scio, plerique pro *Neptuno* habebant *Equorum Deo* ut erant *ludi* hi præcipue *Equestres.* Et *ludos magnos Romanosque* testatur Festus [k] *in honorem Jovis, quem principem Deorum putabant* Veteres, fuisse institutos. Sed *Consum Deum consilii putabant,* eodem teste [l] *Festo.* Et mystico illo *Consilii* nomine tam apte poterat intelligi *Jupiter* quam *Neptunus.* Erant enim apud Veteres Dii XII *Consentes* communi hoc *Consilii* nomine appellati, in quibus locum habebat uterque, *Jupiter* atque *Neptunus.* Sed qua *consilii præsidem* præcipue denotabat *Consus* singulari numero ita dictus, sic rectius *Jovem* designabat quam *Neptunum.* Sub *Consi* tamen nomine ludorum *Circensium* honorem primus accepit, quicunque is Deus fuerit, pro sententia juniorum.

Et vero *Consualia* illa in honorem *Consi* hoc ipso, quem volumus, mense *Augusto,* non *Septembri,* Veteres testantur observata. Ita ipsum illud Kalendarium [m] *Gruterianum* in mense *Augusto* 8°. post *Idus* die, CONS. NP. Ita & aliud Kalendarium in eodem *Grutero,* ad XII. Kal. *Sept.* [n] CONS. NP. CONSO. IN. AVEN-

g Grut. *p.* 133. h Liv. *L. 1. c.* 35. i Varr. *Ling. Lat. L. V. p.* 48. k Fest. *verb.* Magn. lud. l Fest. *voc.* Consual. m Grut. *p.* 133. n Grut. *p.* 134.

TINO. SACRIFICIVM. Ita in Fragmento. [o] *Gruteriano* alio, cui tamen deest quidem *mensis* titulus. Si tamen cum mense *Augusto* integro conferatur, idem esse constabit. Firmat præterea situm *Consualium* Scriptor *Romanorum* antiquissimus *Fabius Pictor*, qui $4^{o}$. demum ab *Urbis* Natali *mensi* illos assignavit in *Consi* honorem Ludos quibus raptæ sunt *Sabinæ*. *Palilia* mense *Aprili* fuisse in confesso est. Ergo *Sextili*, seu *Augusto* Ludos fuisse necesse qui $4^{m}$. à *Palilibus* mensem occuparint. Accedit [p] *Plutarchus* qui *diem* ipsum designavit quem festum celebrabant *Romani* in memoriam raptarum *Sabinarum*. Verba ejus illa sunt: Ἐτολμήθη μὲν οὖν ἡ ἁρπαγὴ περὶ τὴν ὀκτωκαιδεκάτην ἡμέραν τοῦ τότε Σεξτιλίου μηνὸς, Αὐγούστου δὲ νῦν, ἐν ᾗ τὴν τῶν Κωνσαλίων ἑορτὴν ἄγουσιν. Dies ille *Sextilis* $18^{us}$. in forma *veteri* qua 29. duntaxat dies complectebatur mensis ille, idem *Septembris* erant Kalendæ XIII. Ita $2^{us}$. Ludorum *dies* in ante diem XII. Kalendarum inciderit quem $X^{m}$. tamen, ut vidimus, numerat *Livius*. Duorum illud dierum discrimen à duobus videtur manasse diebus in forma *Juliana Augusti* mensis *addititiis*. Fefellit tamen vel *Livium*, vel *Librarium* calculus, dum numerum illum Kalend. XII. ad formam *Julianam* auctiorem pertinere crederet, qui erat revera formæ, ut vidimus, *Pompilianæ*. Unicæ diei discrimen est in Kalendariis *Gruterianis*, quæ tamen numerum Kalendarum *Pompilianum* retinebant in forma anni *Juliana*. Nec sane consentit intervallum XIII. dierum à *Pugna* ad $2^{m}$. ludorum *diem*, utrovis modo *Ludos* illos intelligamus, seu de Ludis mensis *Augusti Consualibus*, seu potius de aliis illis mensis *Septembris* quos *Romanos* appellabant juniorum Kalendaria. Vel inde constat non adeo certam esse Codicum *Livianorum* fidem etiam *consentientium*. Propius tamen ad consensum accedet si de *Sextilis Consualibus Livium* interpretemur. *Pugnam* ipsam *pridie Nonas* è *Livio* fuisse constat, proximo ab *Eclipsi*, $4^{o}$. autem *mensis*, quicunque demum is fuerit, die. Inde dies $13^{us}$. mensis $17^{m}$. fuerit necesse erat. Et $XVIII^{m}$. numerat *Plutarchus*, non tamen *secundum* cum *Livio*, sed *primum* potius, Ludorum diem. Justum tamen est in numero *Plutarchi* dierum XIII spatium si extrema excludantur. Longius discedunt à spatio illo *dies* Ludorum *secundi* pro *juniorum* Kalendariis. *Septembris* $4^{o}$, ipsi *Pugnæ* diei *Ludorum Romanorum* diem *primum* attribuit Kalendarium prius *Gruterianum*. $2^{o}$. rursus post *Idus* die alios habet in *Circo Romano Ludos* idem Kalendarium. Facile inde colligimus varios juniorum fuisse *Romanos Ludos*, quos tamen plusquam *unicos* nuspiam agnoscit *Livius*. *Ludos* ille *Romanos* memorat sæpissime. Nunquam *Consualia*; cum tamen *annua* illa fuisse ad suam usque memoriam testis sit *Plutarchus*. Unde hoc nisi quod *Consualia* quæ plusquam *unius diei* non erant, communi *Ludorum Romanorum*, qui *plurium dierum* erant nomine complexus est?

[o] Gruter. *p.* 135. 2. [p] Plutarch. *Romul. p.* 26.

Con-

Convenient præterea melius cum *re ipsa*, aliisque ipsius *Livii* testimoniis, nostræ hypotheses quam receptæ illæ quas oppugnamus, hodierni Textus *Liviani* lectiones. Ait [q] *Livius circumactum* fuisse cum pugnaretur, *Solstitium*. Quod tamen verum esse non potuit pro rationibus anni, quæ *Livii* ætate sunt receptæ, *Juliani*. *Solstitium* assignabant coævi *Livio* VIII. Kal. *Jul. Junii*, nimirum diei XXIV. cum tamen XXII°. pugnatum fuerit, die qui *Eclipsin* proxime sequebatur, pro forma *Juliana*. Ait idem [r] *Comitia* quibus *designatus* est ad Consulatum *Æmilius*, *maturius acta*. Et [s] *ferias Latinas* idem ait fuisse *maturas*. Eas tamen prid. Kal. *April.* fuisse jam supra observavimus. Et recte quidem *ferias* illas *primo quoque tempore* observatas tradit [t] *Livius* qui ferias *easdem*, cum anno 583. Cal. *Juniis* celebrarentur, *maturas* dixerat. Sed *intercalaris* erat annus 586, *Communis* autem 583. Et tamen vel ita *primo quoque tempore* factæ sunt quæ plusquam *menstruo* spatio feriis illis anni 583. erant maturiores. Conveniunt feriæ illæ, pro nostris rationibus, anno *Cycli* VI°. detractis duobus, quos dixi, *Merkedoniis*, diei *Februarii* XIX°. Pro lectionibus *Livii* receptis XXIX. diebus adhuc maturiores fuerint oportet. Totidem enim dies numerantur à Prid. Non. *Sextil.* in forma *veteri*, quo die nos pugnatum esse contendimus, ad prid. Non. *Sept.* cui *pugnam* illam eandem tribuit Lectio hodierna Textus *Liviani*. Sic die *Januarii* XXII°. fuerint *Latinæ* illæ *feriæ*. Sequenti post ferias illas die *paludatus* ex Urbe discessit *Æmilius*. Nempe *Februarii* die, pro nostris hypothesibus, XX°. Inde ad *Brundisium* dierum non multorum iter esse potuit. Inde itinera ejus usque ad exercitum ipse descripsit *Æmilius* Oratione sua quam servarunt [v] *Livius* & [x] *Plutarchus*. A *Brundisio*, sole *orto*, solvit. Nona diei hora *Corcyram* tenuit. Inde *quinto* die *Delphis Apollini* pro se exercitibusque & classibus *lustra* sacrificavit. Demus hanc exercitus lustrationem *paucorum* fuisse *dierum*, quanquam ne *unius* quidem *diei* moram memoret *Æmilius*. A *Delphis* tamen *quinto* die se in castra venisse testatus est. Ita mense *Martio Juliano*, nec admodum *affecto*, in *castra* pervenerit. Sed *Veris principium* fuisse tradit [y] *Livius*, cum veniret *Æmilius* in *Macedoniam*. Nolo hic *Veris* principia *varia* & *incerta* in anni forma *Juliana* indagare. *Livium* aut *Livii Auctores* è *Livio* ipso optime interpretabimur. *Veris principium* è *principio Autumni* facile colligemus. *Autumnum* autem fuisse, & *initium Autumni*, cum *circuiret Æmilius Græciam* indicat *Livius*. Verba ejus in hanc sententiam manifesta hæc sunt: [z] *Autumni fere tempus erat, cujus temporis initio circumeundam Græciam, visendaque quæ nobilitata fama magis auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut statuit* &c.

q Liv. L. *XLIV.* c. 36. r Liv. L. *XLIV.* c. 17. s *ib.* c. 19. 22. t Liv. L. *XLII.* c. 35. u Liv. L. *XLV.* c. 41. x Plutarch. *vit.* Æmil. y Liv. L. *XLIV.* c. 30. z Liv. L. *XLV.* c. 27

Tempus hoc fuit mox à *victoria*, mox ab *Eclipsi*, cujus adeo situm, in anni forma etiam *Juliana*, inde habemus exploratum. Vicit *Junii* XXII. Civitates [a] *Macedoniæ* plerasque recepit infra *biduum*. Inde [b] *Pydnam* concedit. Tum altero die [c] *Pellam*, ubi per aliquot *dies* stativa habuit. Ita discesserit in Græciam Junio mense exeunte. Hoc autem tempore, si cœperit *Autumnus*, etiam *Ver* illud quod *Autumnum* illum proxime præcessit, *Martio* vel *affecto*, vel *exeunte* cœperit necesse est. Potuit Ver *Rusticum* paulo esse maturius, quod ab *hirundine visa* deducunt *Veteres*, aut *Favoniis*. *Militare*, rebusque extra patriam gerendis idoneum à *pabulo* deducunt jumentis necessario, cujus vel prima maturitas frustra solet ante *Martium* expectari. Inde constat eo propius nos ad verum accessuros quo *Veris initium* Martii Juliani *fini* proprius admovemus. Atqui in *Februarium* ineuntem, diebus aliis XXIX. de numero subducendis, detrudent *principium Veris* aliæ illæ *Livii* lectiones, quod sane cum initio *Veris militaris*, cum *Autumni initio* etiam *Liviano*, conciliari omnino non potest.

Spectant præterea notæ hujus temporis aliæ *Livianæ* eo, ut post *Veris principium* quo in *castra* accessit *Æmilius*, *brevianda* potius fuerint ad *Victoriam* tempora quam *protrahenda*. Se certe Bellum illud *quindecim diebus* perfecisse in prædicta Oratione ipse gloriatur [d] *Æmilius*. Non equidem ab *acceptis exercitibus*, sed à *viso* potius *hoste*, dies illos fortasse numeraverit. Sed qui, *viso hoste*, adeo ad conflictum *properabat*, qui [e] *cum ingentibus minis* eo *adventabat*, de quo, cum primum *designaretur*, [f] *extemplo apparuit*, *non segniter id Bellum gesturum*; eum ne *moras* quidem admissurum fuisse verisimile est, quin ex quo *exercitum accepisset*, *hostes* deinde etiam primo quoque tempore *viderit*. Et quo pauciora illum morarentur jam olim providerat [g] *legatis* antea quam *Roma* moveret in *Macedoniam* mittendis. Faciunt eodem quæ habet *Livius* de Prætore *Anicio* qui eodem tempore *Roma* discessit quo *Æmilius*, eodem in *Provinciam* venerit. [h] *Veris* nimirum, similiter ut ille, *principio*. De hujus bello in Illyrios ita Livius: [i] *Hoc unum bellum prius perpetratum, quam cœptum Romæ auditum est*. Paulo tamen plures ejus *dies* numerat quam *Æmilii*. Bellum enim illud ab eo intra *triginta* dies confectum dicit, cum tamen *viginti* duntaxat concedat *Appianus*. Et quidem paulo *serius Romam* venerunt victoriæ nuncii ab *Anicio* quam ab *Æmilio*, & *supplicationes*, *Anicii* nomine à Senatu decretæ sunt paulo *seriores*; quas tamen hodierni *Livii* Codices protraxerunt ad mensem usque [k] *Novembrem*. Cœpti *Vere ineunte* Belli citiusque *confecti* quam *cœpti fama* ad *Romam*

*a* Liv. *L. XLIV. c.* 45. *b* Liv. *ib.* *c* Liv. *ib. c.* 46. *d ap.* Liv. *L. XLV. c.* 41. *e* Liv. *L. XLIV. c.* 32. *f* Liv. *L. XLIV. c.* 18. *g.* Liv. *ib. c.* 18. *h* Liv. *ib. c.* 50. *i* Liv. *L. XLIV. c.* 32. *k* Liv. *L. XLV. c.* 3.

emana-

emanaverat, tam tardos mirum est fuisse nuncios. Tam diu nimirum post *Autumni* initium illud quod adeo certum in Kalendario etiam *Juliano* fuisse probavimus. Inde certe suspicio in *mensium* nomina *numeris* designatorum errores irrepsisse, & pro *Octobri* mense reponendum esse *Septembrem*, pro *Novembri* autem similiter *Octobrem*. Nec fuerit sane hoc difficile si notis primum *numeralibus* conceptos *menses*, postea deinde *verbis* descripserit Librarius.

Hucusque ergo processerat mos ille *Pontificum* omittendi *duos* illos *Merkedonios*. Diu tamen antea incipere non potuit. Satis enim accurate ex Historiæ *Livianæ* contextu universo monstrosam illam anni 564. anomaliam refutavit Doctissimus [l] *Bullialdus* quam è depravato *Livii* Textu collegerant Chronologorum Principes *Scaliger* & *Petavius*. Rectius, ut opinor, notas illas *Chronologicas* quas tribuit *Livius* Eclipsi anni 564. retulit *Bullialdus* ad Eclipsin aliam à *Livio* sed *sine* notis Chronologicis, *memoratam*, anno ejusdem Epochæ *Varronianæ* 566. Sed nondum *Bullialdo* constabat ars illa quam hic dedimus, supputandi in *veteri* Chronologia *Romana*. Itaque supplebimus Nos firmabimusque Viri sane Maximi inventum. Ait *Livius* anno 566. [m] *luce, inter horam tertiam ferme & quartam, tenebras obortas* esse. Hæc ille, pro more Seculi illius, cum nondum Romanis notæ essent *Eclipsium* causæ; quæ tamen ejus Verba satis apte ad *Eclipsin* retulere juniores. Ait præterea hac ipsa de causa *supplicationem in triduum pro collegio Decemvirorum imperatam fuisse in omnibus compitis*. Et quidem *priusquam in Provincias novi Magistratus proficiscerentur*. Inde sequitur *initio* potius anni quam *fine* Eclipsin esse collocandam. Conveniunt etiam verba *Livii* de *Eclipsi* anni 564. Sic enim ibi: [n] *Per eos dies quibus est profectus ad Bellum Consul, ludis Apollinaribus, ante diem quintum Idus Quintiles cœlo sereno interdiu obscurata lux est, quum Luna sub orbem Solis subisset*. Hæc etiam Eclipsis *per eos dies* contigisse dicitur *quibus est profectus ad Bellum Consul*. Et quidem mensis *Julii Juliani* XVII°. *Eclipsin* anni 566. tribuunt tabulæ *Astronomicæ*. Imo illi ipsi *diei* qui anni veteris v. Id. *Quinctiles* respondet pro nostris hypothesibus. Annus ille *Varronianus* 566. Cycli x^us^. erat. Ad superioris anni finem dies *Cycli* numerantur in forma *Juliana* 3594. *Julii* XVII^us^. in tabula Annorum *Julianorum communium* est anni *Juliani* 198. Hi additi prioribus dies conficient in universum 3792. Inde subtrahantur dies in superioris anni fine 3583. pro forma *veteri*, restabunt dies 209. Proinde *Julii Juliani* diei XVII°. respondet *dies* hujus anni 209. in forma *veteri*. Est autem hic annus *Cycli* x^us^. *intercalaris*, sed forma *Merkedonii* breviori. Qua quidem forma *dies* anni 209^us^. idem *Quinctilis* mensis 10^us^. est. Sed *horæ* illæ quæ numerantur in tabulis

l Ism. Bulliald. *Ep. ad* I. Fred. Gronov. m Liv. *L. XXXVIII. c.* 36. n Liv. *L. XXXVII. c.* 4.

bulis *Astronomicis* ad diem *Julii Juliani* pertinent xviii^m. ut modo in superiori exemplo observavimus. Similiter ergo ad diem *Quinctilis* xi^m. spectabunt in forma *veteri*, qui idem v. *Idus* est. In die ludorum *Apollinarium*, ne sibi quidem consentit [o] *Livius*. Alibi enim iii. *Nonas* [p] *Quinctiles* illis assignat, qui dies erat Quinctilis v^us. Nec plusquam *unum* illorum Ludorum *diem* ullibi agnoscit. Conveniunt porro hic Epactæ anni superioris accuratissime. Sunt enim in superioris anni fine xi. quo numero dies anni Lunaris 209. diem superat forma *Juliana* 198^m. Nec sane in *Cyclo* universo similes occurrunt *Epactæ*. Sunt quidem in anno *Cycli* xx°. *Epactæ* xi. Sed ibi totidem diebus *auctior* erat annus *Lunaris* anno *Solari*; hic totidem diebus *Solari* inferior est. Fieri vix potest ut *casu* illa contigerint, quæ adeo apte invicem cohærent, pro mente *Bullialdi*. Quod si recte *Livium* sibi conciliarit *Bullialdus*; jam sane facile colligemus *nullos*, hoc tempore, omissos fuisse *Merkedonios*.

Suntque præterea alia quæ hoc idem suadeant, in horum temporum monimentis Argumenta, ne quidem *unius Merkedonii*, præter *Epactas*, spatio discrepare potuisse annum *veterem Romanum* à *Juliano*. *Ver sacrum* sub COSS. anni *Varroniani* 559. factum observavit Livius. [q] *Id quum P. Licinius Pontifex, non esse rite factum, collegio primum, deinde ex Auctoritate collegii, Patribus renunciasset, de integro faciendum arbitratu Pontificum censuerunt; ludosque magnos, qui una voti essent, tanta pecunia, quanta assoleret, faciendos: Ver sacrum videri pecus quod natum esset inter Cal. Martias & pridie Calendas Maias, P. Cornelio Scipione & Ti. Sempronio Longo Consulibus.* Hic certe *Ver sacrum* illud pecus habetur quod *Vere* natum esset, & quidem infra menses *Vernos binos*. Accurate illud; cum *binorum* etiam *mensium* admissuras faciant *Rei Rusticæ* Scriptores. Deest ergo hic *unicus* mensis *Vernus* ad *Ver integrum* necessarius. Is si excedatur, jam *Vernos limites* superasse necesse esset illam fæturam, quæ adeo ne quidem *Verna* fuerit appellanda. Atqui laxos limites fuisse Veris facile concedent qui Veterum *Religionem* habent exploratam, in *Veris Sacri* voto. Ita *Vernum pecus* omne appellandum erat quod *Vere* natum esset, etiam *paulo serius* quam solebat, aut *paulo* etiam *maturius*. Non ergo est ut limites *Veris* alios hic designari existimemus quam qui *modicum* ex utroque termino complectantur *excessum*. Ita nimirum ut si paulo *ante Kalendas Martias*, aut paulo etiam *post Kalendas Maias*, pecus nasceretur, *Vernum* nihilominus haberi posset. Sed vero mensium *veterum* in anno *Solari* situm admodum diversum faciebant ipsæ *Cycli* Veteris *Epactæ*. Illas nunc 15 dierum, nunc 17, nunc 19, è Tabula nostra IV^a. fuisse constat. His adde vel *Minorem Merkedonium*, & *Vernum* anni *quadrantem* excesserint *bini* illi *menses*, si præter *Cycli* morem *Merkedonius* aliquis fu-

*o* Liv. *L. XXVII. c.* 23. *p* Liv. *L. XXX. c.* 38. *q* Liv. *L. XXXIV. c.* 43.

isset

iſſet *omiſſus*. Hoc certe neceſſario ſequetur ſi *fixi* illi fuiſſent *Verni pecoris* in *Veteris* anni Romani *Cyclo* limites. Et quidem fixos fuiſſe facile inde colligemus quod qui *Vernum pecus* vovebant *dies*, limites Voti ſui *nullos* adhiberent cum notos jam certoſque ſupponerent. Et ſane *Februario* conveniunt *Veris ineuntis* limites ab illorum temporum Scriptoribus conſtituti qui anni forma *Juliana* uſi ſunt. Conveniunt & *notæ* ſeu *Favoniorum*, ſeu *viſæ hirundinis*. His enim ſignis *Veris initia* deſignabant *Veteres*. Itaque à *Februarii* Juliani *fine* multum diſtare non potuerunt *Kalendæ* illæ in *Veteri* forma *Martiæ*. Non certe *magis* quam per *Cycli* conſtituti leges aliquando illas diſtare neceſſe erat. Hoc etiam ante nos obſervavit *Bullialdus*. Non tamen eo, quo nos, fine. Addimus præterea *vetuſtiſſimi*, hiſque, de quibus agimus, temporibus *coævi*, teſtimonium *Catonis*. Sic enim ſcribit ille quaſi nullæ adhuc eſſent illæ quæ à *Pontificum arbitrio* pendebant *Anomaliæ*. Imo *mores* illos *legeſque* de *Rebus Ruſticis* memorat quæ plane omnes *inutiles* fuiſſent ſi menſium veterum in anno *Solari* ſitus fuiſſent, præter *Cycli* leges, *incerti* atque *arbitrarii*. Legem de *vino* vendendo hanc refert: [r] *Locus vinis ad K. Octobris primas dabitur. Si non ante ea exportaveris, Dominus vino quid volet faciet.* Etiam illam: *Vinum accipito ante K. Jan. primas. Si non ante acceperit, Dominus vinum admetietur. Quod admenſum erit, pro eo Dominus reſolvito. Si emptor poſtularit, Dominus jusjurandum dabit, verum feciſſe.* Legem de pabulo illam: *Pabulum frui occipito ex Kalend. Septembribus. Prato ſicco decedat, ubi prius florere cœperit, prato irriguo, ubi ſuper inferque vicinus permittet, tum decedito, vel diem certam utrique facito. Cætero pabulo Kalend. Martiis cedito.* Ex *anni tempeſtate* pro modo *Solari* pendebant hæc omnia. Et quidem ita ut admodum incommode fuiſſent *omiſſi*, præter *Epactas*, præter *Cycli* leges, *Merkedonii*. Itaque caſibus illis per Legumlatores occurrendum erat, vel *aſtrorum* potius *ortu* & *occaſu* res conſtituenda, quod toties factum, quoties annus *Civilis* *Solari* anno non ſatis accurate reſponderet. In illis nimirum rebus quæ *temporum* vel *minutas Anomalias* ferre non poſſent. Atqui nihil videmus in his *Legibus* cautum quid fuerit faciendum *omiſſo Merkedonio*. Et tamen *intercalandi Merkedonii* legem quæ meminerit memorat ipſe *Cato*. Sic enim poſtea: [s] *Hiſce legibus agnus diem & noctem qui vixerit, in fructum, & Kal. Jun. emptor fructu decedat. Si intercalatum erit, K. Maiis agnos XXX. ne amplius promittat.* Hic certe proſpectum videmus de menſibus *intercalaribus* legitimis. Similiter proſpectum oportebat, ſiqui tunc fuiſſent, de *omittendis Merkedoniis*. Et quidem ita ut *duorum menſium* ratio habenda fuerit, tam ſcilicet *omiſſi Merkedonii*, quam etiam *intercalati*, cum hic tamen *unici* duntaxat *menſis* in *Kalendario veteri* rationem

[r] Cato *R. Ruſt.* c. 147, 148, 149. [s] Cato. *R. R.* c. 150.

habitam videamus propter *intercalatum Merkedonium*. Quis hinc non facile intelligat, cum ferrentur illæ de *Rebus Rusticis* Leges, cum scriberet illa *Cato*, nondum fuisse ullos, pro arbitrio Pontificum, seu *omissos*, seu *præter Cycli* legem *intercalatos Merkedonios*? Estque illa fortasse nota temporis vel *unica*, vel *præcipua*, quo scripsit *Cato* librum illum de *Re Rustica*.

Ergo post annum Urbis *Varronianum* 566. & tamen ante annum ejusdem Epochæ 586. primum erat *arbitrarii Merkedonii* exemplum. Proinde ante annum 566. calculos in anno veteri pro nostræ supputationis Legibus respondisse consentaneum est, nisi quod fortasse nonnunquam *dies* singuli *eximebantur* vicissim *intercalabanturque*, ne in Kalendas *Januarias Nundinæ*, aut in *aliorum* quoque *mensium Nonas*, inciderent. Sed vero in anni 586. *Eclipsi duplicem* desiderari observavimus *Merkedonium*, quorum alter *major* fuerit, *dierum* scilicet 23. Is autem si in *Cyclo* eodem prætermissus fuerit quo *Eclipsis* anni 586. contigit, alius omnino esse non potuit quam anni *Cycli* 4. *Varroniani* nimirum 584[i]. Alius enim nullus præcesserat in *Cyclo* illo *majoris* formæ *Merkedonius*. Is autem esse non potuit si recte statuerit *Bullialdus*, id quod *Livio*, ut credidit, teste, statuit, eo anno non *omissum Merkedonium*, sed *intercalatum*. Id, inquam, si fuisset *verum*, alius erat nullus, qui prætermitti potuit, *auctior Merkedonius* post annum Epochæ *Varronianæ* 566. nisi *Cycli Superioris* aut 12[us]. *Varronianus* 568. aut 16[us]. *Varronianus* 572. Nec enim in Cycli *Ogdoadem ultimam* quadrat istiusmodi *Merkedonius*. Sed nihil habuit de vero *Merkedoniorum situ* exploratum, pro *Cycli* lege, *Bullialdus*. Et male *Livium* intellexit ipse, & male rursus suum *Livius*, quicunque demum fuerit, Auctorem. Male, inquam, *Livium* interpretatus *Bullialdus* est. Nec enim anno Urbis *Varroniano* 584°. sed 585. *intercalationem* illam assignavit *Livius*. Illi nimirum anno cujus Idibus *Martiis* Consulatum inibant Q. *Marcius Philippus II.* Et *Cn. Servilius Cæpio*, qui anni 585. *COSS.* erant, non 584. In eo tamen *Auctoris* sui mentem ne quidem *Livius* ipse assecutus est, quod quam *intercalationem Consulatui* illi *exeunti* assignaverat *Auctor*, eandem *Livius ineunti* assignaverit. Jam enim supra ostendimus *parium* in Epocha *Varroniana* annorum *omnes* fuisse *Merkedonios*. Sed hic etiam erravit *Bullialdus*, nec sibi consentanea affirmavit. Hic enim numero *pari Intercalarem* assignavit cum alios à *Livio* memoratos *Intercalares* annis *Varronianis imparibus* assignaverit 565, & 587. Sed in illis etiam *intercalaribus* erravit à *Livii* mente *Bullialdus*. Ait [t] *Livius Scipionem Asiaticum triumphasse mense Intercalario pridie Calendas Martias*. Sed cujus *anni* illæ fuerint *Martiæ Kalendæ* docet nos alia nota *Chronologica* quam non multis interpositis subjungit idem Livius: [u] *Triumphavit* (inquit) *anno fere, postquam*

t Liv. L. XXXVII. c. 59. u Liv. ib.

Con-

*Consulatu abiit.* Consulatum illum inivit *Idib. Martiis* anni 564. *Scipio*, abdicaturus *prid. Id.* anni sequentis 565. Ita ad annum 566. spectasse necesse est *Intercalarem* illum qui sequebatur *anno fere postquam Consulatu abiit.* Sic & in alio anni, ut vult, 587[i]. *intercalari* erravit *Bullialdus.* Plane loquitur de eo anno [x] *Livius* cujus Idibus *Martiis* Consulatum suscepturi erant *M. Claudius Marcellus* & *C. Sulpicius Gallus*, quos anno 588. inivisse ne quidem ipse negat *Bullialdus.*

Itaque vel è *Livio* ipso conficitur (quod nos tamen aliunde probavimus) præterquam in annis Epochæ *Varronianæ paribus* nullos unquam, qui semper erant *alterni*, fuisse *Merkedonios.* Ergo hic ipse de quo agimus, *Intercalaris* vel anni 584[i]. fuerit necesse est, vel 586[i]. *Medii* enim plane esse non potuit. Ego verius existimo quod modo dixi, anni fuisse potius 586. Idque ex alia ipsius *Livii* nota colligo. Observavit *Livius* eo anno ita *intercalatum* fuisse ut [y] *tertio die post Terminalia Kalendæ* fuerint *Intercalares.* Die nimirum, ut videtur, *exemto*, alioque in ejus locum *suffecto post Terminalia* propter *Nundinas.* Et quidem occurrunt, pro nostris hypothesibus, illo ipso anno 586. opportunæ, *Nundinæ.* Erant enim *Nonæ Januariæ* anni 586. revera *Nundinales.* A Cyclo enim quod anno Urbis *Varroniano* 580 cœpit ad *Cycli* finem qui anno 676, exiit 4 integri sunt *Cycli*, dies sunt in universum 35064. v[i]. *Cycli* dies 299. Kalendæ erant *Januariæ* anni illius quo Consulatum inivit *Lepidus*, quem *Nundinalem* esse diximus. Hi si superioribus addantur, dies efficient in universum 35363. Dividantur per 8, reliqui erunt dies 3. Rejectis ergo, per perpetuam Regulam, 3. reliqui per 8 divisi, si nihil reliquum fecerint, erunt *Nundinales.* Sic erunt Nonæ *Januariæ* anni 586[i]. *Cycli* 6[i]. *Nundinales*, extemtumque, ne id accideret, *diem* supplevit dies ille *medius* inter *Terminalia* & Kalendas *Intercalares.* Spectat ergo ad annum 586[m]. *intercalaris* à *Livio* memoratus. Nec quicquam adeo è *Livio* colligi potest de *Merkedonio* anni 584[i]. fueritne à Pontificibus *omissus*, an potius *intercalatus.* Itaque aliæ notæ *Chronologicæ* ex horum temporum Historia quærendæ sunt, inter annum 566[m]. & 586[m]. quæ nos doceant *ubinam* omissi fuerint *Merkedonii*, nimirum è *Veteris* anni *quotis* diebus qui aut cum punctis Cardinalibus, aut Eclipsibus, aut stellarum ortu & occasu connecti possint, quæ certum habebant notumque situm in anno *Juliano*, pro eorum sententia qui primis initiis coævi erant Epochæ *Julianæ.* Possent & aliæ colligi ex Historiis *Nundinæ* & dies *Comitiales* quos *Nundinales* non fuisse certum est, unde & nostræ Supputationis certitudo probari posset, & ad *antiquiora* tempora deduci. Jam tamen satis erunt illa quæ diximus, ad Kalendas *Maias* illas, in quibus versamur, eruendas.

Annus enim, in quo versamur, 699. *Cycli* XXIII[us]. seu penulti-

x Liv. L. XLV. c. 44. y Liv. L. XLIII. c. 11.

mus

mus eſt. Ab *initio Cycli* ad anni XXII[i]. *finem* dies ſunt in *forma veteri* 8354. Ab *initio* autem anni *ſequentis* ad Kalendas *Maias* in anno veteris formæ *communi* dies ſunt 118. Juncti faciunt dies in univerſum 8472. Ad finem ſuperioris anni in *forma Juliana* dies ſunt 8342. Hi è numero ſuperiori 8472. deducti reliquos faciunt 130. Sic in diem hujus anni, pro forma *Juliana*, 130. inciderent Kalendæ *Maiæ*, ſi quidem nulli ſublati fuiſſent *Merkedonii*. Nos autem jam *ſublatos* probavimus, & quidem *duplices*, dierum in univerſum 45. His itaque ſublatis è 130. reliqui ſunt dies duntaxat 85. Itaque in diem formæ *Julianæ* 85[m]. incurrunt Kalendæ illæ *Maiæ*. Is autem eſt in anno, qualis noſter eſt, *communi* dies Martii XXVI[us]. Sic nihil erit cur dubitemus quin & conveniri potuerit à *Conſulibus Cæſar* in *Gallia togata*, & maturius tamen quam conſueverat, ad exercitum profectus fuerit.

Tabulæ

# Tabulæ *ad uſus* Chronologicos, *his temporibus admodum neceſſariæ.*

## TABULA I.

### *Menſis Intercalaris* Merkedonii.

STylus veterum *Romanorum* in anno *Intercalari* alius erat quam in annis *communibus*. Cœpit autem ea diverſitas mox ab *Idibus Februarii*, duravitque uſque ad *Kalendas Martias*. Inde itaque & nos *Tabulam* noſtram ordiemur, ut intelligat Lector *proprium* eorum, in illo intervallo, *ſermonem*.

*FEBRUARII.*

dies
13. Id. *Februarii.*
14. Ante diem X. *Terminalia.*
15. Ante diem IX. *Terminalia.*
16. Ante diem VIII. *Terminalia.*
17. Ante diem VII. *Terminalia.*
18. Ante diem VI. *Terminalia.*
19. Ante diem V. *Terminalia.* *Cic.* ad *Attic.* L. VI. Ep. I.
20. Ante diem IV. *Terminalia.*
21. Ante diem III. *Terminalia.*
22. Prid. Kal. *Terminalia.*
23. *Term.* Vel *Prid. Kal. Intercalares.* *Cic.* Orat. pro *Quinct.*

Definit hoc in loco *Februarius*, incipitque menſis *Intercalaris* proprie ſic dictus, *Merkedonius*, vel *Merkedinus*. Plutarch. *Num.* & *Cæſ.*

*MERKEDONIUS.*

1. *Kal. Intercalares.* Faſt. *Capitolin.*
2. IV. *Nonas Intercalares.*
3. III. *Nonas Intercalares.*
4. *Prid. Nonas Intercalares.*
5. *Nonæ Intercalares.* Auctorem tamen neminem habemus, quod quidem ſciam, qui *Nonarum* meminerit *Intercalarium*, aut *Nonarum* illarum *numerum* deſignarit. Receptus tamen eſt, hoc in loco, ab Eruditis *Nonarum* numerus *receptiſſimus* tam *brevi* præſertim *menſi* commodiſſimus.
6. VIII. *Idus Intercalares.*
7. VII. *Idus Intercalares.*

8. VI.

8. VI. *Idus Intercalares.*
9. V. *Idus Intercalares.*
10. IV. *Idus Intercalares.*
11. III. *Idus Intercalares.*
12. Prid. *Idus Intercalares.*
13. *Idus Intercalares.* Fasti *Capitolini* in *Triumphis*. Hinc deinde incipiunt novæ variæque supputandi rationes in *Merkedonio majore* atque *minore*.

| In *MERKEDONIO majori.* | In *MERKEDONIO minori.* |
|---|---|
| 14. XVI. *Kal. Martias.* - - - | XV. *Kal. Martias.* |
| 15. XV. *Kal. Martias.* - - - | XIV. *Kal. Martias.* |
| 16. XIV. *Kal. Martias.* - - - | XIII. *Kal. Martias.* |
| 17. XIII. *Kal. Martias.* - - - | XII. *Kal. Martias.* |
| 18. XII. *Kal. Martias.* - - - | XI. *Kal. Martias.* |
| 19. XI. *Kal. Martias.* - - - | X. *Kal. Martias.* |
| 20. X. *Kal. Martias.* - - - | IX. *Kal. Martias.* |
| 21. IX. *Kal. Martias.* - - - | VIII. *Kal. Martias.* |
| 22. VIII. *Kal. Martias.* - - - | VII. *Kal. Martias.* |
| 23. VII. *Kal. Martias.* - - - | VI. *Kal. Martias.* |
| 24. VI. *Kal. Martias.* - - - | V. *Kal. Martias.* |
| 25. V. *Kal. Martias, mense Intercalario.* Ascon. Pedian. Argum. in *Milon.* | IV. *Kal. Martias.* |
| 26. IV. *Kal. Martias.* - - - | III. *Kal. Martias.* |
| 27. III. *Kal. Martias.* - - - | Prid. *Kal. Martias.* |

28. *Prid. Kal. Martias, mense Intercalari. Liv.* XXXVII. 59. In hoc mense *Intercalari* dies XXVIII. *Cato* in Pandect. *L.* L. Tit. XVI. l. 98. Quod de hoc *majori Merkedonio* verum erat.

---

## TABULA II.

### Duorum *aliorum mensium* Intercalarium *in anno* Confusionis.

INtercalares fuisse *duos* menses in anno *Confusionis* dierum 67. docent Veteres. Non tamen docent quomodo distributi fuerint illi dies, vel quantas illius numeri portiones singuli menses obtinuerint. Ego pro exemplo *Merkedoniorum*, numeris tamen *majoribus*, distributos fuisse censeo. Ita nimirum ut illorum mensium alter dies XXXIII. complexus fuerit, alter dies XXXIV. Utque hic, similiter ac in *Merkedoniis*, minor majorem præcesserit. Inserti autem sunt inter menses *Novembrem* atque *Decembrem*. Eo, ut

ut videtur, sine ut *Solstitium hyemale* restituerent eidem in *Zodiaco* sedi quam olim obtinuerat. Cœpit autem diversa supputandi ratio ab ipsis *Idibus Novembris*, ut in superiori illo vidimus *Intercalari*.

*NOVEMBRIS.*

dies.
13. Idus *Novembres*.
14. XVII. *Kal. Intercalares priores.*
15. XVI. *Kal. Intercalares priores.*
16. XV. *Kal. Intercalares priores.*
17. XIV. *Kal. Intercalares priores.*
18. XIII. *Kal. Intercalares priores.*
19. XII. *Kal. Intercalares priores.*
20. XI. *Kal. Intercalares priores.*
21. X. *Kal. Intercalares priores.*
22. IX. *Kal. Intercalares priores.*
23. VIII. *Kal. Intercalares priores.*
24. VII. *Kal. Intercalares priores.*
25. VI. *Kal. Intercalares priores.*
26. V. *Kal. Intercalares priores.* [Al. II. alias VI.] *Cicer.* Fam. VI. Ep. 14.
27. IV. *Kal. Intercalares priores.*
28. III. *Kal. Intercalares priores.*
29. Prid. *Kal. Intercalares priores.*

Mensis *Intercalaris prior* dierum XXXIII.

1. *Kalendæ Intercalares priores.*
2. IV. *Nonas Intercalares priores.*
3. III. *Nonas Intercalares priores.*
4. Prid. *Nonas Intercalares priores.*
5. *Nonæ Intercalares priores.*
6. VIII. *Idus Intercalares priores.*
7. VII. *Idus Intercalares priores.*
8. VI. *Idus Intercalares priores.*
9. V. *Idus Intercalares priores.*
10. IV. *Idus Intercalares priores.*
11. III. *Idus Intercalares priores.*
12. Prid. *Idus Intercalares priores.*
13. *Idus Intercalares priores.*
14. XXI. *Kal. Intercalares posteriores.*
15. XX. *Kal. Intercalares posteriores.*
16. XIX. *Kal. Intercalares posteriores.*
17. XVIII. *Kal. Intercalares posteriores.*
18. XVII. *Kal. Intercalares posteriores.*
19. XVI. *Kal. Intercalares posteriores.*
20. XV. *Kal. Intercalares posteriores.*
21. XIV. *Kal. Intercalares posteriores.*
22. XIII. *Kal. Intercalares posteriores.*

23. XII. *Kal. Intercalares posteriores.*
24. XI. *Kal. Intercalares posteriores.*
25. X. *Kal. Intercalares posteriores.*
26. IX. *Kal. Intercalares posteriores.*
27. VIII. *Kal. Intercalares posteriores.*
28. VII. *Kal. Intercalares posteriores.*
29. VI. *Kal. Intercalares posteriores.*
30. V. *Kal. Intercalares posteriores.*
31. IV. *Kal. Intercalares posteriores.*
32. III. *Kal. Intercalares posteriores.*
33. Prid. *Kal. Intercalares posteriores.*

Mensis *Intercalaris posterior* dierum XXXIV.

1. *Kalendæ Intercalares posteriores.*
2. IV. *Nonas Intercalares posteriores.*
3. III. *Nonas Intercalares posteriores.*
4. Prid. *Nonas Intercalares posteriores.*
5. *Nonæ Intercalares posteriores.*
6. VIII. *Idus Intercalares posteriores.*
7. VII. *Idus Intercalares posteriores.*
8. VI. *Idus Intercalares posteriores.*
9. V. *Idus Intercalares posteriores.*
10. IV. *Idus Intercalares posteriores.*
11. III. *Idus Intercalares posteriores.*
12. Prid. *Idus Intercalares posteriores.*
13. *Idus Intercalares posteriores.*
14. XXII. *Kal. Decembres.*
15. XXI. *Kal. Decembres.*
16. XX. *Kal Decembres.*
17. XIX. *Kal. Decembres.*
18. XVIII. *Kal. Decembres.*
19. XVII. *Kal. Decembres.*
20. XVI. *Kal. Decembres.*
21. XV. *Kal. Decembres.*
22. XIV. *Kal. Decembres.*
23. XIII. *Kal. Decembres.*
24. XII. *Kal. Decembres.*
25. XI. *Kal. Decembres.*
26. X. *Kal. Decembres.*
27. IX. *Kal. Decembres.*
28. VIII. *Kal. Decembres.*
29. VII. *Kal. Decembres.*
30. VI. *Kal. Decembres.*
31. V. *Kal. Decembres.*
32. IV. *Kal. Decembres.*
33. III. *Kal. Decembres.*
34. Prid. *Kal. Decembres.*

# TABULA III.

## Dierum, *tam in forma* veteri, *quam in* Juliana.

COepit quidem annus Romanus antiquus à Kalendis *Martiis*. Et noſtri adeo *Cycli* ab eo incipiunt *anno* in quo concurrerint *Kalendæ* illæ tam in forma *veteri*, quam etiam in *Juliana*. Sed ad uſus *Chronologicos* hodiernos, ut dies formæ *veteris*, ad formam *Julianam* certiorem notioremque redigendæ ſunt; ita ad *initium* illud redigendæ erunt quod annis *Julianis* omnibus commune erat ab initio Epochæ *Julianæ*, Kalendas nempe *Januarias*. Sed in anno *Cycli* ultimo, novi *Cycli* initium à Kalendis *Martiis* repetendum eſt, atque inde illius anni etiam *dies* numerandi. Proinde & Nos à *Kalendis* illis *dies* numerabimus.

| | A Annorum *Veterum* | | | | | | | | B Annorum *Julianor.* | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | α Anni Collecti | | β *Intercal.* | | duplex | | γ *Ann. Confuſionis*, U.C.708. | | δ *Commun.* | | ε *Biſſext.* | |
| | dies | Comm. | 1. Merk. min | 2. Merk. maior | 1. | 2. | | | dies | Collect. | d. | Collect. |
| | | | dies menſium. | | dies collec. *Merk. min.* | *merk. maj.* | | | | | | |
| *Januarii* | 29. | | | | | | 29. | | 31. | | | |
| *Februarii* | 28. | 57. | 23. | 23. | 52. | 52. | 23. | 52. | 28. | 59. | 29. | 60. |
| *Merkedonii* | | | cum diebus V. Appendicibus. 27. | 28. | 79 | 80. | 28. | 80. | | | | |
| *Martii* | 31. | 88. | 31. | 31. | 110. | 111. | 31. | 111. | 31. | 90. | 31. | 91. |
| *Aprilis* | 29. | 117. | 29. | 29. | 139. | 140. | 29. | 140. | 30. | 120. | 30. | 121. |
| *Maii* | 31. | 148. | 31. | 31. | 170. | 171. | 31. | 171. | 31. | 151. | 31. | 152. |
| *Junii* | 29. | 177. | 29. | 29. | 199. | 200. | 29. | 200. | 30. | 181. | 30. | 182. |
| *Quintilis* | 31. | 208. | 31. | 31. | 230. | 231. | 31. | 231. | 31. | 212. | 31. | 213. |
| *Sextilis* | 29. | 237. | 29. | 29. | 259. | 260. | 29. | 260. | 31. | 243. | 31. | 244. |
| *Septembris* | 29. | 266. | 29. | 29. | 288. | 289. | 29. | 289. | 30. | 273. | 30. | 274. |
| *Octobris* | 31. | 297. | 31. | 31. | 319. | 320. | 31. | 320. | 31. | 304. | 31. | 305. |
| *Novembris* | 29. | 326 | 29. | 29. | 348. | 349. | 29. | 349. | 30. | 334. | 30. | 335. |
| *Intercal.* I. | | | | | | | 33. | 382. | | | | |
| *Intercal.* II. | | | | | | | 34. | 416. | | | | |
| *Decembris* | 29 | 355. | 29. | 29. | 377. | 378. | 29. | 445. | 31. | 365. | 31. | 366. |

*Uſum* hujus *Tabulæ* quære in *Canone* II.

TAB-

## TABULA IV.

## *Annorum, in* utraque *forma, tam* veteri, *quam* Juliana.

INcipiebant *anni* veteres, & ſingulæ *Ogdoades*, & *Cyclus* adeo *Romanus* univerſus à Kalendis *Martiis*, quæ proinde *eædem* ſunt, concurruntq; in eundem *diem*, tam in forma *veteri*, quam etiam in *Juliana*. Incidunt autem illæ in eundem annum cum *fine* Cycli *ſuperioris*. Inde numerandi reliqui omnes Cycli univerſi dies. Ita nimirum ut illi dies *concurrant* qui paribus numeris à primis *Cycli* diſtant Kalendis *Martiis*; illi rurſus invicem *præcedant* vel *ſequantur*, quibus *major* eſt *minorve* numerus à primis illis *Cycli* univerſi *Kalendis*, & quidem eadem illa *proportione* qua numerus ille à *primordio* ductus *præcedit* aut *ſequitur*. Ita quidem dum *Cycli Leges* obſervarentur. A *legibus* autem judicandum de *Anomaliis*. A *fine* ergo *Februarii*, dies alii omnes ad *anni finem novi* ſunt *Cycli* in anno utroque, *veteri* nimirum atque *Juliano*. Primus autem *annus* qui cum *Cyclo ſuperiori* nihil commune habet à proximis incipit Kalendis *Januariis*.

Reliqui

*Religui* dies *ex anno* ſuperioris Cycli *ultimo.*

| | | | 306. | | 298. | | Epact. 8. | Merkedonii dierum |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | Ogdoad. | Cycli. | *Julia. forma dies.* | *collec.* | *Veteri forma dies.* | *collect.* | | |
| *Biſ.* | I. 1. | I. | 366. | 672. | 355. | 653. | 19. | |
| | 2. | II. | 365. | 1037. | 377. | 1030. | 7. | 22. |
| | 3. | III. | 365. | 1402. | 355. | 1385. | 17. | |
| | 4. | IV. | 365. | 1767. | 378. | 1763. | 4. | 23. |
| *Biſ.* | 5. | V. | 366. | 2133. | 355. | 2118. | 15. | |
| | 6. | VI. | 365. | 2498. | 377. | 2495. | 3. | 22. |
| | 7. | VII. | 365. | 2863. | 355. | 2850. | 13. | |
| | 8. | VIII. | 365. | 3228. | 378. | 3228 | *null.* | 23. |
| *Biſ.* | II. 1. | IX. | 366. | 3594. | 355. | 3583. | 11. | |
| | 2. | X. | 365. | 3959. | 377. | 3960. | 1. | 22. |
| | 3. | XI. | 365. | 4324. | 355. | 4315. | 9. | |
| | 4. | XII. | 365. | 4689. | 378. | 4693. | 4. | 23. |
| *Biſ.* | 5. | XIII. | 366. | 5055. | 355. | 5048. | 7. | |
| | 6. | XIV. | 365. | 5420. | 377. | 5425. | 5. | 22. |
| | 7. | XV. | 365. | 5785. | 355. | 5780. | 5. | |
| | 8. | XVI. | 365. | 6150. | 378. | 6158. | 8. | 23. |
| *Biſ.* | III. 1. | XVII. | 366. | 6516. | 355. | 6513. | 3. | |
| | 2. | XVIII. | 365. | 6881. | 377. | 6890. | 9. | 22. |
| | 3. | XIX. | 365. | 7246. | 355. | 7245. | 1. | |
| | 4. | XX. | 365. | 7611. | 377. | 7622. | 11. | 22. |
| *Biſ.* | 5. | XXI. | 366. | 7977. | 355. | 7977. | *null.* | |
| | 6. | XXII. | 365. | 8342. | 377. | 8354. | 12. | 22. |
| | 7. | XXIII. | 365. | 8707. | 355. | 8709. | 2. | |
| | 8. | XXIV. | 59. | 8766. | 57. | 766. | *null.* | |

*Epactas* dierum illum *numerum* appello quibus *forma* altera alteram ſuperat, ſeu *vetus* Julianam, ſeu *Juliana* veterem.

TABULA V. Multiplication.

| Numerus locor. | ad *Nundin.* 1. | ad An. *Cyc.* 2. |
|---|---|---|
| 1. | 8. | 24. |
| 2. | 16. | 48. |
| 3. | 24. | 72. |
| 4. | 32. | 96. |
| 5. | 40. | 120. |
| 6. | 48. | 144. |
| 7. | 56. | 168. |
| 8. | 64. | 192. |
| 9. | 72. | 216. |

# TABULA VI.

| Cycl. | Anni U. C. *Varroniani* Cyclorum *ultimi.* | *Dies* Cyclorum. | dies *tollendi* ad inveniendas *Nundin.* | Cycl. | Anni U. C. *Varroniani* Cyclorum *ultimi.* | *Dies* Cyclorum. | dies *tollendi* ad inveniendas *Nundin.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1. | 28 | 8766. | 3. | 17. | 412. | 149022. | 3. |
| 2. | 52. | 17532. | 5. | 18. | 436. | 157788. | 5. |
| 3. | 76. | 26298. | 7. | 19. | 460. | 166554. | 7. |
| 4. | 100. | 35064. | 1. | 20. | 484. | 175320. | 1. |
| 5. | 124. | 43830. | 3. | 21. | 508. | 184086. | 3. |
| 6. | 148. | 52596. | 5. | 22. | 532. | 192852. | 5. |
| 7. | 172. | 61362. | 7. | 23. | 556. | 201618. | 7. |
| 8. | 196. | 70128. | 1. | 24. | 580. | 210384. | 1. |
| 9. | 220. | 78894. | 3. | 25. | 604. | 219150. | 3. |
| 10. | 244. | 87660. | 5. | 26. | 628. | 227916. | 5. |
| 11. | 268. | 96426. | 7. | 27. | 652. | 236682. | 7. |
| 12. | 292. | 105192. | 1. | 28. | 676. | 245448. | 1. |
| 13. | 316. | 113958. | 3. | 29. | 700. | 254214. | 3. |
| 14. | 340. | 122724. | 5. | | ad finem 708. | 257599. | 5. |
| 15. | 364. | 131490. | 7. | | | | |
| 16. | 388. | 140256. | 1. | | | | |

Hujus *Cycli* dies erant in *veteri* forma duntaxat 3295. ad finem *anni Confusionis*. Tum desierunt in usu esse *Cycli veteres*, & *anni* etiam *veteris* forma *Lunaris* cum mensibus *intercalaribus*.

*Dies* hic tollendi ad *Cyclum* illum spectant qui à *superioris* anni *Varroniani fine* cœperat. *Ex. gratia*, in Cyclo qui ab anno *Varroniano* 700. cœperat, 5 per perpetuam Regulam tollendi sunt, ut *dies* illius *Cycli octoni Nundinis* respondeant.

*Cyclos* ego nec à *Romulo*, nec vel à *Numa* (quod vult *Livius*) cœpisse puto. Et tamen *inde* Cyclos duxi, quo commodius anni *Veteris* forma, quæ tandem in *Cyclos* desiit, cum anno in quo desiit, *Cyclico* conferri possit.

Cano-

Canones, *de* usu *prædictarum* Tabularum *in Anni* Romani Veteris *Chronologia, ad reformatum à* Julio *Kalendarium, anno Epochæ* Varronianæ 709. *qui* Julianus *est* primus.

# CANON I.

*Annum* Cycli *in Epocha* Varroniana *invenire.*

EX Epocha *Varroniana* rejice 4. reliquum divide per 24. Reliquus erit annus *Cycli*.Si nihil sit reliquum, erit an. Cycli *ultimus* seu 24.

*Exempl.* Scire cupio annus *Varronianus* 705. quotus sit in *Cyclo* veteri. Rejectis 4. supersunt 701. Hos rursus divido per 24. beneficio *Tabulæ* V. Reliqui apparent 5. Est ergo annus *Cycli* 5$^{us}$.

Breviori methodo hoc idem efficies si dato anni *Varroniani* numero numerum è *Tab.* VI. proxime *minorem* detrahes. Reliquus erit annus *Cycli.* Si *parem* ibi repereris, annus quem quæris *Cycli ultimus* est.

*Exempl.* Anno *Varroniano* 705. numerus in prædicta *Tabula* proxime *minor* est 700. Ergo 705. *Cycli* 5$^{us}$. est.

# CANON II.

*Anno* Varroniano *dato,* qualis *sit in* utraque forma, *reperire; in forma nimirum* Veteri, *sitne* Communis, *an* Confusionis, *an* Intercalaris, *& quali* Merkedonio *intercalandus? in forma autem* Juliana, *sitne* Communis *an* Bissextilis?

TAb. III. Usum docet hic Canon. Sunt autem partes ejus omnino duæ: 1. in Anno *Veteri*: 2. in Anno *Juliano.*

In Anno *Veteri*, hæ *Regulæ* observandæ sunt:

1. Anni in Epocha Varroniana *impares* omnes *Communes* sunt. Sic in Exemplo prædicto, Annus *Varronianus* 705. quia *impar* est ideo *Communis* est, & *mensium* ejus *dies* in *prima* hujus Tabulæ III. *divisione* quærendi sunt, quæ (α) dicitur.

2. Anni in Epocha Varroniana *pares* omnes *Intercalares* ſunt. Ita quidem ut, qui ab *initio* illius Epochæ *bini* ſunt, *Merkedonium* habeant *minorem*; qui *quaterni majorem*. Hoc autem facile, nec ullo vel calculorum ſubducendorum labore, conſtabit, ſi meminerimus *Centenarios* omnes *Vicenarioſque* eſſe quaternos. Sic enim ab ultimo *Centenario* aut *Vicenario* initio repetito liquebit, ſitne is, de quo quæritur, annus in *binariis* aut *quaternariis*. Ita annus Urbis *Varronianus* 700. *quaternus* eſt quia ex æquis conſtat *Centenariis*. Inde ſequitur annum ejuſdem *Epochæ* 702. & 704. ambos eſſe *Intercalares*, quia *pares* ſunt: Et in anno 702. eſſe *Merkedonium minorem*, quia *binarius* eſt, in 704. autem *majorem*, quia etiam ipſe *quaternarius* eſt. De his 3. Tab. *diviſio* (β.)

3. Annus *Confuſionis* in Epocha *Varroniana* univerſa *unicus* eſt, *Urbis* nimirum 708. De hoc in (γ.)

In Anno autem *Juliano*, hæ:

1. Poſt *quartos* in Epocha Varroniana *primi* omnes *Biſſexti* ſunt. Ita annus *Varronianus* 705. *Biſſextilis* eſt, quia 704. *quartus* eſt, De his in (ε.)

2. Reliqui omnes *Communes* ſunt. De his in (δ.)

# CANON III.

## *Dato anno* Cycli, *itemque* menſis die, *in utravis forma, ſeu* veteri, *ſeu* Juliana, diem *illum, in* Cycli univerſi *rationibus*, quotus *ſit, inveſtigare.*

SUperioris anni *dies* in eadem *forma* qua *quotum* quæris, è *Tabula* IV. collectos invenies. *Quotus* ſit ipſe in *ſuo anno* è *Tabula* III. diſces. His invicem additis, locum quem in *univerſo Cyclo* tenet reperies.

*Exempl.* Quæro, in prædicto anno *Varroniano* 705. *Cycli* 50. in quem *Cycli univerſi* diem conveniat *Maii veteris* XVII^us^. In anni *ſuperioris fine*, pro anni *veteris Lunaris* rationibus, dies 1763. in *Tab.* IV. reperio. *Maii* autem 17^us^. è *Tab.* III. α. anni *Communis*, per *Canon.* II. colligitur. Colliguntur ibi ad finem *Aprilis* dies 117. Adde 17. fient 134. Hos invicem adde. Eritque *Maii* 17^us^. illo anno, *Cycli* 1897. Similiter faciendum in forma *Juliana*, niſi quod numeri invicem addendi quærendi in laterculis *annorum menſiumque Julianorum*.

# CANON IV.

## *Dato* diei, *in utravis forma*, (*per Canonem* præcedentem) numero, diem *in alia* forma *designare, qui* diei *illi respondeat.*

DIes ille quem quæris is eſt qui pari intervallo diſtat à Cycli *initio* in quo concurrere ſupponuntur. Itaque *æquandi* numeri ſunt, numeruſque *minor* è *majori* detrahendus. Numerus *reliquus* ad æquationem neceſſarius in *Tab.* III. menſium *ſuæ formæ* (per *Canon* II.) repertus *quotum anni* diem oſtendit qui cum die dato idem eſſe ſupponitur.

*Exempl.* Dies ille *Maii Veteris* 17$^{us}$. in anno Cycli 5°. Quæro cum quo die concurrat in forma *Juliana.* Diem illum jam ſupra docuimus à *Cycli* Lunaris *initio* fuiſſe 1897. Idem ergo dies eſt cum 1897. in forma *Juliana.* Is ita indagandus erit. Anni *Juliani* ſuperioris (qui *Cycli* 4$^{us}$. erat) dies ultimus in *Tab.* IV. eſt *Cycli* 1767. Hunc numerum ſubtraho è numero dato. 1897. Ita dies in forma *Juliana* idem cum *Maii veteris* 17°. erit 130$^{us}$. hujus anni *Juliani.* Annus hic 705. *Biſſextilis* per Can. II. erat. Itaque quærendus in *Tab.* III. laterculo illo quo *menſium dies* in anno *Biſſextili* numerantur [viz. *Tab.* III. ε.] In eo reperio numerum proxime minorem 121. in fine menſis *Aprilis.* Deſunt ad prædictum numerum conficiendum dies 9. Itaque dies idem in *Maii Juliana* diem quadrabit ix$^{m}$. Recte quidem, ſi nullus eſſet tollendus *Merkedonius.* Hoc vero anno *tollendum* oſtendimus, & quidem *duplicem*, majorem minoremque. Ergo quomodo hac in cauſa progrediendum ſit, diſcendum erit è ſequentibus.

# CANON V.

## *Dierum* numerum *deſignare qui deſunt* Anni veteris *rationibus propter* omiſſos Merkedonios.

HI Ex arbitrio *Pontificum* pendebant, proinde ex *Hiſtoria* deſignandi. Itaque pro *ſpatio* in quo verſamur hæ ſunt Regulæ:

1. Ante annum U. C. *Varronianum* 566$^{m}$. *nulli* deerant *Merkedonii*, ut proinde *pares* in *utravis* forma à *Cycli* initio dies paribus in *alia* forma diebus reſponderint.

2. Ab anno *Varroniano* 586. ad finem *Februarii* anni 706. desunt *duo Merkedonii*, unus *major*, alius *minor*, dierum in universum 45. A *Februario* illo ad finem *Novembris*, in anno *Confusionis* accessit *alius Merkedonius* minor ex Anni *Veteris Lunaris* rationibus detrahendus, qui prioribus additus *dies* in universum conficiebat 67.

# CANON VI.

## *Datis in utraque forma* diebus concurrentibus (*si nulli essent sublati* Merkedonii) *diem in forma* Juliana *similem deprehendere, ubi* desunt *Lunaris anni rationibus* Merkedonii.

TOllendi erunt è formæ *Julianæ* rationibus totidem *dies* quot forma *Veteri* deficiebant propter *omissos Merkedonios.*

*Exempl.* Idem fuisset in forma *Juliana* dies *Maii* ix$^{us}$. cum die ejusdem mensis Maii xvii$^{o}$. in forma veteri, si nulli *deessent* legitimi *Merkedonii.* Hoc autem intervallo [per *Can.* V.] *duo* desunt *major minorque*, *dies* nimirum in universum 45. Hos *dies* tolle è numero *dierum* illius anni *Juliani* 130. Ita fiet ut *dies* ille *idem*, formæ *veteris* qui in diem anni hujus in forma *Juliana* 130$^{m}$. incidisset si *Merkedonii* omnes numerati fuissent; is idem, propter illos *defectus*, in diem formæ *Julianæ* incurrat 85$^{m}$. Is autem *dies*, in anno, de quo agimus [per *Can.* II.] *Bissextili*, est *Martii* XXV. [è *Tab.* III. ɛ] Quo die *Æquinoctium* erat *Julianum*. Recte ergo supra *Cicero.* Et recte adeo procedent *nostri* è *Cicerone* calculi.

Viceversa, si, dato *Julianæ* formæ die, diem quæras qui ei, in *veteri* forma, respondeat; addendus erit dierum numerus per omissos *Merkedonios* prætermissus; tum deinde quærendus est dies qui, numero sic aucto, ei [per *Canon.* IV.] in veteri forma respondeat.

*Exempl.* Æquinoctium *Mart.* XXV. an 705. *Bissext.* contigit die anni *Juliani* 85. Additis 45. diebus, propter omissos *Merkedonios* erunt 130. Diei autem formæ *Julianæ* 130 respondet dies, in forma veteri, 134. seu *Maii* 17. Ergo idem erat anno illo 705. dies *Martii Juliani* XXV. cum *Maii veteris* die XVII.

# CANON VII.

## *Datis in utraque forma* dierum concurrentium *numeris quotum* Cycli annum *designent*, *deprehendere.*

MInorem numerum è *majore* ſubtrahe. Reliquum quære in annorum *Epactis*. Cum numerum ſimilem in *Epactis* deprehenderis, *proximum* Epactis annum in *Cyclo* illi aſſignabis.

*Exempl.* Concurrebant, uti vidimus, pro *Cycli* lege *dies* anni *Veteris* 134. cum *die* formæ *Julianæ* 130. Quæro *quotus* ille *Cycli* ſit annus in quo ita concurrunt. Detracto numero *minori* è *majori*, ſuperſunt 4. quibus in anni ſuperioris fine *Solaris* annus *Lunarem* præcedebat. Quæro itaque numerum illum in *Epactis* [*Tab.* IV.] nec ullibi invenio per totum *Cyclum* præterquam in anno *Cycli* 4°. Sunt quidem in anno etiam *Cycli* 12. *Epactæ* 4. Sed ibi contra *Lunaris* annus *Solarem* ſuperat. Itaque hic annus in quo ita concurrunt non alius eſſe potuit quam *Cycli* 5^us^. Eſtque ſane hic *Canon* in univerſa horum Temporum Chronologia utiliſſimus. Duo enim ſunt in univerſo *Cyclo* anni *Epactis* vacui, 8. & 21. magno invicem intervallo diſſiti. Alioqui ſingulorum annorum *Epactæ* ſuorum annorum *Characteriſticæ* ſunt.

# CANON VIII.

## *Quoties* omittendi *erunt* Merkedonii *Epactas invenire annorum* Characteriſticas.

DEtrahendi è *Lunaris* anni rationibus *dies* propter *omiſſos Merkedonios* præteriti. Reliquæ erunt *Epactæ*, ſi quidem numerum anni *Solaris excedant*, ſimiliter *detrahendæ*; ſin *deficiant*, *addendæ.*

*Exempl.* In eodem illo exemplo ſuperiori, *duo* omiſſi fuerant, ut dixi, *Merkedonii*, dierum ſimul 45. His è diebus 134. detractis, ſupererunt dies 89. Sed is etiam numerus numero altero dierum 85. *quatriduo* major eſt. Itaque 4 *Epactæ* ſunt è *Lunaris* anni rationibus *detrahendæ*, quod annus *Solaris* ſuperior *Lunarem* in anni fine quatriduo *ſuperarit.*

## CANON IX.

### *Explorare num quid* novatum *fuerit in* Merkedoniis, *ſeu* omittendis, *ſeu* inſerendis.

HUc inſervient *Nundinæ*. Si enim *reſpondeant*, in intervallo dato, memoratæ ab Hiſtoricis *Nundinæ*; Signum eſt nullos fuiſſe *novatos* Merkedonios. *Merkedonii* enim nulli *octonis* diebus conſtant. Itaque neceſſe erat ut inſiti ſeu omiſſi *Merkedonii* dierum ſequentium numeros *octonarios* perturbarent.

*Exempl.* Jam ſupra oſtendimus *Nundinas* ab anno *Varroniano* 676. ad annum 714. pro noſtris hypotheſibus examuſſim reſpondere. Itaque *Merkedonios* in eo ſpatio nullos alios ſeu *omiſſos* ſeu *intercalatos* fuiſſe neceſſe eſt quam quos *Nos omiſſos intercalatoſque* ſuppoſuimus.

## CANON X.

### *Quinam fuerint, in intervallo* prædicto, (*ni cautum aliter fuiſſet à* Pontificibus) *dies* Nundinales.

QUære in *Tabula* VI. *Cyclum*, & Cycli *dies tollendos*. Tum *dies* ipſe, de quo Quæſtio inſtituitur, quære quem locum habant in *ſuo Cyclo*, per *Canon.* III. His inventis rejice è numero *Cycli* numerum *dierum tollendorum*. Reliquos *divide* per 8 beneficio *Tab.* V. Si nihil ſit reliquum, dies *Nundinalis* eſt. Aliter, non eſt.

*Exempl.* Kalendas *Januarias*, quibus *Conſulatum* inivit *Lepidus* anno Urbis *Varroniano* 677. teſtatur *Macrobius* fuiſſe *Nundinales*. Erat is dies *Cycli ſui*, qui ab anno cœpit 676, 299$^{us}$. Sublatis per *Tab.* VI. *hoc Cyclo* diebus 3. reliquos per 8 divide. Nihil ſupereſt. Proinde *Nundinalis* erat.

Aliter idem in quantovis Cyclorum *intervallo* ſic efficies. *Cyclorum* ſuperiorum *omnium* dies in *ſuperioris Cycli* ſine exhibet *Tab.* VI. His addes *Cycli ſui* quotum *diem* in quo diem illum repereras de quo quærebatur fueritne *Nundinalis*, per *Canonem* III. His deme *dies* 3. in *Cyclo* 1$^{o}$. per *Tab.* eandem vi$^{m}$. *tollendos*. Reliquos divide per 8, eritque 8$^{us}$. quiſque dies *Nundinalis*.

*Exempl.*

*Exempl.* De *Nonis Januariis* anni *Varron.* 586 quæro, num in *Nundinas* inciderint. In *Cycli ſuperioris* fine per *Tab.* VI. dies reperio 210384. His addo diem *Cycli illius* 2123 in quem *Nonæ* illæ, de quibus quæritur, incidunt *Januariæ*. Rejectis 3 fiunt omnes 212504. Hos divido per 8, nec quicquam reſtat. Eſt ergo *Nundinalis*.

# CANON XI.

## *Scire an* Kalendæ Januariæ, *aliorumve menſium* Nonæ, *aut* Feſta publica, *in* Nundinas *incurrant*.

FAcillima hæc diſquiſitio eſt è præcedentibus. Imprimis quærendus *Cycli dies* qui diei, de quo quæritur, conveniat per *Can.* III. in forma *Veteri*. Tum facile ſcies ſitne dies ille *Nundinalis* per *Canonem* X. præcedentem.

*Exempl.* Quæro, *Nonæ Decembres* anni 701. fuerintne *Nundinales*. Ad finem anni ſuperioris reperio per *Tab.* IV. *dies* 298. His addo è *Tab.* III. *dies* 326. ad *finem* menſis ſuperioris *Novembris* in anno *Communi*. (*Communem* enim jam fuiſſe ſuppono per *Can.* II.) Tum denique dies 5. *Decembris*, ſunt enim *Nonæ* ejus *Quintanæ*. His invicem additis, erunt *Nonæ* illæ *Cycli* dies 629. Ab his rejicio 5 per *Can.* X. *Reg.* II. Reliquos divido pe[illegible] è *Tab.* V. Ita conſtabit fuiſſe *Nundinales*. Nec enim ullæ reſtant *Fractiones*.

Dies

Dies *prædictorum Fragmentorum in forma* Veteri *ad* dies *in forma* Juliana *Proleptica, pro nostris Hypothesibus, redacti.*

**In Anno Varroniano 586. Cycli VI°.**

| In forma | *Veteri.* | in forma | *Juliana.* |
|---|---|---|---|
| V. *Kal. April.* | *Mart.* XXVIII. | XIV. *Kal. Mart.* | *Februar.* XVI. |
| IV. *Kal. April.* | *Mart.* XXIX. | XIII. *Kal. Mart.* | *Februa.* XVII. |
| III. *Kal. April.* | *Mart.* XXX. | XII. *Kal. Mart.* | *Febru.* XVIII. |
| *Prid. Kal. April.* | *Mart.* XXXI. | XI. *Kal. Mart.* | *Februar.* XIX. |
| *Kal. Apriles.* | *April.* I. | X. *Kal. Mart.* | *Februar.* XX. |
| IV. *Non. Apri.* | *April* II. | IX. *Kal. Mart.* | *Februar* XXI. |
| III. *Non. April.* | *April.* III. | VIII. *Kal. Mart.* | *Februa.* XXII. |

**In Anno Varroniano 692. Cycli XVI°.**

| | | | |
|---|---|---|---|
| III. *Id. Sextiles.* | *Sextil.* XI. | V. Id. *Jul.* | *Julii* XI. |
| V. *Kal. Septemb.* | *Sextil.* XXVI. | VII. Kal. *Aug.* | *Jul.* XXVI. |
| IV. *Kal. Septemb.* | *Sextil.* XXVII. | VI. Kal. *Aug.* | *Jul.* XXVII. |

**In Anno Varroniano 699. Cycli XXIII°.**

| | | | |
|---|---|---|---|
| Kalendæ *Maiæ.* | *Maii* I. | VII. Kal. *April.* | *Mart.* XXVI. |

CON-

# CONCLUSIO.

SUnt adhuc, Lector, in noſtra hac veteris anni Romani Chronologia, alia nonnulla, ut dixi, per *otium* excolenda. Urget jam & Libri *moles*, & *Bibliopola*, ut finem hiſce meditationibus imponam. Suntque præterea alia quædam nondum explorata indaganda antea quam *Cyclus* aliquis ad tempora ſuperiora poſſit aptari. Diſcrepare enim obſervavi *Epochas* illas in *Romana* Hiſtoria celeberrimas, *Catonianam*, *Capitolinam*, *Varronianam*, quod quos *annos admittunt* aliæ, aliæ *rejiciant*. Et quidem inter annum *U. C.* 400. & 500. diſcrepantiam illam præcipue obſervavi. Etiam *annum* in *Livio* obſervavi à nemine, quod quidem ſciam, *Chronologorum* hactenus deprehenſum. Fruſtra autem *Cyclos* aliquos quadrare expectabimus dum ſuperſunt adhuc ſuſpecti in ſerie temporum *hiatus*. Erant & alia de diebus *Comitialibus* eximendis intercalandiſque ad Chronologiam illam plane neceſſaria. Hæc polliceri etiam in poſterum non audemus, excluſi jam à munere *Prælectorio*. Poſſim fortaſſe moleſte ferre quod *culpa* mea *nulla* amotus fuerim. Sed, dum *cauſam* expendo, contra mihi potius gratulor, habuiſſe me quo fuerim, in tali cauſa, pellendus. Non tamen proinde in *ſtudiis* ceſſabimus. Mallemus interim ſtudia noſtra *Eccleſiaſtica* repetere, quibus nos ab initio dicaveramus. Nobis perinde jucundum erit ſi quis alius à nobis excitatus conſilia noſtra reliqua occupaverit. Nec forte nocebit, quod hæc noſtra interim cum orbe erudito communicaverimus, ne deinceps de *Chronologia* illa reſtauranda Viri *literati* ſpem omnem penitus abjiciant.

Edidit præterea partem horum *Actorum Urbanorum* priorem in iterata *Suetonii* Editione Cl. *Grævius*. Et quidem partem illius partis aliquam ex Apographo *Voſſiano*. Quæ enim cum *Grævio* communicavit Dominus *Carbery* ea ipſum à Cl. *Beverlandio* accepiſſe ipſe nobis indicavit *Beverlandius*. Nullam tamen dedit præſtantiſſimus *Grævius* variæ *Lectionis* ſignificationem, quæ nihilominus occurrit ſæpe, ut è noſtris conſtat exemplis, ſatis momentoſa. Reliqua ille è *Pighio* accepit & *Reyneſio*. Non ergo ludet operam qui Partis etiam illius *Textum* cum *Textu* noſtro contulerit.

Firmat porro quæ ex *Actis* hiſce collegimus, de origine *Edicti Perpetui Juliano* Juriſconſulto *Hadrianoque* antiquiori, in *Cornelianæ* Orationis Argumento *Aſconius Pedianus*. Legibus enim à *Cornelio* latis eam accenſet, *ut Prætores ex Edictis ſuis Perpetuis Jus dicerent*.

*dicerent*. Hanc ille Legem, *Pisone* Consule, anno Urbis 687. à *Cornelio* latam fuisse testatur, *multis* tamen *invitis*. Inde facile colligimus cur Legis *antiquissimæ* origo adeo tamen fuerit *obscura*. *Sustulit* enim Lex illa *gratiam ambitiosis Prætoribus, qui varie Jus dicere assueverant*, eodem teste *Asconio*. Inde factum, ut *multis invitis* lata fuerit, imprimis *Prætoribus* & *Præturæ Candidatis*. Inde etiam, ut post annum *alterum* atque *centesimum* sic fuerit de novo roganda quasi olim rogatæ, per *desuetudinem*, vel memoria ipsa obsolevisset, Legem interea opprimentibus *Prætoriæ* factionis, ut videtur, hominibus. Nec deerant in Historia *Romana* exempla *Legum* olim latarum quæ tamen fuerint denuo rogandæ. Legem [1] *quot annos nati quemque Magistratum peterent caperentque*, tulit anno *Varroniano* 575. *L. Villius* (sic enim *Livium* emendant, Viri eruditi) *Tribunus Plebis*, unde cognomen *familiæ* inditum ut *Annales* appellarentur. Et tamen *Scipioni Africano* majori *Ædilitatem* petenti objectum à Tribuno Plebis nondum illum *ætate* fuisse ad petendum *legitima*. Inde recte colligunt Viri Eruditi jam tum etiam *ætatem* fuisse petendis honoribus *legitimam*. Et tamen *T. Quintius Flamininus* cum Consul *ætate Consulari* multo *minor* crearetur, ne quidem objectam *ætatem* legimus. Sic illa nimirum *Lex* inter *Ædilitatem Scipionis Consulatumque Flaminini* exoleverat. *Consul* erat *Flamininus* anno *Varroniano* 562. non multis ante Legem *Villiam* annis. Sic etiam *Plebiscitum* memorat *Livius*, [2] *ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet*. Quod tamen brevissimo tempore tenuisse docent tot illi, illis ipsis temporibus, eorundem hominum intra *decennium* Magistratus. Ita ergo se res habuisse videtur in priori hujus Legis de *Edicto Perpetuo* rogatione. Paulo erat firmior illa cujus meminit *Asconius*. Scripsit enim illis ipsis temporibus duos *ad Edictum* Libros ad *Brutum Servius Sulpicius* à [3] *Pomponio* memoratos. Et quidem ante *Julium Cæsarem*. Sub *Julio* primus *Edictum Perpetuum composuisse* dicitur *Caius Ofilius*, eodem teste *Pomponio*. Erat itaque & *ante Julium* Perpetuum Prætoris Edictum, à *Sulpicio* commentariis illustratum. Et tamen, *Julio* jam rerum potiente, *primus Edictum composuit Ofilius*. Nec tamen difficile erit illa invicem conciliare si dixerimus *Prætores* antiquiores ita *Perpetuum Edictum* observasse, ut locus nullus fuerit *gratiæ*, nec licuerit *Prætori* ab eo quod *initio Præturæ* susceperat, communi etiam Prætorum annuorum omnium consensu, discedere. Sic enim locus nullus erat *gratiæ* in causa *Amicorum*. Sed *varia* interim fuerant superiorum Prætorum *Edicta* pro vario *Prætorum annuorum* arbitratu. Nec *unum* aliquod *Edictum* delegerat *Senatus* quo tenerentur *annorum futurorum* omnium *Prætores*. Erant itaque in illis alia aliis *meliora*, &, pro captu *Præto-*

1 Liv. *L. XL*. 43. 2 Liv. *L. VII*. c. 42. 3 Pompon. *Enchir. ap. Pandect. L. I. Tit.* 2. Sect. 2.

*rum*

*rum* annuorum, certe *gratiora*. Hoc unum cenſuerat Senatus, ne pro *arbitratu* ſuo Prætor nunc *unum* ſequeretur, nunc *aliud*, deceſſorum *Edictum*, nec *novum* ſibi ex omnibus colligeret, ſed unam aliquam eandemque Juris normam in Magiſtratus tempore univerſo obſervaret. Satius eſſe duxit *Julius*, ſi bona *Edictorum omnium* in *unum* aliquod *Edictum* colligenda curaret, nec in *unum annum*, ſed pro *univerſa* Prætorum Succeſſione, *Perpetuum* eſſe decerneret. Ergo Edicto illi colligendo opera neceſſaria erat viri in *Jure*, præſertim *Prætorio*, verſatiſſimi, qualis ille erat *Ofilius*. Non tamen ſatis erat ad Edictum illud ſtabiliendum, ſeu *Prætoris annui* Poteſtas, ſeu etiam *Juriſconſulti*. Ergo *compoſitum* ab *Ofilio* ſancivit *Cæſar*, *Dictatoria* ejus poteſtate, vel eo forſitan *Auctore*, atque referente, *Senatus*. *Dictator* erat *Reip. Conſtituendæ* cauſa, quo nomine alia multa in *Legibus* jam conſtitutis innovavit. Qua tamen *referre* potuit ad *Senatum* cum *Prærogativa ſuffragii ſui*; ſic etiam poterat, Reipub. *libertate* ſalva, nec aliquatenus imminuta, *Legem* tamen illam, ſine periculo, ferre. Ita certe *Dictator Æmilius Mamercus* Legem tulerat de *Cenſorii* muneris tempore in *perpetuum* breviando, cum tamen *minora* eſſent, quam ætate *Cæſaris*, munera ipſa *Dictaturæ*. Hoc ergo primum erat exemplum *Perpetui*, quale illud *Hadriani* erat, *Edicti*. Et ſane reſpondebant duo illa invicem *Edicta*: *Compoſitum* ab *Ofilio Juriſconſulto* ſancivit *Cæſar*. Et à *Juliano Juriſconſulto compoſitum* ſancivit ſimiliter *Hadrianus*. Id tamen erat in poſteriori illo exemplo *novum*, quod *poſterius* illud *Edictum Hadrianeum* Commentariis ſuis illuſtrarint, quotquot habemus in *Pandectis*, *Juriſconſulti*. Inde *priorum Edictorum* mentio neglecta, quod nihil illa commune cum *Scriptorum*, quos habemus, *coævis moribus* haberent.

Sunt quidem in his noſtris multa, fateor, non adeo, quam vellem, comperta atque explorata. Nonnulla etiam, in quibus *diverſas ſententias* ipſe propono atque Lectori judicandas relinquo, ſubjectis utriuſque ſententiæ *rationibus*. Nec ſane nocebit, ſi minus audaces fuerimus in his literis *Philologicis*, quæ totæ fere pendent à *Ratiocinniis*, nec illis admodum *certis* atque *evidentibus*. Etiam puto profuturum ſi *dubia dubie* proponamus, parati diſcere ab aliis meliora, & noſtra tamen interim quæ habemus, ne quid lateat quod ad cauſam illuſtrandam faciat, in commune conferamus. Miniſtrabunt enim acutioribus anſas *veri* inveniendi noſtri etiam *errores*. Sic enim plerunque fit ut *vera falſis* immixta conficiant illam, quæ *nos* fallit, *veriſimilitudinem*. Ita evenit ut in novis *inventis* nec omnia *recipienda* ſint, nec viceverſa omnia *improbanda*. In eo acumen ſuum exercebunt poſteri ut *vera* noſtra à *falſis* ſecernant; ſic tamen ut qui *errores* noſtros detexerint, *lucem* viciſſim ab errantium *veris* accipiant. *Obſtetriciam* hanc in *Ingenii* partibus operam profeſſus eſt *Socra-*

*tes*.

*tes*, ipſe *obſtetricis* filius. Hoc ille animo diſputavit in omnia ut *veros vividoſque* partus à *ventoſis* internoſceret. Hoc ſi quis animo *errores noſtros* oppugnaverit, *nos* etiam cum *publico* demerebitur. Erimus interim eo ad *veritatem* recipiendam *liberiores* quo antea fuerimus in noſtris defendendis *modeſtiores*. Faxit Deus ut ſtudia illa neglecta reviviſcant, *Pietatis*, *Veritatis* atque *Pacis*. Hæc demum ita futura ſpes erit, ſi *domi ſuæ* quiſque eadem illa animorum *vitia* extirpaverit quæ *foras* improbat in *Adverſariis*.

---

*FINIS.*

---

# ERRATA.

PAG. 15. lin. 15. ortam. p 20. l. 23. Quid. p. 21. l. 22. *Argivarum.* p. 25. l. 22. *ψηφίσματα.* p. 26. l. 8. esset. p. 28. l. 3. sex aut. p. 32. l. 21. *-tius.* p. 33. l. 13. CXVII°. p. 43. l. 8. Veri. p. 46. marg. l. 1 *Caß.* p. 49. marg. l. 2. *Fin.* p. 59. l. 3. *Augustis* p. 63. l. 25. *Getæ.* p. 76. l. pen. *Niger.* p. 86. marg. [Pro *Tyrannis* habiti, *Cassius. Niger* & *Albinus.*] lemmati *Sect.* II. inserenda. p 95. l. penult. quidem. p. 117. l. 4. del. lectionem. p. 119. l 14. del. &. p. 119. l. 18 Præfecturam. p. 120. l. 12. Et. P. 133. l. antep. *Librario.* p. 134. l. 12. legamus. p. 137 l. pen. Judex. p. 138. l. 12. *Memmium.* p. 139. l. 14. *Ennodium.* p. 144. l 9. infensissimus. p. 147. l. 25. fin. inser. *novit.* p. 148. l. 13. ait. p. 176. l 26. בנר. p. 177 l. 3. מנה. p. 187. l. 9. Ærarii. p. 191. l. 5. Civis, l. 8. municipii. p. 193. l. 11. del. *non* ante *fuerit.* p. 194. l 24, 25. & marg & p. 196. l. 21. 25. municip. p. 202. l. 4, 5. Consularibus. p. 205. l. 10 pro *Parthicæ* l. *Sarmaticæ.* p. 207. l. 31. suscepturus. p. 209. l. 26. post *anno* del. comma. p. 217. l. 28. Provinciam. p 219. l. 30. in l. ni. p. 222. l. 24. eodem l. 25. quo. p. 229. l. 21. legimus. p. 240. l. 19, 20. peritiores. p. 241. l. 5. post *Dione* l. legendum l. 6, 7. avebitis. p. 247. l. 12. convenit. p. 248. l. 22. egresso. p. 254. l. ult. -duturus. p. 262. l. 23. Militiam. p. 275. l. 18. utinam l. ut iram. p. 276. l. 8. *δυνάμεις.* p. 281. l. 28. temperamento. p. 289 l. 22. anteverterit. p. 295. l. 1. duplicem. p 298. l. 28. Virgilii. p. 304 l. 21. pretium. p. 311. l. 13. *Ure.* p. 315. l. 14, 15. falsissima. p. 324. l. 7, 8. infensissimi. p. 336. l. 29. *Publilio.* p. 344. l. 25. *Tribunitia.* p. 345. l. 15. , del. p. 350. l. 16, in l. ni. l. 19. *Antonini.* p. 353. l. 10. *Adriam.* p 354. l. 6. *post* temporibus *add.* hæc conveniunt l. 28, 29. pro *Juridicos* l. *Consulares.* p. 384. l. 22. *-temtis.* ib. *domitis.* p. 395. l. 9. COS. p. 397. l. 10. *Colotianorum.* p. 401. l. 12 an non. p 414. l. 4. Firmat l. 31. *μήποτε.* p. 440. l. 14. *Consul iterum.* p. 452. l. 18. offendere. p. 461. l. 16, 17. Pomptinam. l. 23. *ob.* p. 463. l. 5. exposita. p. 480. l. 18. *Hasta.* p. 481. l. ult. *nono.* p. 486. l. 3. *Seleuciam.* p. 487. l. 10. *Arbando* l. 13. *Batnas.* p. 489. l. 30. *Meßium.* p. 490. l. 1. *Christ.* p. 491. l. 9. *Batnas.* p. 495. l. 6. XCVIII^i. p. 497. l. 22. itaque l. 26. superioris. p. 502. l. 25 propitius. p. 503. l. 25. cæsorum. p. 520 l. 15. *Saturnini.* p. 521. l. 6. secundo. p. 522. l. 4. Decenarium. p 533. l. 1. legi. p. 556. l. 23. Tantundemque. p. 562. l. 18. *Plebeia.* p. 571. l. 26. Epochæ. p. 581. l. 7. nec vere. p. 588. l. 13. & *Augustus.* p. 590. l. 33. *Quinquennio.* p. 596. l. 18. *Augustum.* p. 600. l. 15. constitutos. p. 603. l. 27. annum. p. 604. l. 5. del. , post *Agrippam.* l. 15. quamvis. p. 610. l. 3. creatis. p. 613. l. 16. 766. p. 618. l. 16. del. nondum. p. 629. l. 15, 16. Gente. p. 642 l. 30, 31. del. deinde. p. 646. l. 27, 28. expectatum. p. 653. l. 31. indigna. p. 654. l. 25. *τοῖχε* p. 655. l. 8. monetæ l. 24. *Gruterus* l. 39. *stelis.* p. 656. l. 22. Lepido. p. 657. l. 24. *faciundorum* l. 29. libris. p. 659. l. 25. *Stirpis.* p. 662. l. 6. *Hystaspidæ.* p. 672. l. 6. Historia. p. 673. l. 1. pascuis. p. 696. l. 24. Græce. p. 706. l. 19. Nec. p. 708. l. 19. ipsam. p. 719. l. 4, 5. inferiores. p. 720. l. 42. *Tribuni.* p. 726. l. 23. dimissis. p. 735. l. penult. rectene. p. 738. l. 27. Imprimis. p. 742. l. 38. communi. p. 745. l. antep. *νομοθετοίας.* p. 746. l. 37. *Bißextili.* p. 750. l. 22. del. anni. p. 761. l. 29. exemtumque.